THEOLOGIA
SCHOLASTICO-DOGMATICA
JUXTA MENTEM
D. THOMÆ
AQUINATIS
AD USUM DISCIPULORUM
EJUSDEM ANGELICI PRÆCEPTORIS
ACCOMMODATA

PER F. VINCENTIUM LUDOVICUM GOTTI
Bononienſem, Ordinis Prædicatorum, in Patria Univerſitate
Controverſiarum Fidei Profeſſorem
NUNC
SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALEM.

TOMUS II. IN PRIMAM SECUNDÆ PARTIS
ORDINE OCTAVUS
De Vitiis, & Peccatis; & de Legibus.

BONONIÆ M. D. CC. XXX.
Ex Typographia Bononienſi Sancti THOMÆ AQUINATIS.
SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

CATALOGUS

Eorum, quæ hic Secundus Tomus in Primam Secundæ, ordine Octavus, complectitur.

TRACTATUS DE VITIIS, ET PECCATIS.

QUÆSTIO PRIMA.

De Natura Vitii, & Peccati.

DUBIUM PRIMUM.

An Vitium ſit contrarium Virtuti?

§. I. *Aliqua prænotantur.* pag. 1.
§. II. *Reſolvitur Dubium.* 2.
§. III. *De Contrarietate Vitii Virtutibus Infuſis.* ibid.

DUBIUM SECUNDUM.

An Vitium ſit contra Naturam?

§. I. *Reſolvitur Dubium.* 4.
§. II. *Objectionibus contrariis ſit ſatis.* 6.

DUBIUM TERTIUM.

Quid ſit Peccatum?

§. I. *An ſit pejus Peccatum, quàm Habitus Vitioſus?* 9.
§. II. *Definitiones Peccati.* 10.
§. III. *An Peccatum eſſentialiter ſit Offenſa Dei; & quomodo?* 11.

DUBIUM QUARTUM.

An Peccatum eſſentialiter petat eſſe Voluntarium, Liberum, & cum Advertentia?

§. I. *Peccatum debet eſſe Voluntarium.* 13.
§. II. *Peccatum debet eſſe Liberum.* ibid.
§. III. *Quæ Advertentia ſufficiat ad Peccandum.* 15.

DUBIUM QUINTUM.

Quid ſit, & an detur Peccatum purè Philoſophicum.

§. I. *Peccati Philoſophici Natura.* 16.
§. II. *Prior Reſolutio.* 17.
§. III. *Poſterior Reſolutio.* 20.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Peccato Commiſſionis, & Omiſſionis.

DUBIUM PRIMUM.

Unde ſumatur Diſtinctio Specifica Peccatorum?

§. I. *Species Peccatorum recenſentur.* 22.
§. II. *Reſolutio Dubii.* 24.
§. III. *Solutio Oppoſitorum.* 25.

DUBIUM SECUNDUM.

Per quid conſtituatur Peccatum Commiſſionis.

§. I.	*Præmittuntur aliqua.*	27.
§. II.	*Reſolutio Dubii.*	28.
§. III.	*Probatur Aſſertio Auctoritate.*	30.
§. IV.	*Rationes Contrariæ.*	32.
§. V.	*In quo conſiſtat Potentia peccandi.*	37.

DUBIUM TERTIUM.

An Omiſſio ex Cauſa Voluntariâ imputetur, non ſolùm quando apponitur Cauſa, ſed etiam cum de facto conſummatur?

§. I.	*Certa præmittuntur.*	40.
§. II.	*Reſolutiones Dubii.*	41.
§. III.	*Contrariæ Opinionis Fundamenta.*	42.
§. IV.	*An Peccata Commiſſionis, & Omiſſionis ex eodem motivo procedentia, ſint ejuſdem Speciei in eſſe Moris?*	45.

QUÆSTIO TERTIA.

De Peccato Mortali, & Veniali.

DUBIUM PRIMUM.

An omne Peccatum naturâ ſuâ ſit Mortale; vel potiùs detur aliquod Peccatum naturâ ſuâ Veniale?

§. I.	*Prænotantur Aliqua.*	47.
§. II.	*Catholica Veritas ex Scriptura, & Patribus.*	48.
§. III.	*Eadem Catholica Veritas Rationibus ſuadetur.*	51.
§. IV.	*Hæreticorum Fundamenta.*	52.

DUBIUM SECUNDUM.

In quo Veniale Peccatum differat à Mortali.

§. I. *Variæ inter utrumque Differentiæ.* 57.
§. II. *Præcipua Differentia.* 58.

DUBIUM TERTIUM.

Utrum peccatum Mortale, & Veniale conveniant univocè: Et an eſſentialiter differant in ratione Peccati.

§. I. *Reſolutio prioris Partis.* 60.
§. II. *Reſolutio poſterioris Partis.* 61.

DUBIUM QUARTUM.

Varia de Peccato Veniali relatè ad Mortale diſcutiuntur.

§. I. *An Peccatum Veniale ſit Diſpoſitio ad Mortale?* 63.
§. II. *An Peccatum Veniale fieri poſſit Mortale?* 64.
§. III. *An Peccatum Mortale fieri poſſit Veniale?* 66.
§. IV. *An Peccatum Veniale cauſet Maculam in Anima?* 68.

DUBIUM QUINTUM.

An Peccatum Veniale poſſit eſſe in aliquo cum ſolo Originali?

§. I. *Aliqua præmittuntur.* 69.
§. II. *Reſolvitur Dubium, & ſimul ſtatuitur, Hominem pervenientem ad Uſum Rationis teneri ſub Mortali ſe convertere in Deum.* 70.
§. III. *Solvuntur Rationes Contrariæ.* 72.
§. IV. *An poſſit quis peccare Venialiter, priùs quàm peccet Mortaliter?* 75.

QUÆSTIO QUARTA.

De Comparatione Peccatorum ad invicem.

DUBIUM PRIMUM.

An omnia Peccata ſint Connexa?

§. I. *Reſolutio negans.* 78.
§. II. *Oppoſitæ Rationes.* 79.

DUBIUM SECUNDUM.

An omnia Peccata ſint Paria?

§. I. *Quinam in hoc erraverint.* 80.
§. II. *Catholica Veritas.* 81.
§. III. *Joviniani Fundamenta.* 82.
§. IV. *An etiam Peccata contra Jus Poſitivum ſint Inæqualia?* 84.

DUBIUM TERTIUM.

Unde ſumatur Inæqualitas Peccatorum.

§. I. *An ſumatur ex Objecto?* 86.
§. II. *An Gravitas Peccatorum penſetur ex Dignitate Virtutum, quibus opponuntur?* 87.
§. III. *An Peccata Carnalia ſint minoris Culpæ, quàm Spiritualia?* 88.
§. IV. *An Gravitas Peccati attendatur ſecundùm Cauſam?* 89.
§. V. *An Circumſtantia aggravet Peccatum?* ibid.
§. VI. *An Gravitas peccati augeatur ſecundùm majus Nocumentum?* 90.
§. VII. *An Magnitudo Perſonæ, in quam Peccatur, & Perſonæ, quæ peccat, aggravet Peccatum.* 91.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO QUINTA.

De Subjecto Peccatorum.

DUBIUM PRIMUM.

An non ſolùm in Voluntate, ſed etiam in aliis Potentiis, à Voluntate motis, ſit formaliter, & intrinſecè Peccatum?

§. I. *Præmittuntur Certa.* 93.
§. II. *Reſolutiones Dubii.* 94.
§. III. *Oppoſitiones contra Dicta.* 97.

DUBIUM SECUNDUM.

An in Senſualitate poſſit eſſe Peccatum ſinè ullâ dependentiâ à Voluntate. Seu: an omnes Motus Senſualitatis etiam primò Primi, qui prorſus involuntariè exurgunt contra Rationem, ſint Peccata?

§. I. *Error Proteſtantium.* 101.
§. II. *Catholica Aſſertio.* ibid.
§. III. *Proteſtantium Momenta.* 103.

DUBIUM TERTIUM.

Nonnulla Quæſita ex D. Thoma expediuntur.

§. I. *De Moroſa Delectatione.* 109.
§. II. *De Peccato Conſenſus in Actum.* 110.
§. III. *De Conſenſu in Delectationem.* 112.

QUÆ.

QUÆSTIO SEXTA.

De Cauſis Peccatorum Actualium.

DUBIUM PRIMUM.

De Cauſis Interioribus Peccatorum.

§. I. *Quædam Præmittuntur.* 115.
§. II. *An Ignorantia ſit Cauſa Peccati &c.* 116.
§. III. *An Concupiſcentia, ſeu Paſſio ſit Cauſa Peccati?* 118.
§. IV. *An Malitia ſit Cauſa Peccati?* 120.

DUBIUM SECUNDUM.

An Deus ſit Cauſa Peccati?

§. I. *Aliqua Præmittuntur.* 122.
§. II. *Aſſertio Catholica.* 124.
§. III. *Hæreticorum Fundamenta everſa.* 128.

DUBIUM TERTIUM.

An Deus concurrat cum Creatura ad Peccatum invitus, & nolens?

§. I. *Reſolutio negativa.* 136.
§. II. *Solvuntur contrariæ Rationes.* 140.

DUBIUM QUARTUM.

An Deus ſit Cauſa propriè, & per ſe Entitatis, & Actionis Peccati, inquantùm Entitas, & Actio eſt?

§. I. *Quibuſdam prænotatis referuntur Opiniones.* 143.
§. II. *Reſolutio Affirmativa.* 144.
§. III. *Reſpondetur Adverſariorum Objectis.* 149.

DUBIUM QUINTUM.

An Diabolus ſit Hominibus cauſa Peccandi?

§. I. *An ſit Cauſa directa?* 156.
§. II. *An Diabolus poſſit inducere Homines ad peccandum, operando circa Partem Senſitivam interiorem?* 157.
§. III. *Duo Quæſita examinantur.* 159.

QUÆSTIO SEPTIMA.

De Effectibus Peccati Actualis.

DUBIUM PRIMUM.

Quid ſit Peccatum Habituale, ſeu Macula ex Peccato Actuali relicta.

§. I. *Peccati Habitualis Exiſtentia.* 160.
§. II. *Conſtitutivum Maculæ, ſeu Peccati Habitualis.* 162.
§. III. *Argumenta Contraria.* 164.

DUBIUM SECUNDUM.

An Reatus Pœnæ ſit effectus Peccati. Quid ſit; & an Peccatum poſſit eſſe Pœna alterius?

§. I. *Reſolutio primæ Partis Dubii.* 167.
§. II. *Reſolutio ſecundæ Partis Dubii.* 168.
§. III. *Reſolutio tertiæ Partis Dubii.* 169.

DUBIUM TERTIUM.

An Peccatum aliquod inducat Reatum Pœnæ Æternæ, & Infinitæ Quantitatis?

§. I. *Veritas de Fide.* 172.
§. II. *An Pœna, Peccato Mortali debita, ſit Infinitæ Quantitatis?* 175.

DU-

DUBIUM QUARTUM.

An Peccatum Veniale in Damnato, per accidens, & ratione conjunctionis cum Mortali, Pœnâ Æternâ puniatur?

§. I. *Prior reſolutio Dubii.* 177.
§. II. *Reſolutio ſecundæ Partis.* 179.

DUBIUM QUINTUM.

An dimiſsâ per Pœnitentiam Culpâ, remaneat aliquando Obligatio ad Pœnam Temporalem?

§. I. *Quædam prænotantur.* 180.
§. II. *Catholica Veritas.* 181.
§. III. *Adverſariorum Rationes.* 184.

TRACTATUS DE LEGIBUS.

QUÆSTIO PRIMA.

De his, quæ pertinent ad Subſtantiam Legis in communi.

DUBIUM PRIMUM.

Quid ſit Lex, & cujus Potentiæ Actus?

§. I. *Variæ Legis acceptiones, tùm quoad Nomen, tùm quoad Rem.* 188.
§. II. *An Lex eſſentialiter ſit Actus Intellectus?* 190.
§. III. *Scotiſtarum Rationes contrariæ.* 192.

DUBIUM SECUNDUM.

An Lex ordinetur ſemper ad Bonum Commune?

§. I. *An Lex ad aliquam Communitatem dirigi debeat?* 194.

§. II. *An Lex debeat dirigi ad bonum Commune, ſeu ad Publicam Utilitatem, ut ad Finem?* 196.

§. III. *An poſſit Princeps juſtè Legem ferre, quâ Bona particularia Subditorum in ſuam Utilitatem convertat; ut nec remotè ad Bonum Publicum ordinetur?* 198.

DUBIUM TERTIUM.

De Juſtitia Legis, Duratione, & Promulgatione ejuſdem.

§. I. *Quid requiratur, ut Lex ſit Juſta.* 201.

§. II. *De Duratione Legis.* 203.

§. III. *De Legis Promulgatione.* 205.

DUBIUM QUARTUM.

De Diverſitate, Effectibus, & Actibus Legis.

§. I. *Diviſiones Legis.* 207.

§. II. *Effectus Legis.* 209.

§. III. *Actus Legis.* 210.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Lege Æterna.

DUBIUM PRIMUM.

An ſit, & quid ſit Lex Æterna?

§. I. *Aliqua Prænotantur.* 212.

§. II. *Reſolutio Prior.* 213.

§. III. *Reſolvitur poſterior Pars.* 214.

§. IV. *An Lex Æterna ſit verè, & propriè Lex?* ibid.

DUBIUM SECUNDUM.

An omnis Lex derivetur à Lege Æterna?

§. I. *Reſolutio Dubii.* 216.

§. II. *Solvuntur quæ obſtare videntur.* 217.

DU-

Digitized by Google

DUBIUM TERTIUM.

Quænam Æternæ Dei Legi ſubjiciantur.

§. I. *De Æternis, ac Divinis.* 219.
§. II. *De Chriſto.* 222.
§. III. *De Neceſſariis, & Naturalibus, Contingentibus creatis.* 223.
§. IV. *De Creaturis Rationalibus.* 226.

QUÆSTIO TERTIA.

De Lege Naturali.

DUBIUM PRIMUM.

An ſit, & à quo ſit Lex Naturalis?

§. I. *Legis Naturalis Exiſtentia.* 228.
§. II. *Legis Naturalis Auctor.* 229.

DUBIUM SECUNDUM.

In quo Formaliter Lex Naturalis conſiſtat.

§. I. *Aliqua Prænotantur.* 231.
§. II. *Rejectis aliis noſtra Sententia proponitur.* 232.
§. III. *Solvuntur Rationes contrariæ.* 234.

DUBIUM TERTIUM.

An Lex Naturalis plura Præcepta contineat, an unum tantùm: & an ſit Una apud omnes?

§. I. *Reſolutio primæ Partis.* 236.
§. II. *Reſolutio ſecundæ Partis.* 237.

DUBIUM QUARTUM.

An ſub Lege Naturæ contineantur omnia Præcepta Decalogi, & Actus omnium Virtutum?

§. I. *Reſolvitur prima Pars.* 239.
§. II. *Reſolvitur ſecunda Pars.* 241.

DUBIUM QUINTUM.

An Lex Naturalis admittere poſſit Mutationem, Abrogationem, vel Derogationem, Interpretationem, vel Epiikejam?

§. I. *De Mutatione.* 243.
§. II. *De Abrogatione, Interpretatione, & Epiikeja.* 246.

DUBIUM SEXTUM.

An Lex Naturæ admittere poſſit Diſpenſationem?

§. I. *Prænotantur aliqua.* 247.
§. II. *Reſolutio prior.* 249.
§. III. *Reſolutio poſterior.* 251.
§. IV. *Fundamenta Adverſariorum contra hanc ſecundam Aſſertionem.* 253.

QUÆSTIO QUARTA.

De Lege Veteri, ſeu Moſaica.

DUBIUM PRIMUM.

Utrum Lex Vetus fuerit Bona, Utilis, ac Perfecta.

§. I. *Rejiciuntur Errores.* 259.
§. II. *Legem Veterem fuiſſe Bonam.* 260.
§. III. *Legem Veterem fuiſſe Utilem.* 265.
§. IV. *Legem Veterem fuiſſe minùs Perfectam.* 266.

Digitized by Google

DUBIUM SECUNDUM.

Utrum Lex Vetus, ſeu Moſaica fuerit à Deo lata.

§. I. *Reſolutio Dubii.* 267.
§. II. *Modus, quo Lex Moſaica à Deo lata fuit.* 270.

DUBIUM TERTIUM.

An Lex Moſaica ſoli Populo Judæorum data fuerit, eumque ſolùm obligaverit?

§. I. *Reſolutio prioris Partis.* 274.
§. II. *Reſolutio poſterioris Partis.* 277.
§. III. *An Lex Vetus convenienti Tempore data fuerit, & ob quem Finem?* 278.

DUBIUM QUARTUM.

Quotuplicia fuerint Veteris Legis Præcepta.

§. I. *Diviſio Mandatorum Legis.* 280.
§. II. *De Præceptis Moralibus.* 283.
§. III. *De Præceptis Cæremonialibus. De Sacrificiis.* 285.
§. IV. *De aliis Præceptis Cæremonialibus.* 288.
§. V. *De Præceptis Judicialibus.* 292.

DUBIUM QUINTUM.

An Lex Vetus abrogata ſit, & quoad Omnia?

§. I. *De Cæremonialibus, & Judicialibus.* 294.
§. II. *De Præceptis Moralibus.* 296.

DUBIUM SEXTUM.

A Quo, & Quando Lex Vetus fuerit abrogata?

§. I. *An fuerit abrogata à Joanne?* 298.
§. II. *An ante Chriſti Mortem?* 299.
§. III. *An in Chriſti Morte?* 300.

Digitized by Google

DUBIUM SEPTIMUM.

An Lex Vetus ſtatim poſt Abrogationem cæperit eſſe Mortifera?

§. I. *Aliqua Prænotantur.* 301.
§. II. *Reſolutio Dubii.* 303.
§. III. *Contrariis Argumentis reſpondetur.* 305.
§. IV. *Aliqua Quæſita ſolvuntur.* 308.

QUÆSTIO QUINTA.

De Lege Nova, ſeu Evangelica.

DUBIUM PRIMUM.

An Lex Evangelica habuerit Chriſtum Auctorem, ac verè Legiſlatorem?

§. I. *Quid ſentiant Hæretici.* 311.
§. II. *Catholica Veritas.* ibid.
§. III. *Hæreticorum Fundamenta.* 312.

DUBIUM SECUNDUM.

Ad quæ Præcepta Chriſtus ſua Lege nos obliget?

§. I. *Referuntur Errores Hæreticorum.* 315.
§. II. *Doctrina Catholica.* ibid.

DUBIUM TERTIUM.

In quo differat Lex Nova à Veteri.

§. I. *An Lex Nova alia ſit à Veteri.* 317.
§. II. *Aliæ differentiæ Legis Novæ à Veteri.* 318.

DUBIUM QUARTUM.

De Duratione Legis Novæ.

§. I. *An Lex Nova debuerit dari ab initio Mundi?* 321.

§. II.

§. II. *An Lex Nova duratura ſit uſque ad finem Mundi?* 323.

QUÆSTIO SEXTA.

De Lege Humana.

DUBIUM PRIMUM.

An in Homine ſit Poteſtas condendi Leges obligantes in Foro Conſcientiæ?

§. I. *Referuntur Errores.* 327.
§. II. *Reſolutiones Catholicæ.* ibid.
§. III. *Reſpondetur Hæreticorum Objectis contra primam Aſſertionem.* 330.
§. IV. *Reſpondetur Hæreticorum Argumentis contra ſecundam Aſſertionem.* 332.

DUBIUM SECUNDUM.

De Obligatione Legis Pœnalis.

§. I. *An Lex Pœnalis obliget in Conſcientia?* 334.
§. II. *Solutio contrariarum Objectionum.* 336.
§. III. *An Leges Pœnales obligent ad Pœnam ſtatim ſubeundam?* 337.

DUBIUM TERTIUM.

An Lex Humana obliget ſub Mortali: & an cum diſpendio Vitæ?

§. I. *Reſolutio prioris Partis.* 338.
§. II. *Regulæ dignoſcendi, quando Lex Humana obliget ſub Mortali, & quando non.* 340.
§. III. *Reſolutio poſterioris Partis.* 342.

DUBIUM QUARTUM.

Quid requiratur, ut Lex Humana obliget?

§. I. *De Legis Humanæ Promulgatione.* 345.

§. II. *An, ut Lex Humana obliget, requiratur Conſenſus, ſive Acceptatio Populi?* 346.

DUBIUM QUINTUM.

Quinam Legibus Humanis teneantur?

§. I. *De Principe, ſeu Legislatore.* 349.

§. II. *De Clericis.* 351.

§. III. *De Peregrinis.* 353.

DUBIUM SEXTUM.

Quinam Leges poſſint Ferre?

§. I. *Reſolutio Dubii.* 355.

§. II. *An Poteſtas Legislativa Eccleſiaſtica, vel Civilis pendeat à Fide, & bonis Moribus?* 356.

Vidit

Digitized by Google

Vidit D. Auguſtinus Maria Alfieri Clericus Regularis Sancti Pauli, & in Eccleſia Metropolitanâ Bononiæ Pœnitentiarius pro Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino D. Cardinali Jacobo Boncompagno Epiſcopo Albanenſi, Archiepiſcopo Bononiæ, ac Sacri Romani Imperii Principe.

Die 29. Aprilis 1730.

Attentâ præmiſsâ Relatione

IMPRIMATUR.

Fr. Paulus Hieronymus Gallaratus Inquiſitor Generalis Sancti Officii Bononiæ.

THEO-

Digitized by Google

Digitized by Google

THEOLOGIÆ SCHOLASTICO-DOGMATICÆ.

TRACTATUS DE VITIIS, ET PECCATIS.

De Vitiis, & peccatis agere Theologi munus eſt; ut eorum turpitudine, & malitiâ perſpectâ, ab iis humanus animus deterreatur. Quia verò oppoſita juxta ſe poſita magis eluceſcunt; Tractatui de virtutibus, quo præcedentem Tomum clauſimus, Tractatum de vitiis, & peccatis D. Thomæ ordinem tenentes, ſuccedere facimus. De vitiis tamen, ac peccatis perſonalibus ſolùm tractabimus: de vitio enim naturæ, nempe, peccato originali, abundè locuti fuimus *Tomo 6. in Primam Partem*. De his ergo naturam, diviſionem, cauſam, comparationem ad invicem, ſubjectum, cauſas, effectus, & alia examinari ſolita, percurremus.

QUÆSTIO I.

De Natura Vitii, & Peccati.

Agemus hîc de natura vitii, & peccati: quia tamen hæc manifeſtari maximè poteſt ex contrarietate vitii ad virtutem, & ad naturam rationalem; ideo hæc priùs cum D. Thoma expendemus: deinde peccati definitionem ſtatuemus.

DUBIUM I.

An Vitium ſit contrarium Virtuti.

§. I.

Aliqua prænotantur.

I. Vitium à *Vito* dicitur, quòd vitandum ſit, ac fugiendum: omne autem, quod deficit à recta regulâ, ſeu diſpoſitione, vitium dicitur. Sic in naturalibus claudicatio eſt vitium tibiæ; in artificialibus vitium eſt, quando artefactum à regulis artis deviat. In anima vitium eſt, quando deviat, & malè diſpoſita eſt ad regulas rationis. Hîc de vitio animi loquimur. Eſtò autem vitium, ita ſumtum, ſæpè confundatur cum peccato; ita ut vitium, & peccatum uſurpentur pro eodem; reverà tamen vitium à peccato diſtinguendum eſt: nam vitium eſt habitus vitioſus, ſeu ad malum inclinans; peccatum verò eſt actus inordinatus contra legem Dei. Hoc eleganter diſtinxit S. Auguſt. lib. *de Perfect. juſt. c.* 2. his verbis: *Ipſum ſanè vitium, quo claudicat homo, nec pes eſt, nec corpus, nec homo, nec ipſa claudicatio; quæ utique non eſt, quando non ambulat, cùm tamen inſit vitium, quo fit claudicatio, quando ambulat.* Deinde à vitio corporis tranſiens ad vitium animi; *Sic* (inquit) *& in homine interiore animus res eſt, rapina actus eſt, avaritia vitium eſt, ideſt, qualitas, ſecundùm quam malus eſt animus, etiam quando nihil agit: unde avaritia ſua ſerviat, etiam quando audit*, non concupiſces; *ſeque vituperat, & tamen* ava-

Digitized by Google

avarus manet. In hoc ſenſu de vitio quærimus: An contrarietur virtuti.

II. Notat circa hoc D. Thom. hâc *q.* 71. *a.* 1. quòd tria in virtute conſiderari poſſunt. Primum, quòd ſit quædam diſpoſitio alicujus convenienter ſe habentis ſecundùm modum ſuæ naturæ. Secundum, quòd ſit quædam bonitas. Tertium, quòd ordinetur ad actum bonum. Idcirco tria etiam ſunt, quæ virtuti opponuntur, non ſecundùm idem, ſed ſecundùm diverſa, nempe, *Vitium*, *malitia*, & *peccatum*. His ſuppoſitis.

§. II.

Reſolvitur Dubium.

III. Dico primò. Virtuti, ſecundùm quòd eſt habitus diſponens ſubjectum convenienter ſuæ naturæ, directè opponitur vitium. Probatur à D. Thom. ſic. Uniuſcujuſque rei vitium eſſe videtur, quòd non ſit diſpoſita ſecundùm ſuam naturam: ſic curvitas eſt vitium tibiæ; quia tibia curva non eſt diſpoſita ſecundùm ſuam naturam, quæ petit, ut ſit recta. Quare Auguſt. lib. 3. de Lib. arbitr. c. 14. *Quod ergo perfectioni naturæ deeſſe perſpexeris, id vocas vitium:* ſed virtus eſt diſpoſitio perfecta naturæ ſubjecti conſentanea; vitium verò eſt diſpoſitio naturæ ejuſdem ſubjecti diſconveniens; ergo vitium eſt contrarium virtuti.

IV. Dico ſecundò. Virtuti, ut eſt bonitas quædam, opponitur vitium, ut eſt quædam malitia. Probatur. Quia ſicut malum opponitur bono: ita malitia opponitur bonitati.

V. Dico tertiò. Virtuti, ſecundùm quòd ordinatur ad actum bonum, ſive, ſecundùm quòd eſt principium actus boni, opponitur peccatum. Prob. Quia ſicut actus virtutis eſt actus ordinatus; ita actus vitii, quod eſt peccatum, eſt actus inordinatus.

VI. Si autem quæras: Quo genere oppoſitionis contrarientur virtus, & vitium? Reſpondeo, opponi contrariè. Utrumque enim eſt aliquid poſitivum: & ita ſub eodem genere collocatum, ut invicem ſe expellant. Nam virtus, ut dictum eſt, bona qualitas mentis eſt operativa boni: vitium verò qualitas, ſecundùm quam malus eſt animus, etiam quando nihil agit; ut dicebamus ex Auguſt. *l. de Perfect. juſtit. c.* 2.

VII. Neque dicas. Contraria ſunt ea, quæ ſub eodem genere maximè diſtant: ſed virtus non ſemper maximè diſtat à vitio; cùm ſint aliquæ virtutes, quæ medium tenent inter duo vitia extrema, ut liberalitas inter avaritiam, & prodigalitatem: medium autem non maximè diſtat ab extremis, imò extrema plùs diſtant inter ſe, quàm à medio; ergo &c.

VIII. Nam reſpondeo, quòd eſtò aliquæ virtutes morales, ratione materiæ, mediæ ſint inter duo vitia extrema: in ratione tamen formali virtutis, quæ eſt convenientia rationi, extremè omnis virtus diſtat à vitio, quod rationi diſconveniens eſt. Ita reſpondet S. Thomas hâc 1. 2. *q.* 64. *a.* 1. *ad* 1. ubi ait: *Virtus moralis bonitatem habet ex regula rationis: pro materia autem habet paſſiones, vel operationes. Si ergo comparetur virtus moralis ad rationem; ſic ſecundùm id, quod rationis eſt, habet rationem extremi unius, quod eſt conformitas: exceſſus verò, & defectus habet rationem alterius extremi, quod eſt difformitas. Si verò conſideretur virtus moralis ſecundùm ſuam materiam; ſic habet rationem medii, inquantùm paſſionem reducit ad regulam rationis.*

§. III.

De Contrarietate Vitii Virtutibus Infuſis.

IX. Cùm, ex dictis ſuperiùs, virtutes morales aliæ ſint noſtris actibus acquiſitæ; aliæ verò in juſtificatione à Deo infuſæ: & priores regulentur prudentiâ, & ratione natu-

naturali; poſteriores autem prudentiâ infuſâ,& ſupernaturali; meritò exurgit dubium: An contrarietas vitii reſtringatur ad ſolas virtutes acquiſitas; an verò extendatur ad virtutes ſupernaturales, & infuſas. In hoc non conveniunt Diſcipuli D. Thom.

X. Cenſeo tamen, probabilius eſſe, quòd vitia, ſaltem indirectè, contrarientur virtutibus infuſis; ita ut ſtatim, ac virtutes morales cum gratia infunduntur, ceſſent vitia, ſaltem in ratione habitus. Et probo. Nam virtus acquiſita, & infuſa, puta, temperantia, eſtò in ratione formali ſpecie differant, conveniunt tamen in materia, nempe, in moderatione uſus ciborum: ſed habitualis moderatio in uſu ciborum, ſive ſit à virtute temperantiæ acquiſitæ, ſive infuſæ, tollit, nec compatitur cum immoderatione habituali, à quocumque proveniat; aliàs idem ſubjectum eſſet circa idem immoderatus, & moderatus, virtuoſus, & vitioſus, rectè diſpoſitus, & non rectè, bonus, & malus; ergo &c.

XI. Dixi, cum virtutibus non manere vitia in ratione habitus: remanere enim per modum diſpoſitionis, & in via corruptionis, non diſſentior. Hoc enim docet D. Thom. *Q. unicâ de Virt. a.* 10. *ad* 16. his verbis: *Licèt per actum unum ſimpliciter non corrumpatur habitus acquiſitus; tamen actus contritionis habet, quòd corrumpat habitum vitii generatum, ex virtute gratiæ. Unde in eo, qui habuit habitum intemperantiæ, cum conteritur, non remanet cum virtute temperantiæ infuſa habitus intemperantiæ, in ratione habitus, ſed in via corruptionis, quaſi diſpoſitio quædam: diſpoſitio autem non contrariatur habitui perfecto*. Et 3. *p. q.* 86. *a.* 5. admittens, in peccatore juſtificato remanere plerumque peccati reliquias: *Nihil* (inquit) *prohibet, quin remiſsâ culpâ remaneant diſpoſitiones ex præcedentibus actibus cauſatæ, quæ dicuntur peccati reliquiæ. Remanent tamen debilitatæ, & diminutæ; ita quòd homini non dominentur. Et hoc magis per modum diſpoſitionum, quàm per modum habituum, ſicut etiam remanet fomes poſt Baptiſmum*.

XII. Neque oppoſitum evincunt difficultates, quas homo juſtificatus experitur, & ſæpè eodem modo, ac ante, in extricando ſe a vitiis priſtinis: imò quòd eaſdem, quas priùs, pravas inclinationes ſentiat.

Non, inquam. Nam primò difficultates illæ, quas homo juſtificatus patitur, in ſe extricando à vitiis, quibus fuerat aſſuetus, ſicut non inferunt, eum in juſtificatione non accepiſſe virtutes infuſas illis contrarias; ita nec arguunt, in eo eadem vitia, quæ priùs, ſaltem per modum habitus, erant dominantia, remanere; ſed aliquas ſolùm diſpoſitiones, & peccatorum, quæ antea frequentaverat, reliquias. Ut enim ſuperiùs dicebamus, agentes de virtutibus infuſis cum S. Thom. 1. 2. q. 65. a. 3. ad 2. *Quandoque contingit, quòd aliquis habens habitum patitur difficultatem in operando; & per conſequens non ſentit delectationem, & complacentiam in actu, propter aliquod impedimentum extrinſecùs ſuperveniens; ſicut ille, qui habet habitum ſcientiæ, patitur difficultatem in intelligendo, propter ſomnolentiam, vel infirmitatem. Et ſimiliter habitus moralium virtutum infuſarum patiuntur interdum difficultatem in operando, propter aliquas diſpoſitiones contrarias ex præcedentibus actibus relictas: quæ quidem difficultas non ita accidit in virtutibus moralibus acquiſitis; quia per exercitium actuum, quo acquiruntur, tolluntur etiam contrariæ diſpoſitiones*.

XIII. Ratio autem iſtorum traditur à D. Tho. 3. *p. q.* 86. *a.* 5. citato in argumento *Sed contra*, & *ad* 1. Nam Deus in ſanatione animæ à culpa ita ſe gerit, ſicut in ſanatione corporis à morbo. Sicut ergo aliquando dum ſanat corpus, non ſtatim perfectam ſanitatem confert, ſed priùs per imperfectam ad perfectam perducit: ut *Marci* 8. legitur de cæco illuminato

nato à Domino, qui *primò reſtitutus eſt ad imperfectum viſum* (*unde ait:* Video homines velut arbores ambulantes) *deinde reſtitutus eſt perfectè, ut videret omnia*; ita non ſtatim remiſsâ culpâ reſtituitur peccator *ad viſum ſpiritualem; ſed adhuc remanent in eo reliquiæ peccati præteriti*. Et ad 1. *Dicendum* (inquit) *quòd Deus totum hominem perfectè curat; ſed quandoque ſubitò, ſicut Socrum Petri ſtatim reſtituit perfectæ ſanitati; ita ut ſurgens miniſtraret illis, ut legitur Lucæ 4. quandoque autem ſucceſſivè, ſicut dictum eſt de cæco illuminato, Marci 8. Et ita etiam ſpiritualiter quandoque tantâ commotione convertit cor hominis; ut ſubitò perfectè conſequatur ſanitatem ſpiritualem, non ſolùm remiſsâ culpâ, ſed ſublatis omnibus peccati reliquiis, ut patet de Magdalena, Lucæ 7. quandoque autem priùs remittit culpam per gratiam operantem, & poſtea per gratiam cooperantem ſucceſſivè tollit peccati reliquias*. Igitur in homine juſtificato, juxta mentem S. Doctoris, cum virtutibus infuſis non manent habitus vitioſi; ſed interdum manent peccatorum reliquiæ, per modum diſpoſitionis, diminutæ, & ad corruptionem tendentes.

DUBIUM II.

An Vitium ſit contra Naturam?

§. I.

Reſolvitur Dubium.

I. Manichæi, qui (referente Sancto Auguſtino *lib. de Hæreſ. c. 46.* & alibi paſſim in libris, quos contra eos elaboravit) duas naturas, ſeu animas, vel duo principia in homine ponebant: unum naturâ ſuâ bonum; alterum naturâ ſuâ malum, conſequenter aſſerebant, vitia non eſſe contra naturam principii mali, ſed ipſam mali naturam vitium eſſe. Oppoſitum tamen ſenſerunt ſemper omnes Catholici. Quia verò vitia quædam ſunt, quæ opponuntur virtutibus moralibus acquiſitis, & naturalibus; quædam, quæ virtutibus moralibus infuſis, & ſupernaturalibus opponuntur: ideo de utriſque ſermo erit.

II. Dico primò. Vitia oppoſita virtutibus naturalibus acquiſitis ſunt contra naturam hominis. Prob. 1. ex S. Auguſt. *l. 3. de Lib. arb. c. 13.* ubi Manichæum hoc diſcurſu urget. Tu qui vitium vituperas, laudare debes naturam; nullius enim vituperatur vitium, niſi cujus natura laudatur. *Aut enim ſecundùm naturam eſt, quod vituperas:* & ſic malè vituperas vitium, & laudas naturam, cui vitium connaturale eſt. *Aut ſi vitium eſt, ut rectè vituperari poſſit, etiam contra naturam ſit, neceſſe eſt: omne quippe vitium, eo ipſo, quo vitium eſt, contra naturam eſt. Si enim natura non nocet, nec vitium eſt: ſi autem quia nocet, ideo vitium eſt, quia contra naturam eſt*. Et lib. 11. de Civit. Dei c. 1. *Omne autem* (inquit) *vitium naturæ nocet, ac per hoc contra naturam eſt*. Inde probans, non adhærere Deo in malis Angelis non naturam eſſe, ſed vitium, hoc exemplo procedit: *Sicut ergo cum vitium oculorum dicitur cæcitas, id oſtenditur, quòd ad naturam oculorum pertinet viſus; & cum vitium aurium dicitur ſurditas, ad earum naturam pertinere demonſtratur auditus: ita cum vitium creaturæ angelicæ dicitur, quòd non adhæret Deo, hinc apertiſſimè declaratur, ejus naturæ ut Deo adhæreat, convenire*. Ex quo probatur, non ſolùm vitia oppoſita virtutibus naturalibus, ſed etiam vitia oppoſita virtutibus infuſis, quale eſt vitium Angelorum, eſſe contra naturam.

III. Probatur ſecundò ratione D.Th. hâc *q. 71. a. 2.* Id eſt contra naturam hominis, ut homo eſt, quod eſt contra naturam animæ rationalis, quæ forma hominis eſt: ſed vitium eſt contra

tra

Digitized by Google

tra naturam animæ rationalis; ergo eſt contra naturam hominis, ut homo eſt. Min. prob. Natura animæ rationalis eſt agere ſecundùm ordinem rationis; ergo agere contra ordinem rationis eſt contra naturam animæ rationalis ſed vitium eſſentialiter dicit agere contra ordinem rationis; ergo ſicut virtus, quæ benè diſponit ſecundùm ordinem rationis, dicitur eſſe ſecundùm naturam hominis; ita vitium, quod malè ipſum diſponit contra ordinem rationis, erit contra naturam hominis. Unde (concludit Divus Thomas) *Oportet, quòd in qualibet re vitium dicatur ex hoc, quòd eſt diſpoſita contra id, quod convenit ſua naturæ*. Et inferiùs: *Bonum autem* (inquit) *hominis eſt, ſecundùm rationem eſſe, & malum hominis eſt, præter rationem eſſe (ut Dionyſ. dicit c. 4. de Divin. nomin.) Unde virtus humana, quæ hominem facit bonum, & opus ipſius bonum reddit, intantùm eſt ſecundùm naturam hominis, inquantùm convenit rationi. Vitium autem intantùm eſt contra naturam hominis, inquantùm eſt contra ordinem rationis*.

IV. Confir. Quod eſt contra ordinem, & regulas artis, vitium in artefactis, & contra artem eſt. Quod eſt contra ordinem naturæ, vitium in naturalibus, & contra naturam eſt; ergo quod eſt contra rationis ordinem, in rationalibus vitium, & contra naturam rationalem eſt.

V. Dico ſecundò. Etiam vitia oppoſita virtutibus infuſis, & ſupernaturalibus ſunt contra naturam hominis. Hæc aſſertio probata manet ex Auguſtino *l. 12. de Civit.* Dei ſupra allato, ubi probat, vitia Angelorum eſſe contra eorum naturam: cùm tamen eorum vitium, nempè, non adhærere Deo auctori gratiæ, ſit vitium, & peccatum contra finem ſupernaturalem, & proinde oppoſitum virtutibus infuſis: eò vel maximè, quòd, ut ſuo loco diximus, Angelus contra finem naturalem vitium directè haberè non poteſt, ſicut nec peccare. Addo, quòd cùm lib. 3. de lib. arb. citato generaliter dicat: *Omne vitium eo ipſo, quo vitium eſt, contra naturam eſt*; clarè indicat, ſe univerſaliter loqui, & nullum vitium excipere.

VI. Hoc idem ſentit D. Thom. hâc *q. 71. a. 2. ad 1.* Cùm enim ſibi objeciſſet, vitium non eſſe contra naturam, quia vitium contrariatur virtuti; virtutes autem non ſunt in nobis à natura, ſed cauſantur in nobis, vel per infuſionem, vel per aſſuetudinem: non reſpondet, diſtinguendo inter vitia, quæ opponuntur virtutibus acquiſitis, & ea, quæ opponuntur infuſis; ſed concedens, generaliter omne vitium eſſe contra naturam, *Dicendum* (inquit) *quòd virtutes, etſi non cauſentur à natura ſecundùm ſuum eſſe perfectum; tamen inclinant ad id, quod eſt ſecundùm naturam, ideſt, ſecundùm ordinem rationis. Dicit enim Tullius in Rhetor. ſuâ* (*lib. 2. de Invent.*) *quòd* virtus eſt habitus in modum naturæ rationi conſentaneus, *& hoc modo virtus dicitur eſſe ſecundùm naturam: & per contrarium intelligitur, quòd vitium ſit contra naturam*. Cùm ergo virtutes etiam infuſæ inclinent in id, quod, eſtò non ſit à natura, eſt tamen ſecundùm naturam, quia ſecundùm ordinem rationis; ſequitur, quòd vitia illis oppoſita ſint contra naturam.

VII. Rurſus 2. 2. *q. 10. a. 1.* ſuſtinet, infidelitatem eſſe contra naturam, his verbis: *Habere fidem non eſt in natura humanâ: ſed in natura humana eſt, ut mens hominis non repugnet interiori inſtinctui, & exteriori veritatis prædicationi. Unde Infidelitas, ſecundùm hoc, eſt contra naturam*. Ex quibus ſic arguo. Ideo infidelitas, quæ opponitur virtuti infuſæ fidei, eſt contra naturam, quia licèt fides non ſit in natura, in natura tamen eſt, ut non repugnet fidei; & idcirco infidelitas, quæ fidei repugnat, naturæ contraria eſt: ſed omnes aliæ virtutes infuſæ, eſtò in natura non ſint, in natura tamen eſt, ut eis non repu-

Digitized by Google

pugnet; ergo vitia, quæ eis repugnant, contra naturam ſunt.

VIII. Confirm. Quod ponit obicem naturæ inferiori, ne perficiatur à ſuperiori, eique obediat, cui nata eſt obedire; cenſendum eſt, ei naturæ repugnare, eique contrarium eſſe: ſed vitia oppoſita virtutibus infuſis ponunt obicem, quo homo (qui ſtante elevatione ad ſupernaturalia perfectibilis eſt à virtutibus infuſis) impeditur, imò repugnantiam contrahit, ut ab illis perficiatur; ergo &c.

§. II.

Objectionibus contrariis fit ſatis.

IX. Objicitur contra primum aſſertum primò. *Sap. 12. v.* 10. de Chananæis, & aliis nationibus dicitur: *Erat naturalis malitia ipſorum:* & Paulus *Epheſ.* 2. *v.* 3. de ſe, & Hebræis: *Eramus* (inquit) *naturâ filii iræ, ſicut & cæteri;* ergo peccatum, ſeu vitium, eſt ſecundùm, non contra naturam.

Confirm. Quidquid ſit, an vitium ſit ſecundùm naturam hominis abſolutè ſumtam; eſt tamen ſecundùm naturam hominis, ut peccato originali vitiatam, in qua propenſio ad malum fortior eſt, quàm ad bonum; ergo naturæ hominis, ut modò eſt, conſentaneum eſt vitium, non contrarium.

X. Reſpondetur ad 1. & 2. Scripturæ textum ex D. Thom. Q. un. de Virt. a. 8. ad 16. *Dicendum, quòd malitia eorum erat naturalis, inquantùm erat in conſuetudinem reducta, pro ut conſuetudo eſt altera natura. Nos autem eramus naturâ filii iræ, propter peccatum originale, quod eſt peccatum naturæ.* Ideſt, malitia Chananæorum &c. non dicitur naturalis, quòd eſſet ſecundùm naturam: ſed partim quia peccandi aſſuetudine, quæ eſt altera natura, fecerant eam ſibi quaſi naturalem; partim quia erat eis nativa ex parentibus, per educationem tracta, & exemplum; à quibus nedum originale contraxerant, ſed etiam pravos ipſorum mores cum lacte ebiberant. Apoſtolus autem dixit: *Eramus naturâ filii iræ, ſicut & cæteri*, quia nos Judæi non minùs, ac cæteri homines, peccatum originale, quod iram Dei meretur, unà cum natura contraximus. Unde in *c.* 2. *ad Epheſ. lect.* 1. Eramus (inquit) naturâ, *ideſt per originem naturæ, non quidem naturæ, ut natura eſt, quia ſic bona eſt, & à Deo; ſed naturæ, ut vitiata eſt.*

XI. Ad confirm. dico, hoc idem objeciſſe Catholicis Julianum, Pelagianorum nomine, nempe, Catholicos cum Manichæis conſentire, dum naturam originali peccato vitiatam aſſerebant; ut ex S. Auguſt. liquet *l.* 1. *contra Julian. c.* 4. & 5. Cui reſpondeo, hoc ipſo, quòd dicimus naturam peccato vitiatam, ſeparamur à Manichæis: dum enim dicimus naturam vitiatam, dicimus, peccatum non eſſe naturam, ſed vitium naturæ, & non ſecundùm naturam, quaſi natura de ſe mala ſit: imò potiùs bona, facta tamen mala ex vitio orto, non ex natura, ſed ex alterius voluntate, & conſequenter naturæ contrario. Unde ſicut non valet: tibia curva propendit in motum non rectum; ergo propenſio in motum non rectum eſt naturalis tibiæ: ita nec in caſu, ex quo natura, ut corrupta, propendat magis ad malum, valebit, hanc propenſionem eſſe naturalem.

XII. Nec dicas primò. Principium peccandi eſt naturale, nempe, voluntas; ergo etiam peccata ſunt naturalia.

Secundò. Multi peccant ex inclinatione appetitus ſenſitivi; hæc autem inclinatio naturalis eſt, & naturaliter inclinat ad peccatum, nempe, ad bonum ſenſibile; ergo &c.

Tertiò. Homo, ex quo eſt ex nihilo, eſt naturaliter peccabilis; ergo potentia peccandi, & defectibiliter, ac vitioſè operandi in ipſo plantata eſt.

Quartò. Homo eſt naturaliter corrupti-

Digitized by Google

rruptibilis, quia habet corpus compoſitum ex contrariis; ergo etiam eſt naturaliter peccabilis, quia conſtat ex contrariis appetitibus: caro enim concupiſcit adversùs ſpiritum, & ſpiritus adversùs carnem.

XIII. Reſpondetur ad præfatas inſtantias. Ad primam nego abſolutè ant. Nam. quamvis voluntas ſit naturalis, & ſit potentia, quâ homines peccare poſſunt; potentia tamen, quâ liberè poteſt peccare, defectus potiùs naturæ libertatis eſt, quàm libertatis natura.

XIV. Ad ſecundam nego min. Ut enim docet D. Thom. hâc 1. 2. q. 82. a. 3. ad 1. *Quia in homine concupiſcibilis naturaliter regitur ratione, intantùm concupiſcere eſt homini naturale, inquantùm eſt ſecundùm rationis ordinem. Concupiſcentia autem, quæ tranſcendit limites rationis, ineſt homini contra naturam.* Neque ex quo appetitus ſenſitivus naturaliter inclinetur ad bonum ſenſibile, inclinatur ad peccatum, quia bona ſenſibilia ſecundùm ſe ſpectata, non habent rationem mali, ſed folùm quatenus ſunt bono rationis contraria.

XV. Ad tertiam diſt. ant. Eſt naturaliter peccabilis, ideſt, capax peccati, co. ant. Poſitivè inclinatus ad peccatum, nego ant. Licèt enim homo eâ generali ratione, quâ creatura eſt, & ex nihilo, ſit capax peccandi: eâ tamen ratione, quâ rationalis eſt, & animam habet ratione præditam, naturaliter inclinat ſequi rationis ordinem. Quare agere contra rationis ordinem, illi eſt contra naturam.

XVI. Ad quartam nego conſequ. Quòd enim homo ſit compoſitus ex contrariis, & proinde corruptibilis, habet ex natura corporis ex contrariis coaleſcentis: at, quòd ex appetitibus contrariis conſtet, habet ex vitio naturæ: ex natura enim, quatenus rationalis, habet potiùs, quòd appetitus inferior obediat rationi; unde quòd illi reſiſtat, contra naturam eſt. Addo; quòd ſicut licèt mors ſit juxta inclinationem materiæ, quia tamen eſt contra inclinationem formæ, mors eſt ſimpliciter adverſa naturæ: ita quia agere contra ordinem rationis, eſt contra inclinationem formæ rationalis; abſolutè peccatum contra naturam hominis eſt.

XVII. Objicitur ſecundò. Quod contra naturam eſt, violentum, & involuntarium eſt: ſed peccatum violentum non eſt, imò voluntarium; ergo &c.

XVIII. Reſpondeo, maj. eſſe veram de eo, quod eſt contra naturam illatum ab agente extrinſeco, ſicut motus lapidis ſursùm projecti: non verò de eo, quod licèt ſit contra inclinationem naturalem, procedit tamen ab eodem ſuppoſito, ſecundùm inclinationem elicitam naturali contrariam. Sic accidit in homine, dum peccat. Naturalis ejus inclinatio eſt agere ſecundùm ordinem rationis; ſed quia in eo eſt inclinatio elicita, & voluntaria, quæ magis amat, appetitum ſenſitivum ſequi, quàm rationem: ideo ſic agendo, agit contra naturam, ſed voluntariè, non violenter.

XIX. Objicitur tertiò. Iis, quæ ſunt contra naturam, non poſſunt homines aſſueſieri, ſicut lapis nunquam aſſueſit, ut feratur ſursùm: ſed aliqui aſſueſiunt ad vitia; ergo vitia non ſunt contra naturam.

Rursùs: nihil, quod eſt contra naturam, invenitur in habentibus illam naturam, ut in pluribus: ſed vitia inveniuntur in hominibus, ut in pluribus, cùm plures ſint vitioſi, quàm virtuoſi; ergo &c.

XX. Reſpondeo maj. eſſe veram *de his, quæ ſunt contra naturam, ſecundùm quòd eſſe contra naturam opponitur ei, quod eſt eſſe à natura; non autem ſecundùm quòd eſſe contra naturam opponitur ei, quod eſt eſſe ſecundùm naturam: eo modo, quo virtutes dicuntur eſſe ſecundùm naturam, inquantùm inclinant ad id, quod naturæ convenit.* Ita S. Thomas hâc q. 71. a. 2. ad 2.

Mo-

Motus autem ſursùm ſic eſt contra naturam lapidis, ut repugnet gravitati, quæ à natura lapidis eſt, tanquam ejus proprietas; & ideo lapis nunquam poteſt aſſueſieri ad motum ſurſum. Porrò vitia non ſic contra naturam hominis ſunt, ut repugnent alicui ejus proprietati, vel prædicato naturæ, quo pacto eſſe hinnibile eſt contra naturam hominis; ſed quia inclinant contra ea, quæ ſunt naturæ conſentanea, nempe, contra virtutes: ideoque poteſt homo vitiis aſſueſieri.

XXI. Ad id, quod ſecundò dicitur, reſpondeo cum D. Tho. citato *ad* 3. majorem veram eſſe de eo, quod eſt contra naturam adæquatè ſumtam; non de eo, quod eſt contra naturam ſolùm inadæquatæ: unde quia monſtra ſunt priori modo contra naturam generabilium, ideo monſtra in paucioribus accidunt. At vitia eſtò ſint contra naturam rationalem, ſunt tamen naturæ ſenſitivæ valde conformia; cùmque hæc verſetur circa delectabilia, quæ magis obvia ſunt, & ſenſum alliciunt, non mirum eſt, ſi plures in eis ſiſtunt: maximè cùm natura hominis per peccatum ad ſenſibilia converſa ſit. *In homine* (inquit D. Tho. laudato loco) *eſt duplex natura, ſcilicet, rationalis, & ſenſitiva. Et quia per operationem ſenſus homo pervenit ad actus rationis; ideo plures ſequuntur inclinationes naturæ ſenſitivæ, quàm ordinem rationis. Plures enim ſunt, qui aſſequuntur principium rei, quàm qui ad conſummationem perveniunt. Ex hoc autem vitia, & peccata in hominibus proveniunt, quòd ſequuntur inclinationem naturæ ſenſitivæ contra ordinem rationis.*

XXII. Nota tamen, quòd cùm peccata, ſeu vitia dici poſſint eſſe contra naturam, vel eâ generali ratione, quia ſunt diſſentanea homini, ut homo eſt, utpote rectæ rationi repugnantia; vel peculiari ratione, quia, ſcilicet, etiam repugnant modo, & ordini actus carnalis à natura inſtituto: ut vitium ſodomiticum, quod non ſolùm repugnat naturæ hominis, ut homo eſt, ſeu ordini rationis; ſed etiam naturali ordini, quem habet homo communem cum animantibus brutis. Licèt ergo hoc modo non omnia peccata, etiam luxuriæ, ſint contra naturam; omnia tamen ſunt contra naturam priori modo, quia omnia ſunt contra ordinem rationis rectæ.

XXIII. Nota etiam, quòd eſtò virtutes morales non ſint naturales, quaſi cauſatæ à natura; ſunt tamen naturales, quia inclinant ad id, quod eſt ſecundùm naturam, ideſt, ſecundùm ordinem rationis: & per contrarium dicimus, vitia eſſe contra naturam, ut ex D. Tho. hoc *a.* 2. *ad* 1. ſuperiùs obſervavimus.

XXIV. Objicies contra ſecundam concluſionem. Ideo vitia oppoſita virtutibus infuſis eſſent contra naturam, quia opponuntur perfectionibus naturæ conſonis, etſi non debitis: ſed hæc ratio non evincit; ergo &c. Min. prob. Nam fides opponitur lumini gloriæ, quo rationalis natura ſummè perficitur; ſpes etiam poſſeſſioni opponitur; ſtatus corruptionis etiam pugnat cum dote incorruptibilitatis: & tamen nihil horum eſt contra naturam.

XXV. Reſpondeo, neg. min. quam non probant exempla adducta. Non enim præcisè vitia ſunt contra naturam, quia opponuntur perfectionibus naturæ rationali congruis; ſed quia inſuper naturæ rationali congrua non ſunt, nec ullo modo ipſam perficiunt. At fides, ſpes, corruptionis ſtatus, eſtò opponantur perfectionibus ſublimioribus, quibus natura poteſt perfici; naturæ tamen pro ſtatu viæ congruunt, eamque ſuo modo perficiunt. Unde quòd non ſint compatibiles cum præfatis perfectionibus, non tollit, quin ſint ſecundùm naturam, & quin ſint perfectiones naturæ convenientes pro eo ſtatu.

DU-

Digitized by Google

DUBIUM III.

Quid ſit Peccatum?

§. I.

An ſit pejus Peccatum, quàm Habitus Vitioſus?

I. DIco. Peccatum in ratione malitiæ moralis ſuperat ſimpliciter habitum vitioſum. Ita D. Th. hâc *q. 71. a. 3.* & probat primò. Id moraliter ſimpliciter pejus, vel melius eſt, pro quo juſtè debetur pœna, vel præmium: ſed pœna pro actu vitioſo juſtè debetur, ſicut & præmium pro actu virtuoſo, non autem pro habitu, vel vitioſo, vel virtuoſo, ſi non procedant ad actum; ergo &c. Et ratio eſt: quia malitia, vel bonitas moralis explicatur, & conſummatur in actu. Quare

II. Probat ſecundò. Quia *habitus non dicitur bonus, vel malus, niſi ex hoc, quòd inclinat in actum bonum, vel malum: unde propter bonitatem, vel malitiam actus, dicitur habitus bonus, vel malus*. Ex quo concludit: *Et ſic potior eſt actus in bonitate, vel malitiâ, quàm habitus: quia propter quod unumquodque tale, & illud magis eſt*.

III. Tertiò. Sicut habitus eſt determinativus potentiæ, ita actus eſt determinativus habitus: ſed habitus in bonitate, vel malitiâ excedit potentiam; ergo actus in eadem excedit habitum: habitus enim quodammodo medius eſt inter potentiam, & actum, ut determinativus illius, & determinatus per iſtum. Et ſanè *melius eſt* (inquit S. Doct.) *benè agere, quàm poſſe benè agere: & ſimiliter vituperabilius eſt malè agerè, quàm poſſe malè agere*.

IV. Sed dices primò. Sicut bonum, quod eſt diuturnius, eſt melius, ita malum, quod eſt diuturnius eſt pejus: ſed habitus vitioſus eſt diuturnior, quàm actus vitioſi, qui ſtatim tranſeunt; ergo &c.

V. Reſpondet S. Thom. *ad 1.* ex hoc ſequi ſolùm, habitum vitioſum eſſe pejorem actu vitioſo *ſecundùm quid*, quia per accidens ex conditione ſubjecti; non autem *ſimpliciter*: quia in eo, quod per ſe conſideratur in utroque, pejor eſt actus malus habitu malo, ut dictum eſt. *Quòd autem habitus ſit diuturnior, quàm actus, accidit ex eo, quòd utrumque invenitur in tali naturâ, quæ non poteſt ſemper agere, & cujus actio eſt in motu tranſeunte. Unde ſimpliciter actus eſt potior tàm in bonitate, quàm in malitia: ſed habitus eſt potior ſecundùm quid*. Ita D. Th. — Et eadem ratione *ad 3.* ait, quòd habitus, etſi ſit cauſa actus, non eſt tamen ſimpliciter pejor, vel melior actu. *Quia habitus eſt cauſa actus in genere cauſæ efficientis: ſed actus eſt cauſa habitus in genere cauſæ finalis, ſecundùm quam conſideratur ratio boni, & mali. Et ideo in bonitate, & malitia actus præminet habitui*.

VI. Dices ſecundò. Habitus caritatis melior eſt actu caritatis: nam habitus caritatis facit hoc ipſo juſtum, & Dei filium; actus verò caritatis ſolùm diſponit ad juſtificationem; ergo ſimiliter habitus vitioſus erit pejor actu vitioſo.

VII. Reſpondeo, quòd ſi habitus infuſi comparentur ad ſubjectum, meliores eſſe videntur, quàm actus, qui eorum infuſionem præcedunt, ob rationem allatam; quia majorem bonitatem illi conferunt, & permanenter ipſum ſanctificant. Cæterùm loquendo de bonitate, quæ eſt ex ordine ad operationem, actus ſunt ſimpliciter meliores habitibus, etiam infuſis. Tùm quia habitus ſunt propter actus, ut dicebamus. Tum etiam, quia dum actu caritatis diligitur Deus, excluditur omne motivum ad peccandum; quod non excluditur, cum adeſt habitus ſinè actu. *Caritas* (inquit D. Tho. 2. 2. q. 24. a. 11. ad 4.) *ſecundùm rationem ſui actus excludit omne motivum*

tivum ad peccandum: ſed quandoque contingit, quòd caritas actu non agit; & tunc poteſt intervenire aliquod motivum ad peccandum, cui ſi conſentiatur, caritas amittitur.

§. II.

Definitiones Peccati.

VIII. Cum definitio detur ad explicandam naturam rei, non meliùs naturam, & eſſentiam peccati explicabimus, quàm afferendo varias definitiones, quibus peccatum à Theologis, & Patribus deſcriptum fuit.

Prima ergo & celebris definitio eſt, quam tradit S. Auguſtinus *l. 22. contra Fauſt. c. 27.* & defendit S. Thom. hîc *q. 71. a. 6.* quòd peccatum ſit *dictum, vel factum, vel concupitum aliquid contra æternam legem.* Quid verò ſit æterna lex, oſtendit S. Auguſt. *ibi* dicens: *Lex verò æterna eſt ratio divina, vel voluntas Dei ordinem naturalem conſervari jubens, perturbari vetans.* Hunc autem naturalem ordinem dicit eſſe, quòd actio humana rationi imperanti obediat, & ratio Deo.

IX. Hanc definitionem exactam eſſe, oſtendit D. Thom. *a. 6.* citato. Quia omnis actus humanus habet, quòd ſit malus ex eo, quòd caret debita commenſuratione ad regulam; à qua, ſi divertat, incommenſuratus erit. *Regula autem voluntatis humanæ eſt duplex. Una propinqua, & homogenea, ſcilicet, ipſa humana ratio: alia verò eſt prima regula, ſcilicet, lex æterna, quæ eſt quaſi ratio Dei. Et ideo Auguſtinus in definitione peccati poſuit duo. Unum, quod pertinet ad ſubſtantiam actus humani, quod eſt quaſi materiale in peccato, cum dixit,* dictum, factum, vel concupitum: *aliud autem, quod pertinet ad rationem mali, quod eſt quaſi formale in peccato, cum dixit,* contra legem æternam.

X. Eſtò autem hâc definitione exprimatur ſola natura peccati commiſſionis; ſi tamen addatur particula *non*, aptari poterit etiam peccato omiſſionis. Ut enim ait D. Thom. hîc ad 1. *Affirmatio, & negatio reducuntur ad idem genus; ſicut in divinis* genitum, & ingenitum *ad relationem, ut Auguſt. dicit in 5. de Trinit. c. 6. & 7. Et ideo pro eodem eſt accipiendum*, dictum, & non dictum, factum, & non factum.

XI. Eâdem definitione ſuo modo concluditur etiam peccatum veniale, quod aliquomodo eſt contra legem æternam, eſtò non perfectè: quia eſtò in aliquo recedat ab ordine legis, non tamen recedit à fine legis, qui eſt caritas. Unde D. Thom. q. 7. de Malo a. 1. ad 1. *Etſi* (inquit) *in aliquo recedat ab ordine legis, non tamen ipſam corrumpit; quia non corrumpit dilectionem, quæ eſt plenitudo legis.* Et in hoc ſenſu dicitur, peccatum veniale non eſſe *contra*, ſed *præter legem*.

XII. Concluditur etiam peccatum, quod ſit contra legem humanam. Nam hæc, ſi juſta eſt, derivatur à lege æternâ, quæ etiam præcipit, ut *omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*, Rom. 13. v. 1. quia *omnis poteſtas à Deo eſt*: unde qui legem humanam violat, violat legem Dei; quia v. 2. *Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.*

XIII. Peccatum verò originale, in rigore, dictâ definitione non comprehenditur; quia intentum Auguſtini fuit definire ſolùm actuale: ſicut nec peccatum habituale, quod eſt macula ex peccato actuali relicta. Si tamen accipiatur *dictum, factum &c.* propriâ, vel alienâ voluntate, quæ ſit quodammodo noſtra, poterit etiam peccato originali applicari.

XIV. Prælaudatâ definitione comprehenduntur etiam peccata, quæ jure naturali prohibentur. Quia licèt iſta ſint potiùs prohibita, quia mala ex ſua natura; non mala, quia prohibita (ut ſunt, quæ jure tantùm po-
ſiti-

Digitized by Google

ſitivo prohibentur) adhuc tamen de illis quoque affirmari poteſt, quòd ſint mala, quia prohibita, non lege temporali, ſed æternâ. Nam ea, quæ ſunt eſſentialiter mala, ut mendacium, periurium, adulterium, etſi nulla foret lex poſitiva tàm divina, quàm humana, eſſent nihilominus peccata; quia eſſent contra legem æternam, & contra rationis ordinem, ut dicit D. Thom. hìc *ad* 4.

XV. At quid ſi, per impoſſibile, lex æterna tolleretur? Dicunt aliqui, periurium, adulterium adhuc fore mala, ſed non formaliter peccata: ait enim Auguſtinus l. 2. de Peccat. meritis c. 16. *Nec peccatum erit, ſi quid erit, ſi non divinitùs jubeatur, ut non ſit*. Sed quia ibi Auguſt. loquitur de peccato primorum Parentum, quod fuit contra Jus poſitivum divinum; dicerem potiùs, hanc ſuppoſitionem deſtruere totum. Nam ſi non eſſet lex æterna, nec eſſet ratio, nec actio humana; quia lex æterna eſt cauſa exemplaris omnium: & quæſtio eſſet de ſubjecto non ſupponente.

XVI. Potiùs autem S. Auguſtinus dixit, peccatum eſſe contra legem æternam, quàm contra rectam rationem; quia, ut ait D. Thom. hìc ad 5. *A' Theologis conſideratur peccatum præcipuè ſecundùm quod eſt offenſa contra Deum; à Philoſopho autem morali ſecundùm quod contrariatur rationi. Et ideo Auguſtinus convenientiùs definit peccatum ex hoc, quòd eſt* contra legem æternam, *quàm ex hoc, quòd eſt* contra rationem: *præcipuè cùm per legem æternam regulemur in multis, quæ excedunt rationem humanam, ſicut in his, quæ ſunt fidei*.

XVII. Aliam definitionem peccati tradit idem S. Auguſtinus l. de duabus animabus contra Manichæos c. 11. in fine: *Peccatum eſt voluntas retinendi, vel conſequendi, quod juſtitia vetat, & unde liberum eſt abſtinere*. Qua definitione exprimuntur ſola peccata interna. Quia (ut ait D. Tom. hìc ad 2.) *Prima cauſa peccati eſt in voluntate, quæ imperat omnes actus voluntarios; in quibus ſolis invenitur peccatum: & ideo Auguſtinus quandoque per ſolam voluntatem definit peccatum. Sed quia etiam ipſi exteriores actus pertinent ad ſubſtantiam peccati, cùm ſint ſecundùm ſe mali, ut dictum eſt; neceſſe fuit, quòd in definitione peccati poneretur etiam aliquid pertinens ad exteriores actus*.

XVIII. Alia definitio colligitur ex D. Ambroſio l. de Paradiſo c. 8. *Peccatum eſt prævaricatio legis divinæ, & cœleſtium inobedientia præceptorum*. Quæ legitima eſt, & concordat cum definitione S. Auguſtini ſupra explicatâ, ſi rectè accipiatur.

§. III.

An Peccatum eſſentialiter ſit Offenſa Dei; & quomodo?

XIX. Dico. Omne peccatum eſſentialiter eſt injuria Dei; non quidem effectivè illata, ſed affectivè multis modis intentata. Quòd non ſit injuria, & offenſa effectivè, & phiſicè Deo illata, certo certius eſt: *Si* enim *peccaveris* (inquit Job. c. 35. v. 6.) *quid ei nocebis? & ſi multiplicata fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum? Porrò ſi juſtè egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet? Homini, qui ſimilis tui eſt, nocebit impietas tua*. Quemadmodum ergo nihil Deo damus, dum eum colimus; ita nil à Deo auferimus, dum eum offendimus peccando.

XX. Eſſe autem affectivè, & intentatè injuriam, & offenſam Dei, hancque eſſentialiter, colligitur ex D. Tho. tùm hîc 1. 2. *quæſt*. 73. *art*. 8. *ad* 2. ubi exponens præcitatum textum Job, ait: *Quòd etſi Deo nullus poſſit nocere, quantùm ad ejus ſubſtantiam; poteſt tamen nocumentum attentare in his, quæ Dei ſunt: ſicut extirpando fidem, violando ſacra &c*. Tùm in 1. ad Rom. 15. lect. 1. ubi: *Omnia* (inquit) *peccata ſunt quodammodo improperia Dei; inquantùm per ea lex Dei contemnitur*.

B 2 XXI.

Digitized by Google

XXI. Probatur autem ſic. Peccator non ſolùm eſt injurius Deo, ut Legiſlatori, ſciens, & volens contemnendo ejus legem, & tollendo ab eo debitam ſubjectionem, & obedientiam; ſed etiam ipſum offendit, ut juſtum Judicem, non timendo ejus pœnam, & ſupplicium; ut Teſtem, non reverendo ejus præſentiam; ut ſupremum, ac ſummum Dominum, ejus jugum excutiendo; ut Amicum, & Benefactorem, exhibendo ſe ei inimicum, & ingratum, & ejus beneficiis abutendo; ut primam Cauſam, & primum Principium, utendo ejus concurſu ad peccandum; ac denique ut ſummum Bonum, & ultimum Finem: quia per quodlibet peccatum mortale homo affectivè avertitur à Deo, ut ultimo Fine, rationem ultimi finis impiè conſtituens in creatura. Quanta verò ſit hujus injuriæ, & offenſæ gravitas, oſtendetur, ſi Deus dederit, dum agemus de neceſſitate Incarnationis. Interim audiri poteſt D. Tho. *q.* 21. *de Verit. a.* 2. ita loquens: *Quicumque rem aliquam digniorem indigniori poſtponit, injuriam ei facit; & tantò ampliùs, quantò res eſt dignior. Quicumque autem in re temporali finem ſibi conſtituit, quod facit omnis mortaliter peccans; ex hoc ipſo, quantùm ad affectum ſuum, præponit creaturam Creatori, diligens plùs creaturam, quàm Creatorem: finis enim eſt, qui maximè diligitur.*

XXII. Hoc adeo verum exiſtimo; ut quamvis non dixerim, Philoſophos morales expreſsè, & quaſi ſignatè conſideraſſe peccatum, ut eſt offenſa Dei, ſub qua ratione expreſsè conſideratur à Theologis; certum tamen exiſtimem, hoc eos ita non effugiſſe, quin implicitè ſaltem, & virtualiter, dum conſiderabant peccatum, ut rectæ rationi, ac legi naturali contrarium, cognoverint, hominem peccando injuriam Deo legis, & rationis rectæ auctori irrogare. Imò eorum aliquos, etiam expreſsè id agnoviſſe, colligo ex S. Auguſt. qui *l.* 8. *de civit. Dei c.* 9. 10. & 13. & alibi, laudat Platonem, quòd docuerit, in rebus humanis nihil Diis gratius eſſe virtute, nihil odioſius criminibus; reprobans eos, qui obſcænis ludis Deos placari poſſe, autumabant.

XXIII. Quid autem dicendum arbitrer de peccato originali, & de veniali: an iſta quoque offenſa Dei cenſenda ſint?

Dicam. Quoad peccatum originale, quia in Adamo peccante omnibus Poſteris voluntarium fuit, fuiſſe maximam injuriam, & offenſam, quam totum genus humanum in ſuo capite Deo intentavit; ex quo ſequitur, quòd omnes, qui ex Adamo naſcuntur, naſcuntur Deo inviſi, & filii iræ, ac indignationis, ac propterea offenſores Dei, & ipſi injurii. Quia verò, ut à parvulis contrahitur, non dicit actualem converſionem ad creaturam, ſed averſionem à Deo, ut fine ultimo, ideo minùs eſt offenſa Dei, quàm peccatum actuale, & perſonale: offenſa tamen Dei eſſe non deſinit.

XXIV. Quoad peccatum verò veniale: fateor, in rigore, & ſimpliciter non eſſe offenſam; cùm venialiter peccans non avertatur à Deo, nec ultimum finem conſtituat in creatura. Dici tamen poſſe, in aliquo ſenſu, venialiter peccantem offendere Deum: quia licèt habitu à Deo non recedat, ejuſque amicitiam non lædat; illo tamen actu, quo venialiter peccat, non ſe gerit, ut amicum Dei, nec benè utitur ejus beneficiis: ejuſque præcepta licèt non contemnat, non tamen tanti ea facit, quanti facienda ſunt.

DU-

Digitized by Google

DUBIUM IV.

An Peccatum eſſentialiter petat eſſe Voluntarium, Liberum, & cum Advertentia?

§. I.

Peccatum debet eſſe Voluntarium.

I. PEccatum actuale debere eſſe voluntarium, liberum, cum conſenſu voluntatis, omnium ſententia eſt: & nos ſuperiùs abundè expoſuimus, agentes de voluntario libero; ubi libertatem requiſitam ad merendum, vel demerendum ſtatuimus.

II. Et quidem peccatum debere eſſe voluntarium, adeo perſuaſum fuit S. Auguſtino; ut *lib. de vera Religione c.* 14. dixerit: *Uſque adeo peccatum voluntarium eſt malum, ut nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium. Et hoc quidem ita manifeſtum eſt; ut nulla hinc Doctorum paucitas, nulla indoctorum turba diſſentiat. Quare aut negandum eſt, peccatum committi; aut fatendum eſt, voluntate committi.* Quod confirmavit *l.* 1. *Retract. c.* 13. illudque extendit ad omnia peccata perſonalia, & ad ipſum etiam originale, dicens: *Et illud, quod in parvulis dicitur originale peccatum, cùm adhuc non utantur arbitrio volantatis, non abſurdè vocatur etiam voluntarium; quia ex prima hominis mala voluntate contractum, factum eſt quodam modo hæreditarium.* Et diſput. 2. contra Fortunatum Manichæum, eum rogat, ut ſibi reſpondeat: *Quemadmodum fieri poſſit, ut ſi eſt Deo natura contraria, nobis imputetur peccatum, qui in illam naturam non voluntate, ſed ab ipſo Deo, cui nocere nihil potuit, miſſi ſumus.* Unde quia Manichæi ponebant, peccatum eſſe ex natura malâ, in quam non voluntate, ſed à Deo miſſi ſumus; arguit S. Doct. nullum in nobis eſſe peccatum. Et *l.* 2. *de actis contra Felicem Manichæum c.* 8. ſic eum perſtringit: *Nullum ergo invenis peccatum, quod damnat Deus: nullum invenis peccatum, quod pœnitentiâ poſſit ſanari. Si autem pœnitentia eſt, & culpa eſt: ſi culpa eſt, & voluntas eſt: ſi voluntas eſt in peccando, natura non eſt, quæ cogat.*

§. II.

Peccatum debet eſſe Liberum.

III. EX ſuperiùs dictis conſtare poteſt, peccatum, ut ſit tale, & imputabile, debere eſſe liberum; non ſolùm libertate à coactione, ſed etiam à neceſſitate, ſeu libertate indifferentiæ: hanc enim ad meritum, vel demeritum eſſentialiter requiri, ſuperiùs contra Janſenium demonſtravimus; cujus propoſitionem damnavit Innocentius X. quâ aſſerebat: *Ad merendum, vel demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.* Cui præluſerat Baius (propoſ. 67. inter proſcriptas à Sancto Pio V.) dicens: *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod neceſſariò facit.* Utramque verò prædamnaverat S. Thomas *q. 6. de Malo a. un.* his verbis: *Hæc autem opinio eſt hæretica: Tollit enim rationem meriti, & demeriti in humanis actibus. Non enim videtur eſſe meritorium, vel demeritorium, quòd aliquis ſic ex neceſſitate agit, quod vitare non poſſit. Eſt etiam annumeranda inter extraneas à Philoſophia opiniones: quia non ſolùm contrariatur fidei, ſed ſubvertit omnia principia philoſophiæ moralis. Si enim non ſit aliquid in nobis, ſed ex neceſſitate movemur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum, & punitio, & laus, & vituperium, circa quæ moralis Philoſophia conſiſtit.* Quæ D. Thomæ verba rationem pro hac veritate miniſtrant.

IV. S. Auguſtinus quoque *l. de Nat. & Grat. c.* 65. Pelagio, qui, ut aſſereret,

reret, nos eſſe liberos, ſive ad bonum, ut oportet, ſive ad malum, ſinè ope gratiæ; abutebatur dicto S. Hieronymi (l. 2. contra Jovin.) dicentis: *Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutem, nec ad vitia neceſſitate trahimur; alioquin ubi neceſſitas, nec corona eſt.* Reſpondet: *Quis non agnoſcat? quis non toto corde ſuſcipiat? quis aliter conditam humanam neget eſſe naturam? Sed in rectè faciendo ideo nullum eſt vinculum neceſſitatis, quia libertas eſt caritatis.* Eſtò autem non omnibus, ut peccatoribus, non detur gratia caritatis; non tamen manet in eis vinculum neceſſitatis ad peccandum: quia omnibus datur gratia ſufficiens, ſive proximè, ſive remotè, quâ, niſi obſtent, poſſint vitare peccata, & obſervare mandata, ut fusè oſtendimus *Tract. de Volunt. Dei Q. 2. Dub.* 3. per totum. Quæ huc revocanda ſunt; ſicut & ea, quæ de libertate requiſita ad merendum, vel demerendum ſuperiori Tomo dicta ſunt: inutile enim foret ea repetere.

V. Ex dictis infertur primò. Ad peccandum mortaliter, requiri conſenſum voluntatis, & quidem perfectè deliberatum, ac liberum. Unde ſi adſit conſenſus tantùm ſemiplenus, & imperfectus, qualis eſt in ſemiſopito, & eſſe poteſt in vigilantibus ratione inadvertentiæ, terribilitatis objecti, turbationis, erit peccatum ſolùm veniale, cùm non ſit perfectè voluntarium. Qui verò peccat ex vehementi concupiſcentiæ ſtimulo, aut tentationis impulſu, etſi majori ſit veniâ dignus, quàm qui ultrò peccatum quærit; eo quòd concupiſcentia voluntatem quaſi præcipitans, & abripiens in peccatum trahit, nec facultatem deliberandi omnino expeditam relinquit: cùm tamen voluntarium non minuat, ſed augeat potiùs, ut ſupra diximus de voluntario agentes, à peccato mortali regulariter non excuſatur.

VI. Infertur ſecundò. Ad peccatum mortale non requiri ſemper conſenſum formalem, quo quis actu poſitivo, formali, & directo in aliquo ſibi complaceat; ſed ſufficere conſenſum virtualem, quo quis velit aliquid, cui ſcit aliud eſſe annexum, vel incluſum. Tàm enim peccat, qui vult poſitivè ſimoniam, quàm qui vult contractum, cui ſcit eſſe annexam ſimoniam; quamvis ipſi ſimonia diſpliceat; quia dum vult illum contractum, cui ſcit ſimoniam eſſe conjunctam, indirectè vult ſimoniam. Vel etiam interpretativum, ſi circa illud, cui diſſentire debet, nec conſentiat, nec diſſentiat. Unde ſi mulier nec conſentiens, nec diſſentiens permittat ſe opprimi; interpretativè conſentire cenſetur, & mortaliter peccat.

An verò ad peccandum mortaliter ſufficiat conſenſus conditionatus?

VII. Dico. Si conditio non abſtergat omnem malitiam ab objecto, conſenſus, licèt conditionatus, non excuſat à peccato mortali. Unde ſi quis dicat: ſi non eſſem Sacerdos, fornicarer; peccat mortaliter deſiderio fornicationis, quæ, adhuc poſitâ conditione non Sacerdotii, manet per ſe illicita. Quòd ſi poſitâ conditione tota malitia auferatur ab objecto; ut ſi quis ex animo dicat: ſi non eſſem Religioſus, inirem matrimonium: aut de alia re, quæ non ſit mala intrinſecè, ſed ſolùm mala, quia prohibita, ut, ſi non eſſet præceptum, non jejunarem, vel Miſſam non audirem; non videtur peccare mortaliter: ſi tamen actualem complacentiam non habeat de re intrinſecè malâ, & de re ut prohibitâ. Quare ſi quis repræſentatâ ſibi fornicatione, in ipſa delectando intra ſe dicat: ſi non eſſet illicitum, fornicarer; & Sacerdos, repræſentato ſibi matrimonio, in ipſo delectando dicat: ſi non eſſem Sacerdos illud inirem; mortaliter peccat. Quia ille conſenſus, licèt ſit conditionatus ex parte operis, & objecti; eſt tamen abſolutus ex parte ſubjecti, ratione actualis delectationis, vel complacentiæ.

§. III.

§. III.

Quæ Advertentia ſufficiat ad Peccandum.

VIII. ADvertentiam requiri ad peccandum, certum eſt. Hæc tamen poteſt eſſe, vel ad actum ſolum; puta, cùm quis advertit ad id, quod facit, nempe, quòd ſurripit alienum, quòd cognoſcit uxorem non ſuam; ſed non advertit ad malitiam ſuæ actioni annexam: & hoc ſaltem accidere poteſt in iis, quæ ſunt prohibita ſolo Jure poſitivo. Nam facilè accidere poteſt, quòd quis advertat, ſe comedere carnes; & non reflectat ad circumſtantiam vigiliæ, aut præcepti prohibentis. Vel poteſt eſſe advertentia ad actum, & malitiam ſimul: ut cùm quis reflectit ad id, quod facit, & quòd illud faciendo, peccat.

IX. Hæc autem advertentia ad malitiam actus poteſt eſſe, vel expreſſa, & formalis; vel implicita, & virtualis. Prior eſt, dum quis ponit actionem, quam hìc, & nunc novit eſſe peccaminoſam: altera eſt, quâ quis, dum agit, dubius eſt, vel ſcrupulum, aut ſuſpicionem habet de malitia actionis.

X. Dico ergo primò. Ad peccandum mortaliter requiri advertentiam plenam, & perfectam; & non ſufficere ſemiplenam, qualis eſt in ſemiſopito; aut cujus ratio ſit quocumque alio impedimento ligata. Et ratio eſt: quia peccatum mortale debet eſſe plenè voluntarium, & liberum; & conſequenter cum plena advertentia committi.

XI. Dico ſecundò. Ad peccatum mortale ſufficere advertentiam implicitam, ſeu virtualem malitiæ actionis, vel ejus periculi. Etenim eo ipſo, quo quis dubitat, aut ſuſpicatur de malitia ſuæ actionis, vel malitiæ periculo, & tamen rei veritatem inquirere negligens, actionem ponit; cenſetur interpretativè, & ipſam malitiam velle.

XII. Dico tertiò. Ad peccandum mortaliter contra legem poſitivam, ſive divinam, ſive humanam, requiritur advertentia ſive formalis, ſive virtualis ad malitiam actionis; & non ſufficit, regulariter loquendo, advertentia ad ſolam actionem. Cùm enim quæ lege tantùm poſitivâ prohibentur, non ſint per ſe, & intrinſecè mala, non ingerunt per ſe in operante cognitionem malitiæ; ergo, ut operans cenſeatur peccare, advertere debet certò, aut ſortè præceptam eſſe, aut prohibitam illam actionem, quam hìc, & nunc ponit, vel omittit: in quo involvitur reflexio, ſeu advertentia ad malitiam actionis.

XIII. Hinc comedens carnes die veneris, omittens audire Sacrum in die S. Matthæi, eodemque die ſerviliter operans; ſi nullatenus advertat ad circumſtantiam diei, mortaliter non peccat; niſi fortè præceſſerit voluntaria negligentia inquirendi, adeundi Parochiam, vel aliud faciendi, ut de ſua obligatione certior fieret: tunc enim omittendo peccaret, eodem tamen peccato, quo illa voluit in cauſa. Unde S. Tho. 2. 2. *q.* 10. *a.* 1. docet, Infideles, qui nihil audierunt de fide, damnandos quidem eſſe ob alia peccata, quæ ſinè fide remitti non poſſunt; non tamen ob peccatum infidelitatis: hocque clarè exprimitur Joann. 15. v. 22. *Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent.* Quod de peccato, quo non crediderunt in Chriſtum, exponit Auguſtinus *Tract.* 89. *in Joann.*

XIV. An verò requiratur advertentia ad malitiam actionis, etiam in peccatis contra legem naturæ, major difficultas eſt. Noto tamen, aliqua eſſe de jure naturæ adeo certa, ut ſint vel principia, vel concluſiones evidenter ex illis deductæ; ut colere Deum, honorare parentes, non furari, non adulterare, non mentiri &c. Alia, quæ nonniſi diſcurſu, ſtudio, & labore ex primis principiis juris naturalis eruuntur: ut quòd quis non poſſit

Digitized by Google

poſſit lucrari ex tali, vel tali, contractu, non poſſit mentiri ad tuendam vitam propriam, vel alterius, non poſſit ſe polluere ad conſervandam vitam: cujus ſignum eſt, quòd Doctores diverſa, & contraria opinati ſunt.

XV. Dico ergo quartò. Ad peccandum mortaliter contra ea, quæ ſunt de jure naturæ primo modo, ſufficit, quòd quis advertat, ſe ponere talem actionem. Probo 1. nam cum quis advertit, ſe inhonorare Deum, vel parentes, ſe vel fornicari, vel adulterare; illa actio, cùm ſit per ſe intrinſecè, & evidenter mala, ſtatim ingerit menti operantis cognitionem ſuæ malitiæ, vel ſaltem dubium, aut ſuſpicionem; ut fatebitur quiſpiam ſe experiri, ſi ſincerè loqui voluerit, dum tales actiones ponit: notitia enim talium ita eſt ab auctore naturæ in cordibus hominum implantata, impreſſa, & ſignata; ut ſolus voluntariè cæcus nolit illa legere, nec ignorantiâ ſe excuſare poſſit. Quemadmodum enim non poteſt quis advertere ad objectum lucidum, niſi advertat ad lucem: ita non poteſt advertere ad actiones evidenter malas, quales ſunt in noſtro caſu, niſi advertat ad malitiam earum. Et hoc vel gentes, quamvis barbaræ, & agreſtes, vel peccatores habituati, & obſtinati fatebuntur; ſi ſincerè loqui voluerint, quamvis talem cognitionem, ut liberiùs peccare poſſint, à ſe repellere conentur. Hæc doctrina fundatur in alia, quâ docuimus, circa præcepta prima legis naturæ non dari ignorantiam invincibilem, & nulli deeſſe auxilia ſufficientia ſaltem remota: ideoque neminem excuſari in talibus à peccato, niſi tantus eſſet paſſionis furor, ut mentem omnino turbaret.

XVI. Hinc ſequitur, adultum ignorantem Deum invincibiliter (ſi fieri poſſet) non excuſandum à peccato, ſi fornicaretur, adulteraret, furaretur &c. quia præfata non deſinerent propterea ingerere operanti malitiæ ſuæ ſpeciem: non ageret quidem contra legem Dei cogniti, ut per ſe patet; quia tamen ageret contra legem naturalem, quæ à parte rei eſt lex Dei, ageret contra legem Dei, & peccaret. Et à fortiori peccaret ille, qui actu de Deo non cogitans, ſimilia operaretur; ut Dubio ſequenti fuſiùs dicemus.

XVII. Dico quintò. Ad peccandum mortaliter contra ea, quæ ſunt de jure naturæ ſecundo modo non ſemper ſufficit advertentia ad ſolum actum. Prob. Non ſolùm enim viri illiterati, & agreſtes, ſed etiam docti, imò & pii, poſt longum ſtudii tempus exiſtimarunt licita multa, quæ coram Deo illicita jure naturæ ſunt. Et ratio eſt: quia cum ejuſmodi ex principiis juris naturæ non clarè, nec immediatè, ſed poſt multas illationes deducantur, non ingerunt per ſeipſa ſpeciem ſuæ malitiæ operanti: unde inculpabiliter poteſt ad eam non advertere. Cumque ex Auguſtino *l. 3. de Lib. arb. c. 19.* Peccatum, quod propriè dicimus peccatum, ſit illud, quod *libera voluntate, & ab ſciente committitur*; planè conſtare poterit, in iis ſtare poſſe advertentiam ad actum ſinè advertentiâ ad malitiam, ac proinde ſinè eo, quòd actio illa ſit peccaminoſa, & mala. Maximè quia D. Thom. 1. 2. *q. 19. a. 6.* docet, quòd *Si ſit error, qui cauſet involuntarium, proveniens ex ignorantia alicujus circumſtantiæ, abſque omni negligentia; tunc talis error rationis, vel conſcientia excuſat, ut voluntas concordans rationi erranti non ſit mala.*

DUBIUM V.

Quid ſit, & an detur Peccatum purè Philoſophicum.

§. I.

Peccati Philoſophici Natura.

I. PEccatum Philoſophicum quoad nomen, & rem retroactis ſeculis inauditum, ex quibuſdam Theſibus Divione anno 1686. Menſe

menſe Junii primò in publicum prodiit. Illud prænarrata Theſis ita exponebat: *Peccatum philoſophicum, ſeu morale, eſt actus humanus diſconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi: theologicum verò, & mortale eſt transgreſſio libera legis divinæ. Philoſophicum, quantumvis grave, in illo, qui Deum ignorat, vel de Deo actu non cogitat, eſt grave peccatum; ſed non eſt offenſa Dei, neque peccatum mortale diſſolvens amicitiam Dei, neque æternâ pœnâ dignum.* Quibus patet, peccatum philoſophicum, & morale in hoc à ſuo auctore conſtitui, & à theologico, ac mortali diſtingui; quòd, ubi illud eſt libera divinæ legis tranſgreſſio, illud fit tantùm contra regulas rectæ rationis, præſcindatque à divina lege prohibente. Unde infert, quòd, cùm qui Deum ignorat, vel de Deo actu non cogitat, peccat; ejus peccatum ſit quidem moraliter grave, quia regulis morum contrarium, & diſconveniens naturæ hominis, quæ nata eſt ſequi rationem rectam: non tamen eſſe mortale, ideſt, diſſolvens amicitiam Dei, & peccantem obnoxium efficiens pœnæ eternæ.

II. Rei hujuſce novitas, quæ omnia ferè peccata mortalia ab homine auferre videbatur, & latam peccandi impunitatem concedere, piorum animos adeò commovit; ut re ad S. Sedem delatâ ſub Alexandro VIII. ejus judicio Theſis præfata, tanquam ſcandaloſa, temeraria, piarum aurium offenſiva, & erronea proſcripta fuerit anno 1690. 24. Auguſti.

§. II.

Prior Reſolutio.

III. Ex duplici capite, ut dicebamus, contingere poteſt, peccatum eſſe purè philoſophicum, ideſt, diſconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi, non autem contra legem æternam Dei: vel quia, qui peccat, Deum ignorat, vel quia de Deo actu non cogitat. Priùs ergo oſtendemus, peccatum purè philoſophicum non eſſe admittendum ex primo capite; deinde nec ex ſecundo.

IV. Dico primò. In eo, qui ignorat Deum, dum peccat, peccatum non, eſt purè philoſophicum, ideſt, non ſolùm eſt contra rectam rationem, ſed contrà legem æternam Dei. Probo hoc diſcurſu. Dum ajunt, peccatum illius, qui ignorat Deum, eſſe contrarium rectæ rationi, & non contra legem Dei; vel loquuntur de eo, qui inculpatè, & invincibiliter Deum ignorat, quia ſcilicet Deum cognoſcere non poteſt: vel de eo, qui vincibiliter, & culpatè Deum ignorat; quia, cùm poſſit Deum cognoſcere, Deum tamen cognoſcere neglexit: ſed ex neutro capite contingere poteſt, peccatum illius eſſe contra rationem rectam, & non contra legem æternam; ergo &c.

V. Min. pro prima parte probatur. Nam de Deo auctore naturæ ignorantiam invincibilem, etiam ad breve tempus, dari non poſſe, jam oſtenſum eſt *Tom. 2. in 1. p. q. 1. de Exiſtentia Dei, Dub. 2. per totum.* Univerſitas enim creaturarum adeò manifeſtè oculis ipſius Auctorem ſuum oſtendit; ut nemo rationis particeps in tanta luce, niſi oculos voluntariè avertens, illum non videat. Ut enim obſervat S. Auguſt. *Tract. 106. in Joan.* ad illa Chriſti verba Joan. 17. v. 4. *Manifeſtavi nomen tuum hominibus. Non illud* (inquit) *nomen tuum, quo vocaris Deus; ſed illud, quo vocaris Pater meus: quod nomen manifeſtari ſinè ipſius Filii manifeſtatione non poſſet. Nam quòd Deus dicitur univerſa creatura, etiam omnibus gentibus, antequam in Chriſtum crederent, non omni modo eſſe potuit hoc nomen ignotum. Hæc eſt enim vis veræ divinitatis, ut creaturæ rationali jam ratione utenti, non omnino, ac penitus poſſit abſcondi;* ergo ex capite ignorantiæ Dei, quæ ſit invincibilis, ruit idæa peccati philoſophici.

VI. Præterea: Impoſſibile eſt aliquid eſſe contra rectam rationem, quin ſit contra legem æternam: quemadmodum impoſſibile eſt, aliquid eſſe contra naturam artificiati, quin ſit contra naturam artis, etiam in eo, qui artem ignorat. Ita S. Tho. 1. 2. q. 71. a. 2. ad 4. his verbis: *Quidquid eſt contra rationem artificiati, eſt etiam contra naturam artis, quâ artificiatum producitur. Lex autem æterna comparatur ad ordinem rationis humanæ ſicut ars ad artificiatum. Unde ejuſdem rationis eſt, quòd vitium, & peccatum ſit contra ordinem rationis humanæ, & quòd ſit contra legem æternam. Unde Auguſt. dicit in 3. de Lib. arb. c. 15. Quòd à Deo habent omnes naturæ, quòd naturæ ſunt; & in tantùm ſunt vitioſæ, in quantùm ab ejus, quâ factæ ſunt, arte diſcedunt.* Quibus S. Doct. jugulat opinionem de peccato purè philoſophico, & non theologico, etiam ſuppoſitâ ignorantiâ Dei; cùm non poſſit quis peccare contra ordinem rationis, quin peccet contra legem æternam, quæ ad illum comparatur ſicut ars ad artificiata.

VII. Min. etiam pro ſecunda parte prob. Tùm ex Script. Pſalm. 78. v. 6. *Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt, & in regna, quæ nomen tuum non invocaverunt.* Quibus ſimilia profert Jeremias *cap. 10. v. 25.* ergo crimina eorum, qui Deum ignorant, à Deo reſpiciuntur tanquam offenſæ ſuæ ſanctitati irrogatæ. Item Apoſtolus *Epheſ. 4. v. 17.* Poſtquam Epheſios hortatus eſt, ne ambulent ſicut gentes: *Tenebris obſcuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam, quæ eſt in illis. Qui deſperantes ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ &c.* Et *c. 5. v. 5.* poſtquam oſtendit, quòd *omnis fornicator, aut immundus, aut avarus .... non habet hæreditatem in regno Chriſti, & Dei.* Concludit v. 6. *Nemo vos ſeducat inanibus verbis: propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ.* Super quæ D. Tho. lect. 3. *Et ideo* (inquit) *dicit inanibus verbis: quia ſinè ratione ſunt talia verba, quæ dicunt, quòd hujuſmodi non ſint peccata, nec excludant à regno Dei ..... quia niſi peccata carnalia eſſent peccata, non punirentur à Deo;* nec diceret Paulus: *Propter hæc enim venit ira Dei*; ergo fornicationes eorum etiam, qui Deum non noverunt, ſunt offenſa Dei, & iram Dei, pœnamque æternam merentur.

VIII. Præterea: Chriſtus Joann. 5. v. 28. *Venit* (inquit) *hora, in qua omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem Filii Dei, & procedent, qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ; qui verò mala egerunt, in reſurrectionem judicii.* Et *Matth. 25. v. 32. 33.* ait: *Congregabuntur ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos ab invicem, ſicut paſtor ſegregat oves ab hædis, & ſtatuet oves quidem à dextris ſuis, hædos autem à ſiniſtris.* Et de illis, qui erunt à ſiniſtris, concludit v. 46. *Et ibunt hi in ſupplicium æternum*; de illis verò, qui erunt à dextris, ait: *Juſti autem in vitam æternam.* Hìc ſtatuit Chriſtus ultimam ſortem, quàm omnes habituri ſunt, etiam gentes, quæ Deum non noverunt: nempe, omnes reſurrecturos, vel ad vitam, vel ad judicium; omnes ponendos, vel à dextris, vel à ſiniſtris: & qui à dextris, ituros in vitam æternam, qui à ſiniſtris, in ſupplicium æternum. Chriſtus hìc non admittit medium. Ubi ergo Auctores contrarii collocabunt infinitos ferè homines, qui, cùm Deum non cognoverint, multa crimina, eaque enormia commiſerunt; quæ propterea, ſecundùm ipſos, fuerunt peccata merè philoſophica, neque pœnâ æternâ digna? Puto, quòd non dicent, Neronem, Caligulam, Domitianum, alioſque, vel Atheos, vel veri Dei contemtores, enormibus cæteroquin flagitiis ſordidatos, ſurrecturos ad vitam, ponendos à dextris, ituros in vitam æternam; ergo dicere tenentur, ſurrecturos ad judicium, ponendos à ſiniſtris, ituros in ſupplicium æternum; ergo eorum crimina, quam-

quamvis ignorantiâ Deum, fuerunt theologicè mortalia, offenſa Dei, & pœnâ æternâ digna.

IX. Hinc exurgit fortiſſima ratio. Nam felicior eſſet ſors Atheorum, ac cæterarum gentium ſinè Deo, ac ſinè lege viventium, quàm eorum, qui Dei notitiâ imbuti ſunt; ſi eorum crimina, quamvis enormiſſima, non eſſent, niſi purè philoſophica, nec pœnâ æternâ digna: iſtorum autem peccata, etſi non adeo turpia, æterno eſſent plectenda ſupplicio. Dicamus ergo cum D. Paulo Rom. 2. v. 12. *Quicumque ſinè lege peccaverunt, ſinè lege peribunt, & quicumque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur.* Ideſt, ut ait D. Tho. ibi Lect. 1. *Quidam in futuro judicio peribunt, ſed non judicabuntur, ideſt, impii, qui ſunt ſinè fide, & lege Dei .... Joan. 3. Qui non credit, jam judicatus eſt. Alii verò, qui lege Dei, & fide ſuſceptâ peccant, ita peribunt, quòd etiam judicabuntur, quaſi quadam diſceptatione cum eis factâ ... ſicut & Rex, ut Gregorius dicit, hoſtes condemnat abſque audientia, cives autem cum diligenti audientia.*

X. Sed pro Patronis peccati philoſophici objicies D. Thomam 2. 2. *qu.* 20. *a.* 3. *in corp.* dicentem: *Si enim poſſet eſſe converſio ad bonum commutabile, ſinè averſione à Deo, quamvis eſſet inordinata, non eſſet peccatum mortale*: ſed peccatum philoſophicum aſſeritur eſſe converſionem ad bonum commutabile, ſinè averſione à Deo, quia vel eum non cognoſcit, vel de eo non cogitat; ergo ſecundum D. Th. poſſibile eſt peccatum philoſophicum, ideſt, morale, ſed non mortale.

XI. Nihil tamen eos juvat. Quis enim docuit arguere ab hypothetica conditionali ad categoricam abſolutam? Sanè ſi in forma arguendi peccaret, qui ſic diſcurreret: ſi poſſet dari converſio ad bonum commutabile, ſinè diſconvenientiâ naturæ rationali, & rationi rectæ, non eſſet peccatum, nec philoſophicum, nec morale; ergo de facto datur, aut dari poteſt converſio ad bonum commutabile, ſinè diſconvenientiâ rectę rationi: ita in forma arguendi peccant Adverſarii, dum ex hypotheſi impoſſibili factâ à D. Th. nimirum, quòd ſi daretur converſio ad bonum commutabile, ſinè averſione à Deo, eſſet quidem inordinata, ſed non eſſet peccatum mortale; inferunt, D. Tho. admittere, ut ſaltem poſſibilem, converſionem ad bonum commutabile, ſinè averſione à Deo: cùm ex eodem S. Doctore ſupra laudato conſtet, impoſſibile eſſe, aliquid eſſe contra ordinem rationis humanæ, & non eſſe contra Deum. Nam *ejuſdem rationis eſt, quòd peccatum ſit contra ordinem rationis humanæ, & quòd ſit contra legem æternam.*

XII. Nec tueri ſe poſſunt dicendo, ſe etiam loqui in hypotheſi, nempe, ſi, vel quando exiſtentia Dei ignoraretur invincibiliter.

Inanis enim eſt hæc evaſio. Nam Theſis oppoſita, ab Alexandro VIII. proſcripta abſolutè loquitur, non hypotheticè, aut conditionatè. En verba Theſis: *Peccatum philoſophicum quantumvis grave, in eo, qui Deum vel ignorat* (en ignorantia abſoluta, non conditionata) *vel de eo actu non cogitat, eſt grave peccatum, ſed non eſt offenſa Dei &c.* Sanè ſi fulmen Apoſtolicum non fuit vibratum ab Innocentio X. in phantaſinata Janſenii, ſed in hæreſim Janſenianam verè talem: nec Alexander VIII. feriit phantaſma peccati philoſophici, ſed errorem proſtravit, quem ejus Patroni in ſcholas Catholicas intrudere feriò tentabant.

XIII Neque ipſis favet, quòd Divus Thomas hâc *qu.* 71. *art.* 6. *ad* 5. dicat: *A' Theologis conſideratur peccatum, praeipuè ſecundùm quòd eſt offenſa contra Deum; à Philoſopho autem morali, ſecundùm quòd contrariatur rationi.* Quaſi quòd hìc D. Th. diviſerit peccatum in theologicum, & philoſophicum.

Nam S. Doctor non intendit duplex

Digitized by Google

peccatum, ſed duplicem conſiderationem ejuſdem, ſub diverſo reſpectu, & per ordinem ad diverſos fines. Ex quo non licèt inferre; ergo datur unum peccatum, & una malitia, ſinè alterâ; ſed ſolùm unam, eamdemque peccati malitiam, & gravitatem ſub diverſo reſpectu conſideratur à Theologo, ac à Philoſopho: eo modo, quo à Philoſopho conſideratur idem Deus, ut auctor naturæ, à Theologo, ut auctor gratiæ. Et circumſtantiæ humanorum actuum ſub diverſis conſiderationibus reſpiciuntur à Philoſopho morali, à Theologo, à Politico, & à Rhetorico, ſecundùm diverſos fines, ad quos ordinantur; quin valeat inferri, dari quadruplices circumſtantias, alias philoſophicas, alias theologicas &c. ſive duplicem Deum, unum auctorem naturæ, alium auctorem gratiæ.

§. III.

Poſterior Reſolutio.

XIV. Dico ſecundò. In eo, qui de Deo actu non cogitat, dum peccat, peccatum non eſt merè philoſophicum, & morale, ſed theologicum, & mortale diſſolvens amicitiam Dei, & pœnâ æternâ dignum. Hoc aſſertum deſtruit alteram partem damnatæ Theſis, in qua intolerabiliùs, & pernicioſiùs errat, quàm in priori. Dum enim ſolùm moraliter peccare aſſerit eum, qui Deum ignorat, vel inculpatè, vel etiam culpatè, errat quidem, ſed non adeo pernicioſè: at dum hoc idem extendit etiam ad eum, qui Deum cognovit, & de Deo actu non cogitat, pernicioſiſſimum errorem inſinuat. Quantam enim peccandi licentiam hinc ſument tot etiam ex Chriſtianis, qui in præſenti ſeculi corruptelâ vitiis, ac concupiſcentiis excæcati, eiſque ſervire unicè intenti, vix unquam de Deo cogitant; ſi noverint ejuſmodi peccata, in quibus habituati ſunt, ſibi ad pœnam æternam imputanda non fore?

XV. Contrarium tamen dicit David Pſalm. 9. v. 25. *Exacerbavit Dominum peccator.* Sed cur exacerbavit? Fuit ne ſemper in illo actualis de Deo cogitatio? Minimè verò. Imò hoc ipſum ei jure merito exprobratur, & peccato vertitur, quòd de Deo non cogitarit; ſeu Deum ſibi præſentem non præſixerit, & ex hoc ruerit in omnem nequitiam. v. 26. *Non eſt Deus in conſpectu ejus, inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore.* Hinc Pſalm. 49. v. 22. monet eos, qui Deum obliviſcuntur, ut caveant ab ira ejus: *Intelligite hæc, qui obliviſcimini Deum, nequando rapiat, & non ſit qui eripiat.*

XVI. Rursùs: Poſitâ opinione contrariâ, jam dicendum erit, duos illos Seniores, qui inſano amore honeſtam Suſannam deperierunt; quique ejus pudicitiam incaſſum aggreſſi, eam Judicibus tanquam adulteram lapidandam falsò denunciarunt, ſolius peccati philoſophici reos fuiſſe, nec æternâ pœnâ dignos. Etenim teſte *Daniele cap.* 13. libidine obcæcati, nec ad Deum, nec ad Cœlum reſpexerunt: *Exarſerunt* (inquit v. 8. &c.) *in concupiſcentiam ejus: & everterunt ſenſum ſuum, & declinaverunt oculos ſuos, ut non viderent Cœlum, neque recordarentur judiciorum juſtorum.* Et multò minùs de Deo eos cogitaſſe, credendum eſt; cùm ſolam in pomerio deprehenſam ad ſua illicita deſideria trahere contenderunt.

Idem dicendum erit de uxore Putipharis, dum Gen. 39. v. 7. *Injecit oculos in Joſeph, & ait, dormi mecum.* Idem de Ammone dum 2. *Reg. cap.* 13. Thamar ſororem ſuam violavit. Idem de magno numero Chriſtianorum, qui quo magis vitiis, ac concupiſcentiis ſerviunt, eò minùs de Deo cogitant; hos, nempe, peccato ſolùm morali, & philoſophico peccare, nec in criminibus, etſi enormiſſimis, Deum offendere, nec pœnâ æternâ cruciandos eſſe, quia de Deo actu non cogitantes ea admiſere. Quo quid horribilius?

Digitized by Google

XVII. Præterea: Poſito ſecundùm opinionem contrariam, quòd qui peccat, actu de Deo non cogitans, non peccat peccato diſſolvente amicitiam Dei; ſequitur, quòd qui in Baptiſmo unà cum gratia amicitiam Dei contraxit, ſi poſtea Dei oblitus, nec de ipſo ampliùs actu cogitans, totâ vitâ in cæno peccatorum enormium volutetur, ſemper retineat amicitiam Dei; & ſi in tali ſtatu, nil de Deo cogitans, moriatur, vitam æternam amicis Dei promiſſam, conſequatur. Uno verbo, quòd ſoli illi, qui in conſpectu ſuo Deum habentes peccant, inimici Dei ſiant; & ſi tales moriantur, ſint ad inferna detrudendi: qui verò Dei memoriam à mente, & corde obliterantes, vitam in criminibus duxerunt, fornicarii, adulteri, raptores, maſculorum concubitores, in amicitia Dei perſeverarint; & ſi tales moriantur, Regnum Dei ſint poſſeſſuri: quod erit magnis peccatoribus infernum claudere, & Cœlum aperire.

XVIII. Explicatur magis hoc. Supponamus, aliquem in infantia apud Chriſtianos baptizatum, vix triennem ad Barbaros deportari; & ab ipſis abſque ulla Dei cognitione educatum, brutalibus eorum moribus imbui; nec ullam veri Dei, aut Chriſti ideam habentem, vitiis, & obſcænitatibus totam vitam tranſigere, & in tali ſtatu mori: iſtius crimina, ſecundùm Adverſarios, non erunt niſi philoſophica, nec diſſolvent amicitiam Dei, quam in Baptiſmo contraxit, nec erunt pœnâ æternâ digna; ergo ſic moriens, vitam æternam conſequitur. Si ergo ad illas partes Miſſionarius accederet, ut ejus ſaluti conſuleret; deberet potiùs ipſum in Dei ignorantia relinquere, quàm Dei notitiâ imbuere: aliàs ipſum in periculum ſuæ ſalutis conjiceret, ſi cum tali notitia peccaret; ubi in ſua ignorantiâ perſeverans, de amicitia Dei, & ſuâ ſalute eſt ſecurus Multa alia eſſent afferenda: ſed hic ex illis erroribus eſt, quos indicaſſe, ſuperaſſe eſt. Unde peccati philoſophici inventoribus cum S. Hieronymo *Ep. 43. ad Cteſiphontem de Pelagianis*, dicam; *Sententias veſtras prodidiſſe, ſuperaſſe eſt. Patet primâ fronte blaſphemia. Non neceſſe habet convinci, quod ſuâ ſtatim profeſſione blaſphemum eſt.*

XIX. Veritas ergo Catholica eſt, ad mortaliter peccandum, actualem de Deo cogitationem non requiri: ſed verè, formaliter theologicè peccare eum, qui, eſtò de Deo actu non cogitet, potuit tamen, & debuit de Deo cogitare, vel reflectere ad Deum, aut ad gravitatem peccati involuentis malitiam, offenſam Dei, ejuſque legis, & proinde pœnâ æternâ digni. Cùmque omnis homo ratione utens id poſſit, & debeat; omnis homo, ex quo peccat, mortaliter, & theologicè peccat. Ita enim docuit S. Thom. 1. 2. *q.* 74. *a.* 7. *ad* 2. his verbis; *Ex hoc ipſo, quòd ratio ſuperior non dirigit actus humanos ſecundùm legem divinam, non impediens actum peccati, dicitur ipſa conſentire, ſive cogitet de lege æterna, ſive non. Cum enim cogitat de lege Dei, actu eam contemnit; cum verò non cogitat, eam negligit per modum omiſſionis cujuſdam.* Ad quæ ſi reſpexiſſent Auctores oppoſiti, à ſuo peccato philoſophico excogitando abſtinuiſſent. Hæc pro mei Candidati inſtructione ſufficiant.

QUÆSTIO II.

De Peccato Commiſſionis, & Omiſſionis.

Explicatâ peccati naturâ, procedimus ad ejus varias ſpecies examinandas: inter quas celebris eſt ſpecies peccati commiſſionis, & omiſſionis. Priuſquam tamen de hac tractemus, generalem peccati diviſionem inſtituemus; & unde diverſitas ſpeciei in peccatis ſumatur, aſſignabimus.

DU-

Digitized by Google

DUBIUM I.

Unde ſumatur Diſtinctio Specifica Peccatorum.

§. I.

Species Peccatorum recenſentur.

I. Prima peccati diviſio eſt in originale, & perſonale. Peccatum originale eſt, quod ab Adamo per originem derivatur in Poſteros. Perſonale eſt illud, quod propriâ peccantis voluntate committitur, nec ab alio trahitur. De priori abundè locuti fuimus *Thom. 6. in 1. p. à qu. 7. uſque ad* 10. ubi ejus exiſtentiam, eſſentiam, ſubjectum, & effectus examinavimus. De poſteriori hìc, & in ſequentibus ſermo erit.

II. Secunda peccati diviſio eſt in actuale, & habituale. Primum eſt actus malus, vel omiſſio actualis alicujus præcepti. Secundum verò eſt quædam macula in anima ex peccato actuali relicta; & in ea remanet, donec per gratiam juſtificantem auferatur: de qua infra.

III. Tertia eſt in peccatum commiſſionis, & omiſſionis. Illud conſiſtit in poſitione alicujus actus mali; iſtud in non poſitione alicujus actus debiti. Primum pugnat cum præcepto negativo, ponens actum, qui jubetur non poni. Secundum pugnat cum affirmativo, negligens ponere actum, qui jubetur poni. Hanc diviſionem in præſenti quæſtione expendemus.

IV. Quarta eſt in peccatum mortale, & veniale. Primum ſic dicitur, quia infert mortem animæ, eam privando gratia ſanctificante, quæ eſt vita ſupernaturalis animæ, ſicut anima eſt vita naturalis corporis. Secundum verò veniale dicitur, non quia præcisè veniam à Deo obtineat; ſed quia comparatè ad mortale leve eſt, quia naturâ ſuâ hominem à Deo non avertit, nec ipſum privat gratiâ, & caritate. Sed de hoc qu. ſequenti.

V. Quinta eſt in peccata ſpiritualia, & carnalia. De his agit D. Tho. 1. 2. *q.* 72. *a.* 2. dicens: *Illa peccata, quæ perficiuntur in delectatione ſpirituali, vocantur peccata ſpiritualia: illa verò, quæ perficiuntur in delectatione carnali, vocantur peccata carnalia: ſicut gula, quæ perficitur in delectatione ciborum, & luxuria, quæ perficitur in delectatione venereorum. Unde & Apoſtolus dicit* 2. Cor. 7. *Emundemus nos ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus.* Peccata ſpiritualia plus habent de averſione, quàm de converſione; ideoque ſunt graviora quoad culpam. Carnalia verò plus habent de converſione, quàm de averſione; unde quoad culpam ſunt minùs gravia. Sunt tamen quoad adhæſionem majora: quia ut docet D. Tho. q. 73. a. 5. *Peccata carnalia habent vehementius impulſivum, ideſt, ipſam concupiſcentiam carnis in nobis innatam.* Sunt etiam majoris infamiæ: ut enim ex Greg. *lib.* 33. *Moral c.* 11. modò 12. refert D. Thom. *a.* 5. citato in arg. ſed contra: *Peccata carnalia ſunt minoris culpæ, & majoris infamiæ, quàm ſpiritualia.* Et ideo homines, qui in peccato non tàm Dei offenſam verentur, quàm propriam ignominiam, magis de illis, quàm de iſtis verecundari ſolent. Unde Gregorius laudatus: *Scimus autem* (inquit) *quia aliquando minus eſt in corporis corruptionem cadere, quàm cogitatione tacitâ ex deliberata elatione peccare: ſed cum minùs turpis ſuperbia creditur, minùs vitatur. Luxuriam verò eò magis erubeſcunt homines, quò ſimul omnes turpem noverunt.* Rationem autem huius turpitudinis & erubeſcentiæ dat D.Th. citato *a.* 5. *ad* 3. Quia in peccatis carnalibus minùs homo participat de ratione, & cum brutis convenit: unde ait Philoſophus in 3. Ethic. c. 10. quòd *peccata intemperantiæ ſunt maximè exprobrabilia, quia ſunt circa illas delectatio-*

Digitized by Google

ctationes, quæ ſunt communes nobis, & brutis. Unde (infert D. Thom.) *quodammodo per iſta peccata homo brutalis redditur.*

VI. Sexta eſt in peccata, quæ in Deum, proximum, & ſeipſum perpetrantur. Ut enim docet D. Thom. hâc q. 72. a. 4. *Peccatum eſt actus inordinatus. Triplex autem ordo in homine eſſe debet. Unus quidem ſecundùm comparationem ad regulam rationis... Alius autem ordo eſt per comparationem ad regulam divinæ legis, per quam homo in omnibus dirigi debet. Et ſi quidem homo naturaliter eſſet animal ſolitarium, hic duplex ordo ſufficeret: ſed quia homo eſt naturaliter animal politicum, & ſociale, ut probatur in 1. Polit. c. 2. ideo neceſſe eſt, quòd ſit tertius ordo, quo homo ordinetur ad alios homines, quibus convivere debet.* Quando ergo homo à ſecundo ordine deficit, detrahens Deo amorem, & reverentiam, dicitur peccare in Deum; ſicut hæreticus, ſacrilegus, & blaſphemus. Quando deviat à primo ordine, & ſeipſum, ac paſſiones ſuas ratione non regulat, peccat in ſeipſum; ut avarus, guloſus, luxurioſus. Quando autem à tertio ordine recedit, nec ſervat proximo jus debitum, aut offendit humanam ſocietatem, cui naturaliter jungitur, tunc dicitur peccare in proximum; ut fures, homicidæ, adulteri. Nota tamen cum D. Th. relato ad 1. *Quòd peccare in Deum, ſecundùm quòd ordo, qui eſt ad Deum, includit omnem humanum ordinem, eſt commune omni peccato. Sed quantùm ad id, quod ordo Dei excedit alios duos ordines, ſic peccatum in Deum eſt ſpeciale peccatum.*

VII. Septima eſt in peccata cordis, oris, & operis; quæ tamen, ut docet D. Thom. hâc *q.* 72. *a.* 7. eſt potiùs diviſio in diverſos gradus ejuſdem peccati, quàm in diverſa ſpecie peccata. Nam *ſicut ædificatio eſt completa generatio domus; collocatio autem fundamenti, & erectio parietis ſunt ſpecies incompletæ*, ſeu diverſi gradus ædificationis domus; ita in peccato *conſummatio peccati eſt in opere; unde peccatum operis habet ſpeciem completam. Sed prima inchoatio ejus eſt quaſi fundatio in corde. Secundus autem gradus eſt in ore, ſecundùm quòd homo prorumpit ad manifeſtandum conceptum cordis. Tertius autem gradus jam eſt in conſummatione operis.... Iracundus enim ex hoc, quòd appetit vindictam, primò quidem perturbatur in corde, ſecundò in verba contumelioſa prorumpit, tertiò verò procedit uſque ad facta injurioſa.* Hæc D. Thom. Quod explicari etiam poteſt in peccato luxuriæ, in quo eſt primò corruptio cordis, nempe, cogitatio, & deſiderium; deinde manifeſtatio, & locutio; ultimò exterior conſummatio.

VIII. Octava eſt in peccata ex infirmitate, ſeu ex paſſione, ex ignorantia, & ex malitia. Priora ſunt, quæ ex gravi aliquâ tentatione, & motione appetitus ſenſitivi oriuntur. Secundi generis ſunt, quæ ex ignorantia culpabili, & vincibili procedunt. Tertii, quæ plenâ libertate, & voluntate, nullâ paſſione incitante, & nullâ ignorantiâ excuſante committuntur.

IX. Nona, & ultima eſt in peccata propria, & aliena. Propria ſunt, quæ ab ipſo peccante committuntur. Aliena autem, quæ licèt ab alio committantur, nobis tamen imputantur, quia ea, vel noſtro conſilio, vel ſuaſione, vel adulatione, vel protectione, aut præcepto patrata ſunt. Aliter ex Auguſt. ſuper illa verba *& ab alienis parce ſervo tuo* (enarrat 2. in Pſalm. 18.) peccata aliena ea ſunt, quæ ex aliorum ſuaſione committimus, propria, quæ nullo ſuadente, aut inſtigante perpetramus: *Tolle mihi* (inquit) *ex corde malam cogitationem, repelle à me malum ſuaſorem: hoc eſt*: Ab occultis meis munda me, & alienis parce ſervo tuo. *Nam iſta duo genera delictorum, propria ſimul & aliena, etiam primitùs in exordio claruerunt. Diabolus ſuo delicto cecidit, Adam*

Digitized by Google

Adam alieno dejecit. Non pauca ad explanationem dictorum videre poterit Lector *Tract. de Voluntario, & de actibus humanis*. Nunc ad Dubii reſolutionem accedamus.

§. I.

Reſolutio Dubii.

X. De duobus poteſt eſſe difficultas, de præcepto, & de objecto; nimirum, unde ſumatur diſtinctio ſpecifica peccatorum: an ex objectis, quæ reſpiciunt; an ex præceptis, quibus opponuntur. Circa quod obſervandum eſt, diſtinctionem præceptorum ex duplici capite poſſe deſumi. Primò ex parte principii, ſeu præcipientis: quâ ratione differunt præcepta juris divini, & humani, naturalis, & poſitivi. Secundò ex parte objecti, ſeu rei præceptæ: ſicut diſtinguuntur præcepta, quæ dantur de actibus diverſarum virtutum, aut de actibus ejuſdem virtutis ſpecie diverſis.

XI. Dico primò. Peccata diſtinguuntur ſpecificè ex diverſitate ſpecificâ objectorum, non ex diverſitate ſpecificâ præceptorum ex parte præcipientis. Eſt contra aliquos. Communiter tamen traditur, & præcipuè à D. Thom. hic *q.* 71. *a.* 1. cujus ratione ſic probatur. Ab eo ſumit peccatum ſuam unitatem, vel diſtinctionem ſpecificam, quod eſt per ſe intentum à peccante, non ab eo, quod eſt intentum ſolùm per accidens: ſed quod per ſe intenditur à peccante, eſt voluntariè ſe exercere circa tale, vel tale objectum, quia intendit talem actum in tali materia, puta luxuriæ, vel furti: quòd autem tali actu recedat à lege, vel præcepto, per accidens ſe habet, nullus enim intendens ad malum operatur; ergo unitas, vel diſtinctio peccatorum ſpecifica ſumitur ab objecto, ad quod ſe convertit, non à præcepto, à quo recedit. Hinc furtum eſt unicum ſpecie peccatum, quamvis de facto lege divinâ, naturali, & humanâ prohibeatur; & qui furatur, ab hiſce tribus legibus ſpecie diverſis deordinet, ac recedat.

XII. Confirmatur. Peccatum actuale ſe habet ad modum cujuſdam motus, in quo lex, ſeu præceptum ſe habet ut terminus, à quo recedit, & ſe avertit; objectum autem ſe habet ut terminus, ad quem ſe convertit: ſed motus, ut docent Phyſici, non ſpecificatur, aut diſtinguitur à termino à quo, ſed à termino ad quem: unde licèt terminus à quo ſpecie differat, ſi tamen terminus ad quem ſit ejuſdem ſpeciei, motus ſunt ejuſdem ſpeciei; ergo &c.

XIII. Dico ſecundò. Quando res præcepta, aut prohibita eſt diverſa, vel præcipitur, aut prohibetur ex diverſo motivo intrinſeco, tunc ex diverſitate præceptorum inducitur diverſitas ſpecifica in peccatis. Et ratio eſt: quia quoties præcepta differunt ex parte rei præceptæ, vel prohibitæ, aut ex parte motivi intrinſeci, & proximi prohibendi; peccata illis oppoſita habent diſtinctum objectum formale, nempe, diverſam difformitatem legi, & regulis morum, & diverſis virtutibus opponuntur. Quapropter Divus Thomas hâc *qu.* 72. *a.* 8. *&* 9. *in corp.* ait: *Ubi occurrit aliud motivum ad peccandum, ibi eſt alia peccati ſpecies; quia motivum ad peccandum eſt finis, & objectum*. Quare qui violenter percuteret Clericum, aut ſanguinem effunderet in loco ſacro; committeret peccatum duplicis ſpecie malitiæ, injuſtitiæ nempe, & ſacrilegii: quia hujuſmodi actus eſt circa rem, jure naturali, & poſitivo, ex duplici motivo ſpecie diverſo, prohibitam; nempe, ex motivo juſtitiæ à lege naturali, & ex motivo Religionis à jure poſitivo Eccleſiaſtico. Idem dic de eo, qui voto adſtrictus de non comedendo carnes, eas comederet die veneris, aut tempore Quadrageſimæ: is enim ratione duplicis præcepti, quo ſub duplici motivo comeſtio carnium ſibi eſt vetita, nempe, divini Religionis, propter

votum,

votum, & Eccleſiaſtici abſtinentiæ, propter præceptum Eccleſiæ, unico actu duplex peccatum ſpecie committeret, ſacrilegii, & intemperantiæ: quia ille actus duplicem haberet privationem conformitatis cum lege, & duplici virtuti opponeretur. Et idem de aliis dicito.

§. III.

Solutio Oppoſitorum.

XIV. Oppones primò contra primam aſſertionem. Peccatum mortale, & veniale differunt ſpecie: ſed hæc interdum verſantur circa idem objectum, ut patet in venialibus, quæ talia ſunt ex defectu plenæ deliberationis, vel ex parvitate materiæ; ergo diſtinctio ſpecifica peccatorum non ſumitur ex objecto.

XV. Reſpondent multi, diſt. min. Circa idem objectum materialiter, & in eſſe phyſico, conc. min. Formaliter, & in eſſe morali, nego min. Nam in eſſe morali objectum, in quod fertur venialiter peccans, utpote deordinans ſolùm circa ea, quæ ſunt ad finem, non verò circa finem, eſt in eſſe morali ſpecie diverſum ab objecto peccantis mortaliter.

XVI. Hoc viſus eſt indicaſſe Divus Thomas hîc *1. 2. q. 72. a. 5.* Cùm differentia peccati venialis, & mortalis ſe teneat ex parte averſionis, quæ ſolùm per accidens ſe habet, non ex parte converſionis, quæ per ſe in peccato intenditur, ut ſupra diximus; differentia peccati venialis, & mortalis non poteſt eſſe differentia conſtituens diverſitatem ſpeciei. Unde ibidem ad 1. *Dicendum* (inquit) *quòd peccatum mortale, & veniale differunt in infinitum ex parte averſionis; non autem ex parte converſionis, per quam reſpicit objectum, unde peccatum ſpeciem habet. Unde nihil prohibet, in eadem ſpecie inveniri aliquod peccatum mortale, & veniale: ſicut primus motus in genere adulterii eſt peccatum veniale; & verbum otioſum, quod plerumque eſt veniale, poteſt eſſe mortale.* Idem docet Q. 7. *de Malo a. 1.* ſed de hoc quæſt. ſequenti.

XVII. Oppones ſecundò. D. Thomas *q. 2. de Malo a. 6.* dicit: *Si verò aliqua eſſent peccata ſolùm, quia prohibita; in his rationabile eſſet, ut ſecundùm differentiam præceptorum ſpecie peccata differrent*; ergo ex ſola diverſitate &c.

XVIII. Reſpondeo, D. Thomam loqui in hypotheſi, quòd aliqua eſſent peccata ſolùm quia prohibita; itaut res prohibita non haberet pro motivo exercitium alicujus virtutis, aut vitationem alicujus peccati. Præmiſerat enim: *Nec eſt dicendum, quòd differant ſpecie* (peccata) *ſecundùm differentiam præceptorum; ſed magis è converſo præcepta diſtinguuntur ſecundùm differentiam virtutum, & vitiorum: quia præcepta ad hoc ſunt, ut ſecundùm virtutem operemur, & peccata vitemus.* Deinde ſubjungit verba ab arguente allata *Si: verò* &c.

XIX. Oppones tertiò. Si peccata ſumerent ſpeciem ex objecto, ea eſſent in malitia eſſentiali graviora, quæ verſantur circa objectum magis grave; ea autem eſſent leviora, quæ objectum minùs grave reſpiciunt: at hoc eſt falſum. Primò. Nam occiſio Chriſti fuit gravius peccatum, quàm blaſphemia, vel odium Dei; unde *3. p. q. 47. a. 6.* docet S. Tho. fuiſſe graviſſimum: & tamen primum eſt contra humanitatem, ſecundum contra divinitatem. Secundò. Periurium, & blaſphemia eſt peccatum minùs grave, quàm homicidium, cùm mitiùs puniatur: & tamen habet objectum gravius, cùm ſit contra Deum, & cultum ei debitum; homicidium verò contra proximum.

XX. Reſpondeo, neg. min. Ad primam probat. neg. min. Peccatum enim crucifigentium Chriſtum, dum fuit contra humanitatem ſubſiſtentem ſubſiſtentiâ divinâ, fuit immediatè etiam contra divinitatem. Nam verè Dei Filius

Digitized by Google

ſtus in humanâ, & divina naturâ ſubſiſtens, fuit occiſus in humanitate aſſumta; unde convenit cum odio Dei, quia immediatè eſt contra Deum: & aliunde excedit, quia odium Dei ſolùm moraliter Deum offendit; at occiſio Chriſti phyſicè lædendo humanitatem, quæ hypoſtaticè erat Dei, etiam phyſicè aliquid Dei læſit.

XXI. Ad ſecundam, prob. min. nego maj. Ut enim docet D. Tho. 2. 2. q. 13. a. 3. ad 1. *Homicidium, & blaſphemia, ſi comparentur ſecundùm objecta, in qua peccatur, manifeſtum eſt, quòd blaſphemia, quæ eſt directè peccatum in Deum, præponderat homicidio, quod eſt peccatum in proximum: ſi autem comparentur ſecundùm effectum nocendi, ſic homicidium præponderat; plus enim homicidium nocet proximo, quàm blaſphemia Deo. Sed quia in gravitate culpæ magis attenditur intentio voluntatis perverſæ, quàm effectus operis ...., ideo cum blaſphemus intendat nocumentum inferre honori divino, ſimpliciter loquendo, graviùs peccat, quàm homicida. Homicidium tamen primum locum tenet in pœnis, inter peccata in proximum commiſſa.* Idem docet de periurio *Quolib.* 1. *a.* 18. Nec obſtat, quòd graviùs puniatur inter homines homicidium, quàm periurium. Nam, ut ibi ait: *In judicio humano non ſemper quantitas pœnæ reſpondet quantitati culpæ: interdùm enim infligitur major pœna pro minori culpâ, quando gravius nocumentum imminet hominibus ex minori culpa. Sed ſecundùm Dei judicium gravior culpa graviori pœnâ punitur.*

XXII. Gradus autem gravitatis inter peccata exponit idem S. D. Q. 2. *de Malo a.* 10. his verbis: *Gravitas ergo peccati, quam habet ex ſpecie ſuâ, attenditur ex parte objecti, ſive materiæ. Et ſecundùm hanc conſiderationem gravius peccatum dicitur ex ſuo genere, quod majori bono virtutis opponitur: unde cùm bonum virtutis conſiſtat in ordinatione amoris, ut Auguſtinus dicit, Deum autem ſuper omnia diligere debeamus; peccata, quæ ſunt in Deum, ſicut idolatria, blaſphemia, & hujuſmodi, ſecundùm genus ſuum, ſunt reputanda graviſſima. Inter peccata autem, quæ ſunt in proximum, tantò aliqua ſunt aliis graviora, quantò majori bono proximi opponuntur. Maximè autem bonum proximi eſt ipſa vita hominis, cui opponitur peccatum homicidii, quod tollit actualem hominis vitam; & peccatum luxuriæ, quod opponitur vitæ hominis in potentia, quia eſt inordinatio quædam circa actum generationis humanæ. Unde inter omnia peccata, quæ ſunt in proximum, gravius eſt homicidium, ſecundùm genus ſuum; & ſecundum locum tenet adulterium, & fornicatio, & huiuſmodi peccata carnalia. Tertium autem locum tenet furtum, & rapina, & hujuſmodi, per quæ in exterioribus bonis læditur proximus.*

XXIII. Oppones quartò. Peccatum ideo eſt, quia dicit difformitatem ad leges, quæ ſunt regulæ morum; ergo cum dicit difformitatem ad diverſas leges, puta, naturalem, divinam, & humanam, erit in diverſis ſpeciebus moralitatis. Eò vel maximè, quòd unaquæque lex ſuam imponat obligationem: unde cùm violentur diverſæ leges, violantur diverſæ obligationes.

XXIV. Reſpond. neg. conſeq. Tunc enim ſolùm difformitas ad diverſas leges inducit diverſitatem malitiæ, quando diverſitas eſt, nedum ex parte præcipientis, ſicut eſt in lege naturali, divinâ, & humanâ; ſed etiam ex parte rei præceptæ, vel prohibitæ, aut motivi formalis. Diverſitas autem ex parte rei præceptæ, vel prohibitæ, aut motivi formalis, inducit diverſitatem formalem in objecto. Unde ſemper ſtat, quòd ex objecto ſumatur diverſitas ſpecifica peccatorum. Idem dico de obligatione. Cum enim diverſæ leges eamdem rem ſub eodem motivo præcipiunt, vel prohibent; una eſt obligatio, quam prima lex imponit, cæteræ autem confirmant.

Nec refert dicere, tres perfectas leges

Digitized by Google

ges habere diverſos fines, & proinde diverſa objecta, & motiva. Nam finis legis naturalis eſt rectificatio voluntatis ad finem naturalem; divinæ, ad finem ſupernaturalem; & humanæ ad finem politicum humanæ ſocietatis — Nam fines illi ſunt fines ſolùm extrinſeci, & præcipientis, ſeu Legiſlatoris; non rei præceptæ, & prohibitæ, & intrinſeci. Prohibitio enim furti, niſi adveniat novum motivum; ſive fiat à lege naturali, ſive divinâ, ſemper habet idem motivum intrinſecum, nempe, conſervationem boni proximi. Diverſitas autem ſpecifica ex fine intrinſeco, & proximo ſolùm penſatur.

XXV. Opponeſ quintò. Sola diverſitas præceptorum ſufficit ad diſtinguendas ſpecies inobedientiæ: inobedientia enim legi divinæ diverſæ ſpeciei eſt ab inobedientia legi humanæ; ergo ſufficiet quoque ad diſtinguenda ſpecie alia peccata.

XXVI. Reſpond. neg. conſeq. & diſcrimen eſt. Quia alia peccata reſpiciunt violationem præcepti, ſeu receſſum à lege, per modum termini à quo, ut ſupra dictum eſt, & ut non per ſe intentum; ideoque non dat actui ſpeciem: at inobedientia reſpicit præceptum, ut violandum, potiùs per modum termini ad quem, & proprium objectum. Sicut enim materia propria obedientiæ eſt præceptum Superioris, ut obſervandum; ſic propria materia, & objectum inobedientiæ eſt idem præceptum, ut violandum. Unde inſtantia noſtram potiùs firmat rationem, quàm enervet.

XXVII. Tandem dices. Comeſtio carnis ſecundùm ſe eſt indifferens, & intantùm fit mala, quia lege prohibita; ergo malitia moralis ex lege ſumitur, non ex objecto.

Reſpondeo, diſt. conſ. Non ex objecto ſecundùm ſe, & phyſicè ſumto, conc. conſ. Non ex objecto, ut regulis rationis diſſono, nego conſequentiam. Eo enim ipſo, quòd quis comedit carnes contra præceptum, illa comeſtio evadit rationi diſſona, & fit objectum actus peccaminoſi.

DUBIUM II.

Per quid conſtituatur Peccatum Commiſſionis.

§. I.

Præmittuntur aliqua.

I. Conſtat ex Dubio præcedente §. 1. peccatum, inter alias ſpecies, dividi in peccatum commiſſionis, quod conſiſtit in poſitione actus mali; & omiſſionis, quod conſiſtit in non poſitione actus boni, & debiti. Nunc de peccato commiſſionis inquirimus, per quid conſtituatur in ratione mali moralis.

II. Malum naturam quamdam, & ſubſtantiam eſſe aſſerebant Manichæi, quos redarguit S. Auguſtinus *l. 2. de Moribus Manichæorum c. 8.* & *l. 3. Op. imperf. contra Julian. c. 189.* dicens: *Sed illi ſic dicunt malam carnis naturam, ut eam malam eſſe dicant, non malum habere; quia ipſum vitium non ſubſtantiæ accidens, ſed ſubſtantiam putant eſſe.* Cujus oppoſitum ex eo alibi demonſtrat, quia malum, vitium eſt naturæ nocens: malum autem non nocet niſi bono; nec malum eſſet vitium naturæ, ſi natura ipſa eſſet vitium, & malum. Malum ergo eſt accidens naturæ adveniens, eamque vitians, & bonam corrumpens. Hoc autem accidens non poſitivum, ſed privativum eſſe, nimirum, privationem boni, oſtendit, præſertim *in Enchiridio c. 11.* dicens: *Quid eſt autem aliud, quod malum dicitur, niſi privatio boni? Nam ſicut corporibus animalium nihil eſt aliud morbis, & vulneribus affici, quàm ſanitate privari (neque enim id agitur, cùm adhibetur curatio, ut mala iſta, quæ inerant, id eſt, morbi, ac vulnera, recedant hinc, & alibi ſint, ſed utique ut non ſint. Non enim ulla ſubſtantia, ſed carnalis ſubſtantiæ vi-*

Digitized by Google

tium eſt vulnus, aut morbus: cum caro ſit ipſa ſubſtantia, profectò aliquod bonum, cui accidunt iſta mala, ideſt, privationes ejus boni, quod dicitur ſanitas) ita & animorum quæcumque ſunt vitia, naturalium ſunt privationes bonorum; quæ cum ſanantur, non aliquò transferuntur, ſed ea, quæ ibi erant, nuſquam erunt, quando in illa ſanitate non erunt.

III. Malum autem in tribus poteſt contingere, nimirum, naturalibus, artificialibus, & actibus moralibus, ſeu voluntariis; unde triplex eſt malum, naturale, artificiale, & morale. Primum dicitur illud, quod privat ſubjectum aliqua perfectione naturali, & connaturaliter debitâ: unde morbus eſt malum naturale animalis; quia privat animal ſanitate, quæ eſt ei connaturaliter debita. Secundum eſt illud, quod privat artefactum perfectione aliqua ſibi debitâ juxta regulas artis; ut cum imago ſuâ debitâ proportione caret. Tertium verò eſt illud, quod privat actum rationalis creaturæ rectitudine ſibi debitâ; puta, vel ordine ad debitum finem, vel debitis circumſtantiis, vel commenſuratione ad legem, & rectam rationem. Et de hoc malo, quod vulgò peccatum dicitur, agimus in præſenti. Pro quo

IV. Noto in actu malo morali, ſeu peccato commiſſionis reperiri ſubſtantiam actus, nempe, entitatem realem, & phyſicam actionis circa objectum; & diſſonantiam objecti, & actionis legi divinæ, ac rectæ rationi, ex qua plures privationes ſequuntur, nimirum privatio converſionis ad Deum, ſeu averſio à Deo, privatio gratiæ &c. His poſitis, quæſtio præſens ad hoc devolvitur: an cùm in actu malo ſit quid poſitivum, nempe, converſio ad objectum diſſonum, & quid privativum, nempe, diſſonantia, ſeu receſſus à lege, vel privatio debitæ rectitudinis; ratio formalis conſtitutiva peccati in poſitivo converſionis, an verò in privativo unicè locanda ſit. Et procedit quæſitum de peccato commiſſionis. Nam peccatum omiſſionis conſiſtere in privativo, nempe, in carentia poſitionis actus debiti, ex ipſis terminis conſtat.

V. Quæſtionem hanc celebrem reddidit diſſenſio inter Theologos, etiam noſtræ Scholæ: quorum aliqui tenent, peccatum commiſſionis formaliter conſiſtere in poſitivo. Ita Gonet cum aliis. Alii in poſitivo ſimul, & privativo. Alii in privativo ſolùm, nempe, in carentia debitæ rectitudinis. Cùmque in hoc non ſit ſatis aperta mens S. Thomæ, & quilibet eum in ſuam ſententiam trahere conetur; ideo omnes præfatæ tres opiniones ſuam habent probabilitatem. Quænam autem nobis magis arrideat, ſequentibus exponemus.

§. I I.

Reſolutio Dubii.

VI. DIco. Salvâ probabilitate cæterarum, probabilior nobis videtur opinio conſtituens peccatum pro formali in privatione rectitudinis debitæ. Quo non nego, in peccato commiſſionis aliquid poſitivum reperiri: ſed dico, quòd cùm peccatum commiſſionis ſit converſio inordinata ad objectum diſſonum legi; id, quod conſtituit eſſentialiter actum malum, & facit formaliter peccatum, eſt diſſonantia legi, ſeu inordinatio talis converſionis, ſeu defectus à recto ordine morali. Et mihi ſuadeo primò hoc diſcurſu. Id formaliter conſtituit peccatum, ſeu actum humanum in ratione mali moralis, quo intellecto, ſtatim concipitur actus humanus moraliter malus; & quo non intellecto actus moraliter malus non concipitur: ſed conceptâ converſione ad bonum, non conceptâ inordinatione, ſeu defectu rectæ ordinationis, non concipitur peccatum, ſeu actus moraliter malus; cùm converſio ad bonum ſit communis etiam actui moraliter bono: eâ verò conceptâ, ſtatim concipitur actus moraliter malus, ut ab actu moraliter bono diſtinctus; ergo &c.

VII.

VII. Confirm. Eodem modo diſcurrendum eſſe videtur de malo morali, ac de malo naturali, & artificiali: ſed malum naturale, & artificiale formaliter, & eſſentialiter conſiſtit, non in aliquo poſitivo, ſed in puro defectu, quo non intellecto, non concipitur malum; ergo &c. Maj. patet ex Auguſtino ſupra laudato comparante vitia animi vitiis corporis. Min. verò probatur. Intellecto ſolo motu progreſſivo, & non intellectâ curvitate, & defectu, non concipitur formalis claudicatio: intellectâ ſolâ diſpoſitione colorum in imagine, & non conſiderato defectu à regulis artis, non concipitur imago defectuoſa: & non intellectâ inordinatione humorum in corpore animalis, non intelligitur infirmitas; ergo &c.

VIII. Hinc quando Doctores adverſi dicunt, peccatum formaliter conſiſtere in poſitivo, nempe, in converſione ad objectum, ut regulis morum difforme; vel volunt, difformitatem illam in objecto, & actu importari de formali in peccato, & converſionem ſolùm de materiali, & velut ſubjectum: & ſic diſſonantia illa, ſeu privatio conformitatis, & rectitudinis erit formale peccati conſtitutivum. Vel volunt, ſolam converſionem ad objectum ſe habere, ut formale, difformitatem verò, & privationem rectitudinis ſolùm ex conſequenti; & ſic non habetur adhuc peccatum: cùm non habeatur, niſi ſola converſio ad bonum; ergo, ut habeatur formaliter converſio mala moraliter, oportet, ut concipiatur, ſicut in objecto, ita in converſione ad ipſum inordinatio, vel privatio rectitudinis in eſſe morali.

IX. Probatur ſecundò ratione communi, & efficaci. Omne ens poſitivum, quod non eſt Deus, eſt creatum à Deo: atqui peccatum, ſecundùm rationem formalem peccati, non eſt creatum à Deo; ergo peccatum, ſecundùm rationem formalem peccati, non eſt quid poſitivum. Min. certa eſt. Tùm quia *Sap. 11. v. 25.* de Deo dicitur: *Diligis enim omnia, quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti; nec enim odiens aliquid conſtituiſti, aut feciſti:* atqui Deus odit peccata, Sap. 14. v. 9 *Odio ſunt Deo impius, & impietas ejus*. Tùm quia 1. ad Timoth. 4. v. 4. *Omnis creatura Dei bona eſt*. Et Eccleſiaſtæ 3. v. 11. *Deus cuncta fecit bona in tempore ſuo*. Et Gen. 1. v. 31. *Viditque Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona*. Peccatum autem, formaliter conſideratum, non eſt bonum. Tùm quia peccatum, pro formali, non habet cauſam efficientem, ſed deficientem: Deus autem eſt cauſa efficiens, non deficiens.

X. Confirm. Peccatum eſt defectus à regula: atqui non eſt formaliter peccatum, inquantùm eſt actus, ſic enim eſt ens, & quoddam bonum, & à Deo; ergo erit formaliter peccatum, inquantùm eſt defectus à regula: ſed defectus à regula eſt privatio rectitudinis, ſeu conformitatis ad regulam; ergo peccatum conſiſtit formaliter in privatione.

XI. Huic rationi, quæ potiſſima eſt, reſpondent multipliciter. Primò. Omne quidem poſitivum cauſari à Deo ſub ratione poſitivæ entitatis, non tamen ſub ratione deformitatis; quia ſub tali reduplicatione non eſt intra ſphæram divinæ cauſalitatis: nec enim eſt explicitè ens, ſed tantùm implicitè, & de materiali.

XII. Sed hæc reſponſio ſuis non caret difficultatibus. Nam in oppoſita ſententiâ peccatum eſt aliquid poſitivum, non ſolùm in ratione actus, & entitatis, ſed etiam in ratione deformitatis; ergo ſi ex quo eſt aliquid poſitivum ſub ratione entitatis, ſub ea ratione cauſatur à Deo; pariter ſi eſt aliquid poſitivum ſub ratione deformitatis, ſub ea ratione cauſabitur à Deo. Eo vel maximè, quòd cùm illa poſitiva deformitas nil aliud ſit, quàm tendentia actus ad objectum diſſonum, quæ eſt entitas actus, ut tranſcendentaliter ordinata ad illud; non videtur, quomodo à Deo cauſetur,

tur, & ſit cauſabilis entitas ſub ratione entitatis, & non poſitiva tendentia.

Quod magis urgeo. Vel iſta realis poſitiva tendentia in objectum diſſonum, in ratione conſtituentis peccatum, eſt formaliter aliquid reale, vel non; vel abſtrahit ab utroque. Si primum; ergo à Deo cauſatur: ſi ſecundum, erit pura privatio: ſi tertium; ergo non eſt aliquid poſitivum: quod enim abſtrahit ab eſſe reali, vel non, nequit eſſe aliquid poſitivum reale.

XIII. Reſpondent ſecundò alii, quòd illud poſitivum, & reale poteſt dupliciter conſiderari: vel purè, ac præcisè, ut poſitivum, ac reale eſt: vel ut habet annexum privativum. Primo modo cauſatur à Deo, non autem ſecundo: & hoc modo eſt conſtitutivum peccati.

XIV. Sed neque hoc effugium eos ſalvare videtur. Nam dum ajunt, poſitivum, ut habens annexam privationem, conſtituere formaliter peccatum; vel ſumunt utrumque in recto, itaut conſtitutivum peccati adæquatum ſit poſitivum, & negativum ſimul: vel ſumunt poſitivum in obliquo, & privativum in recto; vel poſitivum in recto, & privativum in obliquo. Si dicant primum; ergo Deus cauſans illud poſitivum, erit cauſa peccati, ſaltem ex parte: ſicut qui eſſet cauſa animalis in homine, eſſet cauſa hominis ſaltem ex parte. Si dicant ſecundum; ergo conſtitutivum adæquatum peccati erit privativum. Si verò dicant tertium; ſic arguo. Illud poſitivum dicens in obliquo privativum eſt aliquid reale; ergo etiam ut ſic debet cauſari à Deo: cùmque ut ſic ſit conſtitutivum peccati, Deus cauſat conſtitutivum peccati. Conſ. prob. Inexcogitabile enim eſt poſitivum reale, quod à Deo non ſit. Hæc probabiliorem mihi faciunt hanc opinionem.

§. III.

Probatur Aſſertio Auctoritate.

XV. Nedum autem ratio, ſed & auctoritas eam firmare videtur. Prima eſt Athanaſii *Orat. contra Gentes* ita loquentis: *Ea autem ſunt, quæ bona ſunt: ea verò non ſunt, quæ mala ſunt. Porrò ea eſſe dico, quæ bona ſunt, quatenus eorum exemplaria ſunt in Deo, qui verè eſt. Ea verò non eſſe dico, quæ mala ſunt, quatenus, cùm nihil ſint, ſolis hominum commentis conficta ſunt.* Et poſt multa: *Nonnulli quidem Gentilium à veri viâ aberrantes, nec Chriſtum cognoſcentes, malitia ſubſtantiam aliquam eſſe, ac per ſeipſam exiſtere affirmavere; quâ profectò in opinione duplici ratione peccabant. Vel enim negabant, Creatorem rerum omnium effectorem eſſe: nec enim omnium rerum Dominus foret, ſi, uti cenſent, malitia ſubſtantiam, & naturam per ſeipſam haberet. Vel rursùs, ſi illum volunt rerum omnium effectorem eſſe, mali quoque auctorem concedant neceſſe eſt; quandoquidem juxta illos malum res aliqua eſt.* Quibus Athanaſius confirmat diſcurſum, quo nos uſi ſumus.

XVI. Succedit S. Auguſt. qui *lib.* 3. *Confeſſ. cap.* 7. *Lib. Quæſt.* 83. *q.* 5. *in Enchirid. cap.* 10. *Lib.* 11. *de Civitat. Dei cap.* 9. & 22. paſſim docet, malum non eſſe aliud, quàm privationem boni. Loquiturque non ſolùm de malo phyſico, ſed & morali. Et meritò. Si enim res phyſica, eo ipſo, quòd habet totum, quod habere debet, eſt bona; ſi aliquo caret, ſtatim eſt mala: cur non etiam actio moralis, ſicut ſi habet totum, quod habere debet, eſt bona; ita ſi aliquo iſtorum careat, non erit moraliter mala? Hinc l. 1. de Div. quæſt. ad Simplicianum q. 2. *Eſt autem* (inquit) *peccatum hominis inordinatio, atque perverſitas.* Lib. 2. de Lib. arb. cap. 20. dicit, peccatum eſſe motum voluntarium,

rium, & defectivum. Et *lib.* 22. *contra Fauſtum cap.* 27. definivit peccatum, quòd ſit *Factum, vel dictum, vel concupitum aliquid contra legem æternam* Exponens autem, quid ſit agere contra legem æternam, dicit, nil aliud eſſe, quàm interrumpere, vel perturbare ordinem, quem lex æterna præſcribit. Auguſtino concinit Diſcipulus eius Fulgentius *lib. de Fide ad Petrum cap.* 21. ubi loquens de malo culpæ: *Malum* (inquit) *nihil aliud eſt, niſi boni privatio*. Cui accedit Damaſcenus *lib.* 2. *de Fide c.* 4. ubi loquens de peccato Angelorum: *Neque enim* (inquit) *quidquam aliud malum eſt, niſi boni privatio; haud ſecus ac tenebræ nihil aliud ſunt, niſi luminis abſentia*.

XVII. Sanctus Thomas, etſi à Contrariis ut Patronus habeatur, nobis tamen propitius eſt. Nam *Qu.* 1. *de Malo a.* 1. apertè ſtatuit, quòd malum non eſt niſi privatio alicujus boni: quod repetit 1. *p. q.* 5. *a.* 3. *ad* 2. *q.* 48. *a.* 1. 2. & 3. Ne autem Adverſarii dicant, S. Doct. ibi loqui de malo phyſico, non morali; videndum eſt, quid de malo culpæ expreſſiùs dixerit. Igitur 1. 2. *q.* 71. *a.* 6. *in corp.* explicans prælaudatam peccati definitionem ab Auguſtino traditam, ait: *Dicendum, quod ..... peccatum nihil aliud eſt, quàm actus humanus malus. Quòd autem aliquis actus ſit humanus, habet ex hoc, quòd ſit voluntarius .... Habet autem actus humanus, quòd ſit malus, ex eo, quòd caret debita commenſuratione*. Et ſic concludit: *Et ideo Auguſtinus in definitione peccati poſuit duo: unum, quod pertinet ad ſubſtantiam actus humani, quod eſt quaſi materiale in peccato: cum dixit:* Dictum, vel factum, vel concupitum. *Aliud autem, quod pertinet ad rationem mali, quod eſt quaſi formale in peccato, cum dixit:* Contra legem æternam — Ex quibus ſic diſcurro. Secundùm D. Th. ita ſe habet carentia debitæ commenſurationis ad actum, ut ſit moraliter malus, ſicut ſe habet voluntarietas, ut ſit actus humanus: ſed voluntarietas eſt conſtitutivum formale actus in eſſe humani; ergo carentia debitæ commenſurationis erit conſtitutivum formale actus in eſſe mali moralis. Unde dicit: *quòd eſt quaſi formale in peccato*.

Item 1. 2. *q.* 18. *a.* 1. quærens: *An omnis humana actio ſit bona, vel aliqua mala*: poſtquam docuit, bonum, & malum in actionibus debere concipi juxta modum, quo bonum, & malum eſt in rebus, concludit: *Sic igitur dicendum eſt, quòd omnis actio, inquantùm habet aliquid de eſſe, intantùm habet de bonitate: inquantùm verò deficit ei aliquid de plenitudine eſſendi, quæ debetur actioni humanæ, intantùm deficit à bonitate, & ſic dicitur mala*. Quibus S. Doctorem loqui de bonitate, & malitiâ actionis in eſſe moralis, conſtat ex eo, quod addit: *Puta, ſi deficiat ei vel determinata quantitas ſecundùm rationem, vel debitus locus, vel aliquid hujuſmodi*. Ex eo namque, quod addit *ſecundùm rationem*, manifeſtum eſt, eum loqui de bonitate, & malitiâ actionis, quæ ſumitur à ratione: itaut actio, quæ plenè conformis eſt rationi, ſit bona; quæ verò deficit ab hac plenitudine, ſit mala: ſicut in rebus malum phiſicum nil aliud eſt, quàm defectus à plenitudine eſſendi. Unde a. 9. citatæ q. 18. *Actus* (inquit) *à deliberativa ratione procedens, ſi non ſit ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipſo repugnat rationi, & habet rationem mali: ſi verò ordinetur ad debitum finem convenit cum ordine rationis, unde habet rationem boni*.

XVIII. Ulteriùs: In 2. *diſt.* 35. *q.* 1. *a.* 2. triplicem definitionem peccati examinans, primam ſcilicet Auguſtini: *Dictum, factum &c.* ſecundam ejuſdem, nempe: *Retinendi id, quod juſtitia vetat:* tertiam D. Ambroſii, nimirum: *Divinæ legis prævaricatio, & cœleſtium inobedientia mandatorum;* dicit, omnes eſſe optimas. *In prima enim deſcriptione tangitur ſubſtantia a-*

ctus

ctus in ordine ad inſtrumenta, quibus actus exercetur .... In ſecunda autem deſcriptione tangitur ſubſtantia actus ex parte objecti .... & privatio illius dirigentis, quod in finem inclinat per modum habitus, in hoc, quod dicit, quod juſtitia vetat. *In tertia autem deſcriptione tangitur illud, quod eſt formale in peccato, ex quo rationem mali habet; ſcilicet, privatio dirigentis in finem, in hoc, quod dicitur*, prævaricatio legis divinæ; *& deordinatio ab ipſo fine, in hoc, quod dicitur*, cœleſtium inobedientia &c. Hic D. Thom. in peccato duo tantùm diſtinguit: nempe, materiale; & hoc eſt ſubſtantia actus, ſive in ordine ad inſtrumenta, per quæ exercetur, ſive in ordine ad objectum: aliud formale; & hoc dicit, quòd eſt privatio, tùm dirigentis in finem, tùm ordinationis in finem. Ubi ergo hoc poſitivum, quod ſit formale, & conſtitutivum in peccato? Recolantur, quæ ſupra dicta ſunt ex eodem S. Thoma 1. 2. *q.* 71. *a.* 6.

XIX. Cohærenter ad hæc in 2. *diſt.* 37. *q.* 1. *a.* 1. in peccato duo diſtinguit: & ut res quædam eſt, & ut peccatum eſt; & ait: *Peccatum inquantùm eſt actus, eſt res quædam; ſed in quantùm peccatum eſt ex privatione ordinis debiti, non eſt res quædam, ſed privatio; privatio autem res natura non eſt, ſed rationis tantùm.* Et ſuperiùs dixerat: *Quia peccatum dicitur peccatum, ſecundùm quod privatum eſt debito ordine: ideo peccatum, abſolutè loquendo, dicitur ſubſtantia non eſſe; ſed tamen inquantùm actus eſt, ſubſtantia eſt.* Idem docet in 2. *ad Annibald. diſt.* 37. *q. un. a.* 2. & in *Compendio Theologiæ ad Fr. Reginaldum* (quod eſt Opuſc. 2.) *c.* 115. docet, quòd ſicut privatio perfectionis debitæ eſt malum in naturalibus, non propter formam; ſed propter privationem ei adjunctam: ita *In moralibus etiam adhærere fini, cui adjungitur privatio finis debiti, malum eſt; non propter finem, ſed propter privationem adjunctam.* Formale igitur in peccato non eſt converſio poſitiva ad finem, propter finem; ſed propter privationem: & ſic non in poſitivo pro recto, ſed in privativo juxta D. Thom. peccatum conſiſtit.

§. IV.

Rationes Contrariæ.

XX. MOventur Auctores adverſi ad conſtituendum peccatum pro formali in aliquo poſitivo, primò. Quia ſi in privativo poneretur, cùm una privatio non ſit major alterâ, unum peccatum non eſſet majus altero, ſed omnia peccata eſſent paria: qui fuit error Stoicorum à Joviniano excitatus, de quo infra; ergo &c.

XXI. Reſpondeo tamen, neg. ſequelam. Docet enim D. Thom. hâc 1. 2. *q.* 73. *a.* 2. conformiter ad ea, quæ tradidit Q. 2. *de Malo a.* 9. (infra referendus) quòd duplex eſt genus privationum. Una eſt privatio ſimplex, & pura, quæ nihil relinquit formæ oppoſitæ, & conſiſtit in privato eſſe; ſicut mors eſt privatio vitæ, tenebræ ſunt privatio lucis: & tales privationes non ſuſcipiunt magis, & minus; ideoque una illarum non eſt major alterâ. Eſt autem alia privatio, non ſimplex, & pura, quæ non tollit totam formam, ſeu habitum oppoſitum, ſed aliquid ejus relinquit: unde dicitur magis conſiſtere in corrumpi, quàm in corrupto eſſe; cujuſmodi eſt ægritudo, quæ privat quidem, & tollit debitam commenſurationem humorum, ſed eam totaliter non tollit: & hujuſmodi privationes ſuſcipiunt magis, & minus *ex parte ejus, quod remanet de habitu contrario. Multum enim refert ad ægritudinem, vel turpitudinem, utrum plus, vel minus à debita commenſuratione humorum, vel membrorum recedatur. Et ſimiliter dicendum eſt de vitiis, & peccatis. Sic enim in eis privatur debita commenſuratio rationis; ut non totaliter ordo rationis tollatur.*

Addi

Addi poteſt ex eodem Q. 2. *de Malo a.* 10. quòd ſi gravitas peccati attendatur ſecundùm ſpeciem ejus; peccatum tantò eſt gravius, quantò majori bono virtutis opponitur. Unde peccata, quæ immediatè opponuntur debitæ ordinationi ad Deum, ſicut Idololatria, & blaſphemia, ſunt ex ſpecie ſuâ graviora, quam ea, quæ immediatè opponuntur debitæ ordinationi ad proximum. His conſentit D. Bonaventura, dicens, quòd privatio poteſt magis, & minùs recipere, ratione ejus entis, quod reſpicit in obliquo. Unde dicitur minor privatio, in qua minus de bono corrumpitur, & plus relinquitur: major verò, in qua major eſt boni corruptio, & minùs de bono relinquitur.

XXII. Moventur ſecundò. Quia peccatum contrariè opponitur virtuti; ergo utrumque eſt aliquid poſitivum: quia oppoſitio contraria verſatur inter extrema poſitiva. Ant. probant ex D. Thom. 1. *p. q.* 48. *a.* 1. *ad* 3. *Tertiò contra Gen. c.* 9. & Q. 1. *de Malo a.* 1. *ad* 4.

XXIII. Sed reſpondeo, peccatum concretivè ſumtum opponi contrariè virtuti, & eſſe aliquid poſitivum: quia ſic non eſt pura privatio, ſed actus debito ordine privatus. Unde S. Thomas *q.* 72. ſequenti a. 1. ad 2. *Peccatum* (inquit) *non eſt pura privatio: ſed eſt actus debito ordine privatus*. Si verò peccatum accipiatur per ſe, ſive in abſtracto, ſic opponitur virtuti privativè. Qua ratione in 2. *diſt.* 34. *q.* 1. *a.* 2. *ad* 2. ait: *Si conſideretur malum per ſe, ſive in abſtracto, ſic malum opponitur bono, ut privatio; ſi autem conſideretur malum per accidens, ſicut eſt in actione, vel in habitu, ſic opponitur bono, ut contrarium: ut prodigalitas liberalitati, timiditas fortitudini*.

XXIV. Moventur tertiò. Quia pro priori ad privationem rectitudinis intelligitur converſio, ſeu tendentia poſitiva ad objectum diſſonum; quæ pro illo priori eſt mala moraliter, & ab eo accipit ſpeciem diſconvenientiæ, & diſſonantiæ legi, & rationi; ergo privatio rectitudinis non conſtituit peccatum in ratione mali moralis, ſed illud ſupponit jam conſtitutum. Unde Dubio præcedenti diximus cum D. Thoma, peccata ſpeciem ſumere, & per ſe diſtingui ex parte converſionis, quæ per ſe intenditur, non ex parte averſionis, quæ ſe habet per accidens, & per modum termini à quo.

XXV. Hoc eſt unum ex præcipuis adverſæ ſententiæ fundamentis: cui reſpondeo, antecedens aſſumtum involvere repugnantia. Nam dum dicunt, pro priori ad privationem intelligitur poſitiva converſio ad objectum diſſonum, non ſumunt converſionem pro priori ad privationem; ſed converſionem, ut habet adjunctam privationem. Eſtò autem converſio ad objectum præſcindens à diſſonantia, ſit converſio pro priori ad privationem; converſio tamen ad objectum diſſonum eſt converſio adjunctam habens privationem. Converſio igitur non eſt formaliter mala moraliter à malitiâ, quæ ſit ipſa converſio; aliàs omnis converſio eſſet per ſe moraliter mala: ſed à malitia, quæ ipſi ineſt, inquantùm ſcilicet iſti converſioni conjungitur privatio rectitudinis debitæ illi in eſſe. Eo ferè modo, quo paries dicitur formaliter albus ratione albedinis ipſi inhærentis; non ratione albedinis, quæ ſit ipſe paries, vel eſſentialis ejus differentia. Igitur, ut dicebamus cum D. Thom. *in* 2. *diſt.*34. *q.* 1. *a.* 2. *ad* 2. peccatum ſumi poteſt, vel concretivè; & ſic conſiſtit in poſitivo cum defectu; quia, ut ait D. Thom. hîc 1. 2. q. 79. a. 2. *Nominat ens, & actionem cum quodam defectu*. Vel abſtractivè, & conſtitutivè, ut in præſenti ſumitur. Et ſic eſſentialiter dicit defectum, & privationem rectitudinis in converſione ad objectum.

XXVI. Neque hæc contraria ſunt iis, quæ Dubio præcedente docuimus; nempe, peccata ſumere ſpeciem, & diſtinctionem ex parte converſionis potiùs, quàm ex parte averſionis. Quia ut

ut docet D. Thom. in 2. diſt. 34. q. 1. a. 1. ad 3. *Malum per ſe, vel abſtractè ſumtum, non eſt differentia ſpecifica; ſed malum per accidens, vel concretè acceptum. Omnia enim moralia ex fine ſpeciem conſequuntur: ex ordine autem ad finem debitum ſpecificatur bona actio, & bonus habitus; ratione cujus bonum differentia ſpecifica ponitur habitus, & actionis moralis. Mala verò ſpecificatur ex ordine ad finem indebitum, cui admiſcetur privatio finis debiti, ex quo ratio mali incidit. Unde patet, quòd non ſola privatio ſpecificat malum habitum, & actionem; ſed poſitio ordinis ad finem quemdam cum privatione debiti finis. & ſic patet, quòd malum, ſecundùm quòd eſt differentia, non eſt malum per ſe, ſed per accidens, vel concretivè ſumtum.*

Hoc idem docet 1. *p. q.* 48. *a.* 1. *ad* 2. dicens: *Bonum, & malum ſunt differentia ſpecifica in moralibus: bonum, per ſe; ſed malum, inquantùm eſt remotio debiti finis. Nec tamen remotio debiti finis conſtituit ſpeciem in moralibus, niſi ſecundùm quòd adjungitur fini indebito: ſicut neque in materialibus invenitur privatio formæ ſubſtantialis, niſi adjuncta alteri formæ. Sic igitur malum, quod eſt differentia conſtitutiva in moralibus, eſt quoddam bonum adjunctum privationi alterius boni. Sicut finis intemperati eſt, non quidem carere bono rationis; ſed delectabile ſenſus abſque ordine rationis. Unde malum, inquantùm malum, non eſt differentia conſtitutiva, ſed ratione boni adjuncti.* Hæc D. Thom. Cùm autem malum ſignificet formale malitiæ, & bonum adjunctum malo, ſeu prædictæ malitiæ, ſignificet id, quod, ſe habet de materiali; ſequitur, malum morale eſſe differentiam conſtitutivam ſpeciei, non abſtractivè, & ſecundùm id, quod dicit de formali; ſed concretivè, ut dicit formale conjunctum huic materiali. Et hoc debent fateri Doctores oppoſiti, peccatum in poſitivo pro formali collocantes. Nam hoc poſitivum, juxta illos, eſt malum morale, imò ipſa malitia moralis: ſed juxta D. Thom. malum, inquantùm malum, non conſtituit ſpeciem peccati, ſed ſolùm inquantùm habet bonum adjunctum; ergo neque illud poſitivum erit per ſe conſtitutivum ſpeciei peccati; ſed ſolùm ratione materialis, nempe, boni adjuncti.

XXVII. Igitur illud, quod peccatum conſtituit in aliqua ſpecie peccati, non eſt privatio ſolitariè ſumta; ſed ut conjuncta fini indebito, ſeu actui ordinato ad objectum hoc, vel illud. Ex quo fit, ut formalis, & eſſentialis ratio peccati conſiſtat in privatione; & hæc ſit, quæ conſtituat peccatum in genere peccati, & diſtinguat illud ab omnibus, quæ non ſunt peccata. Id autem, quod conſtituit peccatum in certa, ac determinata ſpecie, illudque diſtinguit à cæteris, quæ peccata quidem ſunt, ſed diverſæ ſpeciei, non ſit privatio boni in genere; ſed hæc determinata privatio, quæ conjungitur huic determinato actui inordinato, ſeu converſioni ad bonum commutabile. Unde D. Bonaventura in 2. diſt. 42. a. 3. q. 1. *Etſi* (inquit) *averſio det converſioni, quòd ſit peccatum; converſio tamen dat averſioni, quòd ſit tale peccatum.* Vel ergo privatio rectitudinis conſideratur ſolitariè, & in abſtracto; & ſic nec eſt formale diſtinctivum unius peccati commiſſionis, nec conſtitutivum illius in eſſe ſpecifico talis peccati. Vel conſideratur cum ſuo materiali, nempe, cum actu, ſeu converſione, quæ privationi illi ſubſternitur; & ſic eſt conſtitutiva, & diſtinctiva ſpecificè unius peccati ab alio. Et hoc intendit D. Thom. in locis, quæ ab Adverſariis congeruntur.

XXVIII. Neque obſtat, quòd D. T. *q.* 72. *a.* 1. dicat, inordinationem actus peccati per accidens ſe habere ad intentionem peccantis. Hoc enim ſolùm intendit, malitiam peccati non eſſe per ſe, & directè volitam, ſive in privativo, ſive in poſitivo conſiſtat: Non autem, quòd malitia peccati, ut

con-

conjuncta converſioni ad objectum, non ſit interpretativè, & indirectè volita; quo pacto dicimus conſtituere peccatum in tali, vel tali ſpecie. Et ideo D. Thom. 1. 2. q. 78. a. 1. ad 2. ait: *Quòd malum non poteſt eſſe ſecundum ſe intentum ab aliquo; poteſt tamen eſſe intentum ad vitandum aliud malum, vel ad conſequendum aliud bonum.* Unde laſcivus *magis vult peccando incurrere offenſam Dei, quàm delectatione privari.*

XXIX. Moventur quartò. Nam moralitas ut ſic, & quatenus dividitur in bonitatem, & malitiam eſt aliquid poſitivum; ergo tam bonitas, quàm malitia pro formali aliquid poſitivum ſunt: non enim ſtat, quòd ratio generica, quæ participatur, præſertim univocè, quid poſitivum ſit, quin ſpecies ipſam participantes ſint aliquid poſitivum.

XXX. Reſpondeo primò, hoc argumentum pati inſtantiam etiam in oppoſita ſententiâ. Nam malitia peccati commiſſionis, & omiſſionis univocatur in ratione malitiæ: & tamen illa in poſitivo, ſecundùm Adverſarios, iſta in privativo conſiſtit. Item peccatum commiſſionis actuale, & habituale ex illo relictum ejuſdem ſpeciei moraliter ſunt; & tamen actuale in poſitivo, habituale in privativo conſiſtit. Dato ergo antecedente, nego conſequentiam. Nam eſtò privativum, & poſitivum nequeant univocari in una ratione, univocatione ſtrictâ, & metaphyſicâ; poſſunt tamen univocari in una ratione, univocatione morali, & ſecundùm Prudentum æſtimationem, ut probant exempla allata: & hoc modo etiam voluntarium dividitur univocè in voluntarium poſitivum, conſiſtens in actus poſitione; & voluntarium omiſſivum in carentia actus conſiſtens. Propterea dixi: dato antecedente, quod in rigore negari debet. Nam moralitas ut ſic non eſt tendentia præciſè formaliter poſitiva; ſed tendentia præſcindens à formaliter poſitivâ, & poſitivâ virtualiter, & interpretativè: malitia autem peccati commiſſionis, eſtò non ſit formaliter tendentia poſitiva, ſed quid privativum; eam tamen virtualiter, & interpretativè, ſeu in concreto dicit, cùm dicat actum rectitudine debitâ privatum.

XXXI. Moventur quintò, & quidem præcipuè. Quando peccata commiſſionis ſunt intrinſecè mala, ſicut eſt odium Dei, id, quod eſt poſitivum, & reale, eſt formaliter malum, etiam antecedenter ad privationem rectitudinis debitæ; ergo in iſtis formalis malitia in aliquo poſitivo conſiſtit. Antec. prob. Nam talis actus, priuſquam concipiatur privatio, tendit in objectum prohibitum; ergo eſt formaliter malus. Ant. pat. Quia Deus prohibet objectum odii Dei, & quidquid concernit ejuſmodi actum.

XXXII. Reſpondeo, neg. ant. In odio enim Dei, & aliis actibus intrinſecè malis, illud, quod eſt poſitivum converſionis, ſeu tendentiæ in objectum, ut præſcindens à privatione debitæ rectitudinis, non eſt formaliter malum morale; imò nec materialiter, ſumendo iſtud materiale formaliter. Et ratio eſt: quia cùm nemo intendens ad malum operetur; objectum converſionis, & tendentiæ eſt bonum ipſius operantis, ſive honeſtum, ſive delectabile: itaut ſi non adjungeretur privatio rectitudinis, ſed poſſet homo cum bono delectabili conjungere bonum honeſtum, nullum eſſet malum, ſed potiùs bonum, aut boni extenſio. Ut enim docet S. Tho. *Opuſc.* 2. *cap.* 115. in naturalibus privatio perfectionis debitæ, nimirum forma, cui adjungitur privatio formæ debitæ, malum eſt *non propter formam; ſed propter privationem ei adjunctam, ſicut ignis malum eſt ligno.* Similiter, *& in moralibus inhærere fini, cui adjungitur privatio finis debiti, malum eſt, non propter finem; ſed propter privationem adjunctam.* Non igitur odium Dei malum morale eſt, quia tendentia in finem, & objectum

Digitized by Google

eſt ; ſed quia tendentia eſt in objectum habens privationem debiti finis adjunctam. Quare cùm antecedenter ad hanc privationem habeatur quidem in actu odii tendentia , ſed nondum concipiatur in objecto privatio finis debiti ; non habetur malum morale formaliter , ſed ad ſummum materialiter. Quod explicari poteſt. Tùm exemplo allato à S. Doctore : nam ignis malum eſt ligno , non propter formam ignis ; ſed propter privationem formæ ligni , quam forma ignis habet adjunctam . Tùm exemplo caloris reſpectu aquæ : quòd enim calor ſit malum aquæ , non eſt ex eo præcisè , quòd calor qualitas poſitiva ſit ; ſed ſolùm ex eo , quòd calori adjungitur privatio frigoris , quod eſt proprietas connaturalis aquæ. Unde ſi aqua retinendo ſuum frigus , poſſet inſuper calorem recipere , non eſſet ipſi malum , ſed potiùs majus bonum ; quia cum modò unicam tantùm ex his duabus qualitatibus habeat , tunc haberet utramque. Sic ſi converſio ad bonum delectabile non conjungeretur privationi boni honeſti ; talis converſio non eſſet moraliter mala , ſed potiùs bona , quia hominem duplici bono conjungeret .

XXXIII. Sed inſtabis. Pro priori ad privationem rectitudinis caritatis , in qua dicimus conſiſtere odium Dei , reperitur tendentia poſitiva , ex qua prævidetur ſecutura infallibiliter talis privatio ; ergo ponens prædictam tendentiam cum tali præviſione voluntariè , & liberè, formaliter peccat. Conſeq. prob. Tùm quia ſic ponens talem tendentiam , ſe habet ut agens morale. Tùm quia liberè , & advertenter ponere aliquid , ex quo prævidetur ſecuturum malum , eſt malum formaliter , & in ſe : hac enim ratione ponere ſe in periculo peccandi , quamvis non ſequatur peccatum , eſt formaliter peccare : & nolitio efficax audiendi Sacrum eſt in ſe moraliter mala , etiam antequam exiſtat omiſſio Sacri.

XXXIV. Reſpondeo , diſt. conſeq. Peccat ex vi præciſæ tendentiæ , nego conſ. Ex vi privationis tali tendentiæ adjunctæ , conc. conſeq. Ad primam probat. nego ant. Cùm enim tendentia illa præviè ad rectitudinem , vel privationem rectitudinis , ſit purè phyſica ; non conſtituit agens morale formaliter , quouſque non concipiatur in illa defectus moralis rectitudinis : ſicut nec actio conſtituitur moraliter bona per entitatem , & tendentiam ad objectum ; niſi concipiatur in illa rectitudo per ſubjectionem ad legem : quod enim ante iſtam concipitur , totum phyſicum eſt.

Ad ſecundam prob. concedo totum. Non enim negamus , converſionem ad objectum malum liberè , & advertenter poſitam , eſſe in re malam ; ſed ſolùm dicimus , eam non eſſe malam , quia poſitiva tendentia eſt , ſed quia talis eſt cum privatione rectitudinis debitæ : itaut converſio , ſeu tendentia ſit ſubſtratum , privatio autem ſit ipſa formalis malitia . Unde ponere ſe in periculo peccandi , vel nolle audire Sacrum , ſtatim peccatum eſt , non ratione actus , ſeu tendentiæ poſitivæ ; ſed quia iſtis actibus conjungitur privatio rectitudinis.

Quamvis etiam diſparitas aſſignari poſſit. Nam ponere aliquam cauſam , ex qua prævidetur ſecuturum eſſe malum , ſicut eſt ponere ſe in periculo peccandi , vel nolle audire Sacrum , non eſt ponere aliquid , quod ſe habeat præcisè per modum ſubſtrati , ſeu ſubjecti denominabilis à malitia ; ſed ponere aliquid ſe habens per modum cauſæ influentis , ſaltem moraliter , in exiſtentiam peccati. At ponere tendentiam poſitivam , eſt ponere ſubjectum immediatè denominabile à malitia . Cùm enim peccatum ſit quoddam concretum , dicens pro materiali rationem actus humani , & pro formali malitiam ; ideo voluntatem ponere rationem actus humani denominabilis à privatione rectitudinis , in qua conſiſtit malitia , non eſt ipſam in poſi-

tione

Digitized by Google

tione actus humani formaliter peccare, ſed ſolùm ponere ſubſtratum peccati.

XXXV. Ex his infertur, quomodo in noſtra ſententiâ poſſit Deus concurrere ad illam poſitivam tendentiam, quin concurrat ad malitiam peccati. Nam illa poſitiva tendentia non eſt nec formale in peccato, nec materiale formaliter, ſeu ut connotans malitiam; ſed materiale purè materialiter, nempe, actus phyſicus denominabilis per modum ſubjecti à malitia: ſicque Deus totum poſitivum, & reale cauſare poteſt, quod pertinet ad eſſe phyſicum, & cauſam purè effectivam; & id, quod defectus eſt, nempe, privatio rectitudinis actui adjuncta, tota tàm ex parte rationis *ſub qua*, quàm ex parte rationis *qua* erit à voluntate creatâ, ut moraliter deficiente. Ubi in adverſa ſententiâ Deus cauſans poſitivum, quod eſt formale in peccato, cauſare deberet, ſaltem ex parte rationis *qua*, formale peccati.

XXXVI. Moventur ſextò. Sunt quidam actus peccaminoſi, in quibus non reperitur privatio rectitudinis debitæ; ergo per iſtam non benè explicatur conſtitutivum peccati. Ant. prob. Privatio, ſecundùm Philoſophos, eſt carentia formæ in ſubjecto capaci: ſed dantur actus peccaminoſi incapaces rectitudinis, ut odium Dei, & alii actus eſſentialiter peccaminoſi, qui, ſi non carerent rectitudine, non eſſent actus illius ſpeciei; ergo &c.

XXXVII. Reſpondeo, hac difficultate æqualiter premi Adverſarios; qui eſtò peccatum in poſitivo conſtituant, volunt tamen, hoc poſitivum, ſaltem de connotato, includere privationem rectitudinis. Omiſſis ergo variis reſponſionibus, nego anteced. Ad prob. diſt. ma. In ſubjecto capaci, vel ſecundùm ſpeciem, vel ſecundùm genus proximum, co. maj. Præciſè ſecundùm ſpeciem atomam, nego maj. Ut enim docet D. Tho. 5. *Metaph. lect.* 20. carentia viſus in talpa eſt vera privatio; quia licèt ei ex ſua ſpecie atomâ non debeatur viſus, ei tamen debetur ſecundùm genus proximum animalis. Et actus fidei dicitur habere privationem evidentiæ; non quia ſit aptus habere illam, ex ſua ſpecie atomâ, ſed ſecundùm rationem genericam actus intellectualis. Sic actus ex ſua eſſentia peccaminoſi, ut actus odii Dei, & ſimiles, eſtò ex ſua ſpecie atomâ non ſint capaces, nec eis ſit debita rectitudo: quia tamen ex genere proximo actus humani ejus capaces ſunt, imò eis debetur; idcircò carentia illius, etiam in illis, eſt dicenda privatio.

Dixi: ad privationem ſufficere, quòd ſubjectum ſit capax formæ, ſaltem ex genere proximo; non enim ſufficit, ut ex genere ſolùm remoto capax ſit. Qua ratione lapis, qui ſecundùm genus remotum ſubſtantiæ corporeæ eſt capax viſus, non dicitur privatus viſu, neque cæcus; ſed carentia viſus in ipſo eſt mera negatio. Similiter privatio eſt carentia formæ debitæ, eſtò non ſemper debito phyſico, ſaltem tamen debito morali, orto ex lege: hoc autem modo cuicumque actui humano debita eſt rectitudo: nam eo ipſo, quòd homo vult deliberatè agere, ex lege tenetur rectè, & ad regulam rationis operando reſpicere. Hæc mihi probabiliorem efficiunt hanc opinionem, & alia, quæ omitto, relinquens oppoſitam in ſua probabilitate.

§. V.

In quo conſiſtat Potentia peccandi.

XXXVIII. Sicut in peccato duo conſideranda ſunt: unum, quod materialiter ſe habet, nempe, ſubſtantia actus; & alterum, quod eſt formale in peccato nempe, privatio debiti ordinis, & rectitudinis, ut dictum eſt: ita in potentia peccandi duo hæc ſunt conſideranda: nempe, voluntas potens influere in actum peccati,

cati, quod eſt quaſi materiale in potentia peccandi; alterum eſt ipſa voluntas, ut potens influere in malitiam, ſeu inordinationem actus, quod eſt formale in potentia peccandi. Suppono igitur, potentiam peccandi primo modo, nempe materialiter conſideratam, eſſe formaliter aliquid poſitivum: eſt enim entitas voluntatis potens per ſe, & phyſicè ponere actum peccati; qui cùm ſit aliquid actuale, reale, & poſitivum, nequit contineri, niſi in cauſa reali poſitiva. Loquor ergo de potentia peccandi ſecundo modo, nempe, formaliter.

XXXIX. Dico. Potentiam peccandi, formaliter ſumta, conſiſtit in privativo, non in poſitivo, ſeu in defectu virtutis, non in virtute. Hæc aſſertio conſequenter ad ſuperiùs dicta ſtatuenda eſt. Si enim actualis malitia, quæ eſt actus, ſeu objectum potentiæ peccandi, in pura privatione conſiſtit; non video, quomodo potentia ad illam in poſitivo poſſit conſtitui: cùm talis debeat eſſe potentia, quale eſt objectum ejus adæquatum, à quo ſpeciem ſumit.

XL. Hanc expreſsè docuit S. Auguſt. *l. 12. de Civit. Dei c. 7.* his verbis: *Nemo igitur quærat efficientem cauſam malæ voluntatis; non enim eſt efficiens, ſed deficiens: quia nec illa effectio eſt, ſed defectio.... Cauſas porrò defectionum iſtarum, cùm efficientes non ſint, ut dixi, ſed deficientes; velle invenire, tale eſt, ac ſi quiſquam velit videre tenebras, vel audire ſilentium.* Et c. 8. *Hoc ſcio* (inquit) *naturam Dei nunquam, nuſquam, nullâ ex parte poſſe deficere, & ea poſſe deficere, quæ ex nihilo facta ſunt.* Et perpetuò docet, naturam rationalem creatam eſſe peccabilem, quia ex nihilo eſt. Quod autem alicui convenit, prout ex nihilo eſt, ſeu prout deficit ab eſſe, non poteſt eſſe aliquid poſitivum.

XLI. Propterea D. Anſelmus *in Proslogio c. 7.* ait: *Cum quis dicitur habere potentiam faciendi, aut patiendi, quod ſibi non expedit, aut quod non debet; impotentia intelligitur per potentiam: quia quò plus habet hanc potentiam, eò adverſitas, & perverſitas in illum ſunt potentiores, & ille contra eas impotentior.* Unde S. Thomas q. 1. de Pot. a. 6. *Sed quædam* (inquit) *ſunt, quæ ſecundùm nomen potentiam important, quæ ſecundùm rem ſunt potentiæ defectus: ſicut multæ negationes, quæ in affirmationibus includuntur; ut cùm dicitur:* poſſe deficere, *videtur, ſecundùm modum loquendi, quædam potentia importari, cùm magis potentia defectus importetur.* Quæ adducit, ut oſtendat, Deum peccare non poſſe, quamvis ejus potentia ſit infinita.

XLII. Probo ratione à priori ſumtâ ex eodem S. Thoma in *2. diſt. 37. q. 2. a. 1. ad 2.* Potentia peccandi, qua talis, convenit voluntati creatæ, quatenus eſt ex nihilo: ſed ex nihilo nequit oriri aliquid, quod in rei veritate, & ſit potentia, & ſit aliquid poſitivum, ut termini demonſtrant; quia omne reale, & poſitivum ex eo habet quiſpiam, quòd participat de eſſe, non ex eo, quòd deficit ab eſſe; ergo &c. *Peccatum* (inquit S. Doct.) *refertur in voluntatem ſicut in cauſam: & quamvis voluntas ſit creata à Deo, inquantùm eſt quoddam ens; non tamen quantùm ad hoc, quòd defectus ex ipſa incidere poteſt: eſt enim poſſibilis ad defectum ex hoc, quòd ex nihilo eſt. Quamvis autem Deus ſit cauſa voluntatis, faciens eam ex nihilo: hoc tamen, quòd eſt ex nihilo eſſe, non habet ab alio, ſed à ſe: unde ſecundùm hoc non habet cauſam aliam. Et ideo defectus, qui ſequitur ex ea, ſecundùm quòd ex nihilo eſt, non oportet, quòd in ulteriorem cauſam reducatur.* Videri poteſt etiam Q. 24. *de Verit. a. 7.*

XLIII. Prob. ſecundò. Si potentia peccandi eſſet aliquid poſitivum, & reale, jam hominis eſſentia, & natura, in qua radicatur, eſſet formaliter partim bona, partim mala: itaut in ea eſſet portio inclinans ad bonum, & portio cum ea identificata tendens ad malum; ſicque darentur in eadem natu-

Digitized by Google

naturâ duo principia, unum bonorum, alterum malorum, quæ fuit hæreſis Manichæorum: & aliunde, vel Deus eſſet cauſa alicujus formaliter mali; vel daretur aliqua portio eſſentiæ, vel ſubſtantiæ in nobis, quæ non foret à Deo. Sequela autem probatur. Nam eſtò voluntas ſit principium peccandi proximum, ſubſtantia tamen eſt principium radicale *quo*, ſicut ſuppoſitum principium *quod*; ergo ſi potentia peccandi eſſet formaliter quid reale, & poſitivum; malum morale nedum eſſet in actu voluntatis, ſed in voluntate eſſet formaliter proximè principium malum, & in anima, ſeu ſubſtantia radicaliter.

XLIV. Dices tamen primò: Potentiam peccandi nihil aliud eſſe, quàm flexibilitatem voluntatis ad malum; hanc autem habere pro cauſa proximâ voluntatem, & pro cauſa radicali ipſam ſubſtantiam, nec eſſe quærendam aliam cauſam.

Sed contra. Flexibilitas radicalis ad malum, reperta in ſubſtantia intellectuali, eſt etiam juxta Adverſarios quid poſitivum, ſicut quid poſitivum eſt flexibilitas proxima. Vel ergo formaliter habet principium productivum ſui, vel non. Si habet; cùm hoc non poſſit eſſe Deus, erit aliquid extra Deum: & ſic dabuntur duo prima principia, unum effectivum bonorum, alterum malorum, ut voluerunt Manichæi. Si non habet; ergo datur poſitiva formalitas extra Deum à nullo principio activo producta, & proinde, quæ ſit ens à ſe. Obſervaſſe ergo debuerant Adverſarii, flexibilitatem ad malum non eſſe potentiam, ſed defectum potentiæ convenientem naturæ intellectuali, quatenus ex nihilo; & ideo Deo non convenire: *Nam Deus ſolus eſt actus purus nullius potentiæ permixtionem recipiens, & per hoc eſt bonitas pura, & abſoluta. Creatura verò qualibet cùm in natura ſua habeat permixtionem potentiæ, eſt bonum particulare. Quæ quidem permixtio potentiæ ei accidit propter hoc, quòd eſt ex nihilo &c.* Ita D. Thom. Q. 24. *de Verit. a.* 7.

XLV. Nec opponas, S. Doctorem in 3. *diſt.* 12. *q.* 2. *a.* 2. vocare potentiam peccandi liberum arbitrium *ordinatum ad peccandum* — Nam ſtatim ſubdit: *itaut peccare poſſit.* Quid autem ſit poſſe peccare, ſuperiùs explicaverat dicens: *Liberum arbitrium non ordinatur ad peccatum, imò peccatum incidit ex defectu ejus: unde peccatum non ſpecificat potentiam liberi arbitrii.*

XLVI. Dices ſecundò. Potentia non peccandi eſt aliquid poſitivum; ergo etiam potentia peccandi: nam utraque eſt extremum dividens potentiam, & libertatem.

XLVII. Reſpondeo, neg. conſ. Sicut enim non valet: potentia non peccandi eſt à Deo; ergo etiam potentia peccandi eſt à Deo: ita nec in caſu. Et ratio eſt: quia potentia peccandi eſt defectus, & abuſus potentiæ, ac libertatis, ut docet D. Thom. in 2. *diſt.* 44. *q.* 1. *a.* 1. ubi concludit: quòd *Potentia peccandi, quantùm ad id, quod potentia eſt, à Deo eſt; ſed quantùm ad defectum, qui implicatur, non eſt à Deo.* Et ibidem ad 5. *Dicendum* (inquit) *quòd uſus rei dicitur, ad quem res principaliter ordinatur: potentia autem, quâ in peccatum poſſumus, non ordinatur ad malum, ſed ad bonum, & ita peccare non eſt uſus ejus. Unde non ſequitur, quòd ſi peccatum eſt malum, quòd potentia ſit mala; ſed magis quòd ſit bona, quia deficere ab eo, quod bonum eſt, malum eſt.*

Aliæ objectiones ſolutæ manent ex dictis de peccato actuali; cùm eadem ratio ſit de potentia reduplicativè ut tali, ac de actu ejus: unde ſi actus in defectu, & privatione conſiſtit, hoc idem de potentia dicere oportet.

Digitized by Google

DUBIUM III.

An Omiſſio ex Cauſa Voluntariâ imputetur, non ſolùm quando apponitur Cauſa, ſed etiam cum de facto conſummatur?

§. I.

Certa præmittuntur.

I. Cùm in *Tract. de Actibus humanis Quæſt. 1. de Voluntario, & Involuntario Dub. 3.* fuerint expeditæ celebriores de omiſſione quæſtiones; nempe, §. 1. Quid requiratur, ut omiſſio ſit voluntaria: & §. 2. *ac* 3. an omiſſio poſſit eſſe voluntaria abſque omni actu: pauca hìc ſuperaddenda occurrunt. Ne tamen quidquam prætercam, quæſitum inſtituo, ut ſupra, nimirum: an qui voluntariè dat cauſam omiſſioni, non ſolùm peccet, quando apponit cauſam; ſed etiam quando omittit. Etenim

II. Suppono eſſe certum, quòd omittens actum debitum peccat, cum voluntariè apponit cauſam omiſſionis culpabilis. Unde ille, qui horâ matutinâ ſomno ſe tradit, prævidens, quòd non evigilabitur uſque ad veſperam, ac ſubinde quòd non audiet Sacrum; peccat cùm voluntariè ſomno ſe tradit: etſi fortè poſtea contingat, eum ab aliquo evigilari, & Sacrum non omittere. Et ratio eſt. Tùm quia voluntas ſive expreſſa, ſive virtualis, aut interpretativa peccandi, peccatum eſt: ſed qui voluntariè apponit cauſam omiſſionis actus debiti, habet voluntatem, vel expreſſam, vel ſaltem interpretativam peccandi; ergo peccat, etiamſi poſtea non ſequatur omiſſio: ſicut peccat, qui habet propoſitum furandi, vel mœchandi, etſi poſtea non ſequatur effectus. Tùm etiam, quia velle exercere actum, qui ſit cauſa omiſſionis rei præceptæ, vel ex cujus effectu omittatur id, quod præceptum eſt, & propterea non debet omitti; eſt conſentire in ipſam omiſſionem, & propterea in peccatum; conſentire autem in peccatum, peccatum eſt, ſecundùm Apoſtolum *Roman. 1. v. 32.*

III. Hoc autem intelligendum eſt, non ſolùm quando actus, qui eſt cauſa omiſſionis rei præceptæ, & hìc, & nunc obligantis, eſt per ſe, & ex natura ſuâ malus; ſed etiam ſi per ſe, & ex natura ſua bonus ſit: nam hoc ipſo, quòd eſt cauſa omiſſionis, caret aliquâ circumſtantiâ debitâ: actus enim, qui ex ſe boni ſunt, debent ſic fieri, ut voluntariè non impediant eos, qui ſunt in præcepto hìc, & nunc. Ut enim docet D. Tho. qu. 2. de Malo a. 1. ad 7. *Omnis actus per rationem regulari debet: unde omnis actus poteſt non benè fieri, ſi non ſit debitè regulatus; ut ſcilicet fiat, quando debet, & propter quod debet, & ſic de aliis, quæ ſunt in actibus obſervanda. Unde etiam hoc ipſum, quod eſt diligere Deum, poteſt malè fieri; puta, ſi quis diligat Deum propter temporalia. Et hoc ipſum, quod eſt laudare Deum ore, poteſt malè fieri, ſi hoc faciat quando non debet; quando ſcilicet alia facere tenetur.* Ita malum eſt quodcumque opus, cæteroquin bonum, facere; quando propter iſtud omittitur aliquid de præcepto faciendum: puta auditio Sacri in die feſto, vel caritatis officium erga proximum, ſi tunc præceptum urgeat.

IV. Hæc tamen vera ſunt, ſi actus, qui eſt cauſa omiſſionis, non tollat ab omiſſione malitiam. Si enim faceret, omiſſionem non eſſe ampliùs culpabilem; ut ſi actus, quem exercet, cadat hìc, & nunc ſub præcepto, ſitque majoris obligationis, quàm actus, quem omittit, & quem ſimul ponere nequit: tunc actus, qui eſt cauſa omiſſionis, non eſt peccatum. Hinc ſi quis ad ſubveniendum extremæ neceſſitati alterius, domi maneat, omittatque audire Sacrum in die feſto; non peccat, domi manendo, & proximum

Digitized by Google

ſnum adjuvando, etſi hoc ſit cauſa, cur non audiat Sacrum; quia magis obligatur ad ejuſmodi opus, quàm ad Sacri auditionem; & omiſſio in tali caſu deſinit eſſe culpabilis, juxta regulam communiter receptam: quòd quando duo præcepta ſimul occurrunt, quorum unum fortiùs obligat altero, ſi non poſſint ſimul ambo obſervari, obſervandum eſt illud, cujus arctior eſt obligatio; alterius autem omiſſio non eſt culpabilis.

V. His igitur præmiſſis, ac ſuppoſitis, difficultas præſens eſt: an qui peccat peccato omiſſionis, tunc ſolùm peccet, quando dedit cauſam omittendi; an verò quando occurrit tempus implendi præceptum, & non implet: cùm enim interdum tunc non ſit ſui compos, & uſu rationis, & libertatis careat, ut cum quis, inſtante præcepto audiendi Miſſam, dormit, vel ebrius eſt, videtur eſſe tunc incapax peccandi; & omiſſio non poſſe eſſe in ſeipſa formaliter peccatum, ſed ſolùm in cauſa, in qua eſt voluntaria: Ita ex Veteribus, & Recentioribus aliqui. Attamen

§. II.

Reſolutiones Dubii.

VI. Dico primò. Quando cauſa omiſſionis potuit, ac debuit vitari, peccatur peccato omiſſionis utroque tempore, & cum datur cauſa, & cum accidit omiſſio; ſi omiſſio maneat voluntaria in ſua causâ. Prior pars conſtat ex dictis §. præcedente. Tunc enim aliquis peccat, quando eſt voluntaria cauſa peccati: ſicut aliquis tunc ſit reus homicidii, quando vel directè, vel indirectè, aut interpretativè vult occidere, etſi nondum occidat.

VII. Secunda vero pars prob. Quia tunc temporis non ſit illud, quod debet, & talis omiſſio eſt voluntaria ſaltem in cauſa; quatenus ſequitur ex vi præcedentis voluntatis, quâ voluit cauſam, nec eam per contrariam volitionem retractavit. Unde Divus Thomas 2. 2. *quæſt.* 150. *art.* 4. de eo, qui voluntariè ſe inebriando uſu rationis ſe privavit, dicit, ei imputari omnes actus in ebrietate commiſſos; ſi tamen actus illi ab eo fuerunt prævisi: quia peccatum ſequens *redditur voluntarium ex voluntate præcedentis actus, inquantùm ſcilicet dans operam rei illicitæ, incidit in ſequens peccatum. Diminuitur tamen peccatum ſequens, ſicut & diminuitur ratio voluntatis. Unde Auguſt. dicit contra Fauſtum* (l. 22. c. 44.) *quòd Loth culpandus eſt; non quantum ille inceſtus, ſed quantum ebrietas meruit.*

VIII. Dixi: *Si omiſſio maneat voluntaria in ſua causâ.* Quoniam ſi omiſſio deſinat eſſe voluntaria eo tempore, quo præceptum foret implendum; quia de cauſa voluntariè data ſeriò pœnituerit, vel dum tempus impletionis venit, vel etiam antea, neque tamen poſſit nunc implere; non peccat, quando omittit, cùm ceſſaverit eſſe voluntaria illi omiſſio. Hinc ſi quis breviarium in Mare projecerit, poſtea verò de data iſtâ causâ omiſſionis horarum ſeriò doleat; non amplius peccat horas omittendo, quamdiu novam negligentiam in comparando ſibi breviario non committit. Similiter ſi quis ſciens, ac volens cauſam poſuerit, ob quam non poſſet Miſſam audire die feſto; poſtmodum verò iſtius cauſæ datæ pœniteat, non peccabit eo tempore, quo Miſſam omittit: quia quamvis ſuâ culpâ Miſſam non audiat, cùm tamen priorem culpam retractaverit, omiſſio non eſt ampliùs ei voluntaria.

IX. Dico ſecundò. Quamvis qui dat cauſam omiſſionis peccet, ponendo cauſam omiſſionis; ipſum tamen peccatum externum omiſſionis tunc ſolùm eſt, quando præceptum eſſet implendum, nec tamen impletur. Itaque qui voluntariè dat, & culpabiliter ponit cauſam omiſſionis, peccat quidem; & talis voluntas malitiam omiſſionis con-

trahit, cujus eſt cauſa; ſed tunc ipſum peccatum omiſſionis non completur, niſi quando præceptum de facto omittit. Eo ſimili ferè modo, quo cùm quis ſciens, & volens cauſam dat homicidio; reus quidem interiùs eſt homicidii: non tamen homicidium exteriùs propriè committit, niſi quando homicidium poſtea ſequitur. Ut propterea dici poſſit, homicidium voluntariè appoſitione cauſæ inchoari quidem; ſolùm tamen conſummari, quando ex illa causâ ſequitur homicidium.

X. Hinc D. Thom. 2. 2. *q.* 79. *a.* 3. *ad* 3. loquens de eo, qui ſe inebriavit, & non poteſt ſurgere ad matutinas, ut debet, ait; *Dicunt quidam, quòd tunc incœpit peccatum omiſſionis, quando aliquis ſe applicat ad actum illicitum, & incompoſſibilem cum illo actu, ad quem tenetur: ſed hoc non videtur verum, quia dato, quòd excitaretur per violentiam, & iret ad matutinas, non omitteret: unde patet, quòd præcedens inebriatio non fuit omiſſio, ſed omiſſionis cauſa. Unde dicendum eſt, quòd omiſſio incipiat imputari ad culpam, quando fuit tempus operandi; tamen propter cauſam præcedentem, ex qua omiſſio ſequens redditur voluntaria.* Quibus verbis non negat S. Doct. peccare eum, qui voluntariè dedit cauſam omiſſionis; ſed ſolùm negat, peccare peccato omiſſionis propriè talis, & executivè; & rationem dat; quia adhuc poſitâ illâ causâ, poteſt omiſſio impediri. Et etiam, quia *peccatum omiſſionis opponitur præceptis affirmativis, quæ pertinent ad faciendum bonum. Præcepta autem affirmativa non obligant ad ſemper, ſed ad tempus determinatum; & pro illo tempore peccatum omiſſionis incipit eſſe.* Unde ſic formatur ratio. Tunc aliquis verè culpabiliter omittit, quando obligat præceptum, & illud non implet: ſed præceptum eundi ad matutinas, non obligat pro tempore, quo quis ſe tradit ebrietati, ſed poſtea, puta mediâ nocte; ergo peccatum omiſſionis propriè non committit, quando ponit cauſam (eo vel maximè, quia poſitâ causâ omiſſio poteſt impediri) ſed poſtea.

XI. Quòd verò tempore, quo urget præceptum peccet peccato omiſſionis, oſtendit S. Doct. Quia illa omiſſio ſequens, eſtò non ſit ei voluntaria in ſe, eſt tamen ei voluntaria in cauſa, nempe, in ebrietate, ex qua ſecuturam omiſſionem prævidit, & tamen eam voluit: nam ut aliquid ſit in ſe formaliter peccatum, ſufficit, ut indirectè, & in ſua cauſa voluntarium ſit. Quod variis exemplis, præter allata, declarari poteſt. Nam pollutio ſecuta in ſomnis, in ſe voluntaria non eſt; ſi tamen ſequatur ex turpi cogitatione, vel aliâ causâ voluntariâ, peccatum eſt; ut docet D. Thom. 3. *p. q.* 80. *a.* 7. Et quod ex culpabili ignorantia ſit, eſt ſolùm indirectè, & in cauſa voluntarium: & tamen peccatum eſſe, ſuperiùs oſtendimus.

§. III.

Contrariæ Opinionis Fundamenta.

XII. Omiſſionem in ſomno contingentem non eſſe peccatum in ſe, ſed ſolùm in cauſa, & purum peccati effectum, ſuſtinent S. Bonaventura, & Scotus cum ſuis. Unde arguunt. Primò. Ut quis actu peccet, debet eſſe actu liber; quia peccatum eatenus eſt peccatum, quatenus liberum eſt, ac voluntarium: ſed omiſſio in ſomno eveniens non eſt actu libera. Tùm quia actu non eſt in hominis poteſtate, ut ſit, vel non ſit. Tùm quia abſque actuali judicio rationis non ſtat actualis libertas; in ſomno autem non eſt actu judicium rationis. Tùm tertiò: nam exterior omiſſio non eſt libera intrinſecè, ſed extrinſecè per denominationem ab actu interiori voluntatis: ſed in ſomno nullus eſt actus voluntatis liber, qui omiſſionem liberam actu denominet; ergo &c.

XIII. Reſpondeo, eum, qui peccat, debere quidem eſſe actu liberum, dum ponit

Digitized by Google

ponit cauſam peccati; non verò dum ex tali cauſa ſequitur peccatum ipſum. Dum enim quis demittens lapidem, prævidens lapidem illum fracturum caput hominis ſubtus exiſtentis, eumque occiſurum, eſt quidem actu liber, dum lapidem demittit, & ponit cauſam; non tamen dum actu ſequitur fractio capitis, & occiſio hominis: & tamen non ſolùm ei ad peccatum imputatur demiſſio lapidis, ſed occiſio inde ſecuta. Quia ut actio ſit formaliter, & in ſe peccatum, non ſemper requiritur, quòd ſit actu, & in ſe libera; ſed ſufficit, ut ſit libera, & voluntaria in cauſa.

Nec obſunt probationes in contrarium adductæ. Nam ad primam dico, quòd licèt, poſità causà, non ſit in poteſtate ponere, vel non ponere omiſſionem ex ea ſecutam; quia tamen fuit in poteſtate ponere, vel non ponere cauſam; idcirco dum voluntariè, & liberè poſuit cauſam, moraliter cenſetur voluiſſe ponere omiſſionem: & ſic omiſſio illi eſt voluntaria, & libera non in ſe, & phyſicè, ſed in cauſa, & moraliter, ideoque imputatur. — Ad ſecundam dico, quòd eſtò dum in executione ponitur omiſſio, non exiſtat judicium rationis; præceſſit tamen ad liberam volitionem cauſæ, ex qua facta fuit libera poſitio omiſſionis — Ad tertiam ſimiliter dico, quòd eſtò in ſomno non exiſtat phyſicè actus interior voluntatis; perſeverat tamen moraliter actus præcedens non retractatus, quo extrinſecè denominatur omiſſio libera, & peccaminoſa.

XIV. Sed dices. Hæc omnia concludere quidem, omiſſionem illam eſſe peccatum in cauſa, ſicut in cauſa eſt voluntaria, & libera; non verò eſſe formaliter, & in ſe peccatum: cùm eadem ſit ratio peccati, ac voluntarii, & liberi.

XV. Reſpondeo tamen, negando ſequelam. Nam quod eſt voluntarium, & liberum ſolùm in cauſa, eſtò non habeat malitiam à ſe, ſed à cauſa; eam tamen habet in ſe derivatam à cauſa liberà, quæ moraliter in eo perſeverans, illud denominat formaliter malum, & peccatum. Cujus ſignum eſt, quòd in Confeſſione non ſufficit explicare, ſe dediſſe cauſam omiſſioni; ſed ulteriùs exprimi debet, ſe actu omiſiſſe, quando omiſſio ſecuta eſt. Si autem exterior omiſſiò non eſſet in ſe peccatum, ſed ſolùm effectus peccati; non oporteret eam exprimere, ſicut nec de ea dolere. Quin imò poſſet licitè eam deſiderare, ſi eſſet purus peccati effectus: ſicut adultera licitè poteſt deſiderare partum, quamvis ſit effectus peccati, nempe, adulterii: & qui contra Eccleſiæ præceptum comedit carnes die veneris, poteſt licitè deſiderare ex illis nutriri.

XVI. Objiciunt ſecundò. Non minor libertas requiritur ad peccandum, quàm ad merendum: ſed ad meritum non ſufficit libertas in cauſa, aliàs etiam dormiens poſſet ex actu, quem ex cauſa voluntaria exercet in ſomnis, mereri; ergo &c.

XVII. Reſpondeo primò, neg. maj. Ut enim docet D. Thom. 1. 2. q. 71. a. 5. ad 1. *Plura requiruntur ad bonum, quàm ad malum; eò quòd bonum contingit ex tota integrà cauſà, malum autem ex ſingularibus defectibus, ut Dionyſ. dicit c. 4. de Divinis nomin. Et ideo peccatum poteſt contingere, ſive aliquis faciat, quod non debet, ſive non faciendo, quod debet. Sed meritum non poteſt eſſe, niſi aliquis faciat voluntariè, quod debet. Et ideo meritum non poteſt eſſe ſinè actu; ſed peccatum poteſt eſſe ſinè actu.* Quod etiam docet in 2. *diſt.* 35. *q. un. a.* 3. *ad* 4. ubi docet, quòd *meritum, quod eſt quaſi quoddam iter in finem beatitudinis, eſſe non poteſt, niſi ſit operatio, & operationis rectitudo: ſed ſive deſit rectitudo in ipſa operatione, ſive deſit ipſa operatio, erit demeritum, quod eſt receſſus à fine.* Quod etiam patet in corporalibus: *quia locum corporalem nihil acquirit, niſi per motum ordinatum in locum illum. Poteſt autem locum illum* amit-

amittere, quod eſt extra proprium locum, dupliciter: ſive non moveatur, ſed quieſcat, ſive moveatur motu indebito.

XVIII. Reſpondeo ſecundò, datâ maj. negando min. Nam ad meritum quoque ſufficit libertas in cauſa, ſi detur reſpectu actus boni. Si enim quis cum voluntate ſuſcipiendi martyrium, ſe traderet ſomno, & durante ſomno, in odium fidei, occideretur; certè mereretur coronam martyrii, quia intentio illa moriendi pro Chriſto moraliter in dormiente perſeveraret: imò martyr in inſtanti mortis ob gravia vulnera, & tormenta poteſt uſu rationis deſtitui; qui tamen meretur tunc coronam martyrii, quia voluntariè ſuſtinuit talia vulnera, & tormenta ſibi infligi.

XIX. Objiciunt tertiò. Si ebrius, aut dormiens, ratione actus præcedentis, poſſit in ſomno, aut ebrietate peccare; poterit etiam Sacerdos ebrius, aut dormiens, ſi ante ebrietatem, aut ſomnum habuerit intentionem conſecrandi, vel baptizandi, in ſomno, aut ebrietate validè conſecrare, baptizare, aut aliud Sacramentum conficere. Cur enim major libertas requiritur ad conficiendum Sacramentum, quàm ad peccandum? Sed hoc à nobis non admittitur; ergo neque prius.

XX. Reſpondeo, neg. ſequelam. Ad ejus probat. tranſeat ant. Non enim ideo à Sacerdote dormiente, aut ebrio, etſi ante ſomnum, vel ebrietatem intentionem habuerit, poteſt validè Sacramentum confici, quia ſufficientem libertatem non habeat; ſed quia Chriſtus inſtitutor Sacramentorum, non quamcumque actionem, & verborum prolationem, etſi voluntariam, & humanam, ad dignitatem Sacramenti elevare voluit: ſed eam ſolam actionem, quâ formaliter etiam exteriùs exhibet ſe hominem, & miniſtrum. Dum autem homo dormit, aut ebrius eſt, etſi faceat, aut loquatur, non agit, nec loquitur verba, quæ formaliter ſint humana, & formaliter ſignificativa; ſed ſolùm materialiter, eo modo, quo proferrentur à pſittaco, vel à pica: & ideo non agit voluntariè, ut requiritur ex Chriſti voluntate ad Sacramentum conficiendum. Cæterum quòd, abſolutè loquendo, non requiratur intentio præſens, conſtat: tùm in eo, qui habens intentionem ſuſcipiendi Baptiſma, & eâ non retractatâ incidat in amentiam, & ſic baptizetur; hic enim verè, & validè baptizatus erit. Tùm in ipſomet Sacerdote, qui animo celebrandi accedit ad Altare, ſi poſtea mente diſtractus ſinè actuali advertentiâ verba conſecrationis proferat, validè conſecrat: cùm tamen illa Baptiſmi ſuſceptio, & prolatio non ſit formaliter libera in ſe, ſed ſolùm virtualiter, vel in cauſa; quia ſinè actuali judicio rationis, vel advertentiâ libertas formalis eſſe non poteſt.

XXI. Objiciunt quartò. Sequitur ex hac ſententia, poſſe dari caſum, hominem eſſe juſtum, & ſimul mortaliter peccare. Nam ſi dum inſtat tempus præcepti, vel ante, de data cauſâ omiſſionis pœniteat, verè juſtificatur; & tamen peccabit dum omittit: non enim poteſt facere, ut cauſa omiſſionis ſemel poſita non ſit poſita. Ex quo ſecundò ſequitur, illum neceſſariò peccare. Nam ſi quis hodie ſe inebriet, prævidens ſe incapacem fore die ſequenti ad jejunandum, propter morbum ex ebrietate contrahendum; & tamen præcipiat illi Medicus, vel Superior die ſequenti, ut non jejunet, quidquid faciat, neceſſariò peccabit.

XXII. Reſpondeo, negando primum illatum. Nam, ut ſuperiùs dictum eſt, ſi quis de data cauſâ pœniteat, & tamen omiſſio ſequatur, omiſſio illa deſinet eſſe culpabilis; quia eſtò eam retractando facere non poſſit, ut cauſa ſemel poſita non ſit poſita, facere tamen poteſt, ut cauſa illa non ſit illi amplius voluntaria; & proinde quòd omiſſio ſequens voluntaria amplius non ſit, & culpabilis.

Nec ſecundum illatum urget. Nam ſi qui

Digitized by Google

ſi qui voluntariè ſe inebriavit, prævidens ſe contracturum morbum, ex quo fiat impotens jejunare, & de facto morbum contrahat, quo ex præcepto Medici, vel Superioris teneatur non jejunare; vel feriò retractavit, & doluit de cauſa ebrietatis, & ſic omiſſio jejunii definit ei eſſe voluntaria: vel etiam ſecuto ex ebrietate morbo, ſtultè adhuc approbat cauſam, quam dedit non jejunandi; & ſic voluntariè ſe conjicit in hanc neceſſitatem peccandi, ſive jejunando, ſive non jejunando. Sicut qui operatur ex conſcientia vincibiliter erronea, peccat, ſive operetur ſecundùm illam, ſive contra illam agat, ut ſuperiùs dicebamus: Quia cùm potuerit conſcientiam illam deponere, & non depoſuerit, in peccandi neceſſitatem ſe voluntariè conjecit.

XXIII. Adverto tamen, quòd qui ſuâ culpâ ſe impotentem facit ad exequenda præcepta, fit quidem reus omiſſionis omnium illorum præceptorum, quæ advertit ſibi eſſe implenda, vel quæ humano modo potuit, ac debuit advertere: ſed quantùm ad ea, quæ poſt longiora tempora eſſent facienda, vel quæ per accidens ſtatim occurrunt, cùm humano modo non cenſeatur potuiſſe omnia advertere, non eſt cenſendus omnium illorum reus. Unde ſi qui ſe inebriavit, prævidens quidem morbum ſecuturum die ſequenti, ne illa die jejunet, non tamen morbum illum diu duraturum; peccat quidem omittendo jejunium illa die, non tamen diebus ſequentibus, quos non advertit, nec advertere potuit.

XXIV. Adverto etiam, quòd qui eo tempore, quo ſervandum erat præceptum, illud omittit, quia ſe reddidit impotentem; peccat quidem, ſed non novo peccato habente novam malitiam ab ea, quam habuit voluntas ponendi cauſam: cùm omiſſio non ſit ei voluntaria, niſi eâ voluntate, quâ poſuit cauſam, nec omittendo aliud faciat, quàm conſummare in effectu, quod conceperat in affectu. Hinc actus, qui ſunt cauſa, vel occaſio omiſſionis, ſeu ex quorum effectu omittitur opus præceptum, non ſunt peccatum diſtinctum à ſubſecuta omiſſione, ſi tamen in ſe, & intrinſecè non ſint mali: ideoque ſufficit in confeſſione accuſare omiſſionem, etiamſi non accuſetur cauſa; puta, quia dormierit, aut ſtuduerit, aut quidpiam indifferens fecerit eo tempore, quo præceptum, puta audiendi Sacrum, erat implendum. Et ratio eſt: tùm quia actus illi aliam malitiam non habent, niſi omiſſionis; nec alteri virtuti opponuntur, quàm illi, cui omiſſio opponitur. Tùm quia ordinantur per modum cauſæ, ſeu modi ad omiſſionem conſummandam. Tùm quia, comparati ad omiſſionem operis præcepti, ſimiles ſunt actui interiori, & exteriori, quos unicum peccatum conſtituere oſtenſum eſt. Quòd ſi actus qui ſunt cauſa omiſſionis ſint aliunde ex ſua natura mali; velut, ſi quis ideo Sacrum non audit, quia cùm illud eſſet audiendum, vacat ebrietati, aut legit libros prohibitos ſibi, aut aliud quid malum intrinſecè facit; tunc actus illi, etiam ſecluſâ omiſſione, peccata ſunt, & diverſa: ideoque in confeſſione aperienda eſt non ſolùm omiſſio, ſed etiam cauſa, quare omiſit.

§. IV.

An Peccata Commiſſionis, & Omiſſionis ex eodem motivo procedentia, ſint ejuſdem Speciei in eſſe Moris?

XXV. Peccata commiſſionis, & omiſſionis ſumi poſſunt, vel materialiter, ſeu in eſſe naturæ, & phyſico; & ſic certum eſt, diſtingui pluſquam ſpecie: quia natura commiſſionis eſt, quòd ſit actus poſitivus; natura verò omiſſionis eſt, quò ſit privatio, vel negatio actus: conſtat autem, quòd actus, & privatio ſuæ

naturæ

naturæ ſpecie diverſæ, eo tamen modo, quo privatio, vel negatio ſpeciem habere poteſt. Quia verò ea, quæ in eſſe naturæ ſunt maximè diverſa, poſſunt formaliter convenire, & ordinari ad unum: *Ideo* (inquit D. Thomas hâc 1. 2. q. 72. a. 6.) *inveniuntur aliqui actus materialiter ſpecie differentes, qui tamen formaliter ſunt in eadem ſpecie peccati, quia ad idem ordinantur: ſicut ad eamdem ſpeciem homicidii pertinet jugulatio, lapidatio, & perforatio, quamvis actus ſint ſpecie differentes ſecundùm ſpeciem naturæ.* Ideo locus quæſito datur: an peccata commiſſionis, & omiſſionis ex eodem motivo procedentia, ſint ejuſdem ſpeciei in ratione moralitatis, & peccati; nempe, an Medicus, cui ex officio incumbit cura infirmi, ejuſdem ſpeciei peccatum homicidii committat, ſive ex propoſito omittat propinare remedia, ut moriatur; ſive ex propoſito propinet noxia, ut eum occidat. Quâ in re non unius mentis ſunt Theologi, quibuſdam negantibus, aliis affirmantibus.

XXVI. Dico tamen cum S. Thoma *art. 6.* citato. Peccata commiſſionis, & omiſſionis, ſi ad idem ordinentur, & ex eodem motivo procedant, ſunt ejuſdem ſpeciei in eſſe moris: *Si autem loquamur* (inquit S. Doct.) *de ſpecie peccati omiſſionis, & commiſſionis formaliter; ſic non differunt ſpecie, quia ad idem ordinantur, & ex eodem motivo procedunt. Avarus enim ad congregandam pecuniam, & rapit, & non dat ea, quæ dare debet: & ſimiliter guloſus ad ſatisfaciendum gulæ, & ſuperflua comedit, & jejunia debita prætermittit, & idem eſt videre in ceteris. Semper enim in rebus negatio fundatur ſuper aliqua affirmatione, quæ eſt quodamodo cauſa ejus. Unde etiam in rebus naturalibus ejuſdem rationis eſt, quòd ignis calefaciat, & quòd non infrigidet.* Quæ valdè notanda ſunt. Non enim negat, peccatum commiſſionis, & omiſſionis poſſe differre ſpecie, quatenus conſiderantur ſecundùm genus tantùm; cùm evidens ſit, omiſſionem Sacri, & commiſſionem furti, vel homicidii, eſſe peccata ſpecie diverſa: ſed ſolùm vult, quòd diverſitatem ſpecificam non habeant ex eo, quòd unum ſit commiſſio, & alterum omiſſio, quamvis eam poſſint habere aliunde, veluti ſi verſentur circa diverſam materiam, vel ſub diverſa ratione.

XXVII. Probatur inſuper alia ratione. Proportionaliter ſe habent facere malum, & declinare à bono, & facere bonum, ac declinare à malo: ſed facere bonum, & declinare à malo, ſi ex eodem motivo procedant, ejuſdem virtutis ſpecie partes ſunt: nam ad eamdem virtutem juſtitiæ pertinet, reddere cuique jus ſuum, & non rapere aliena: *Quia* (ut ait D. Tho. 2. 2. q. 79. a. 1.) *utrumque horum requiritur ad perfectum actum juſtitiæ;* ergo eâdem ratione facere malum, & omittere ex eodem motivo bonum, puta, furari, & non reſtituere, ad idem ſpecie vitium, nempe, injuſtitiam pertinent. Et ratio utriuſque eſt: quia ſicut in naturalibus idem ſpecie motus reſpicit utrumque terminum, & à quo recedit, & ad quem accedit; ita in moralibus tàm reſpectu virtutis, quàm reſpectu peccati, motus à malo ad bonum, & à bono ad malum eumdem ſpecie motum moraliter conſtituit: cumque mali proſecutio fiat per actum commiſſionis, & receſſus à bono debito, per peccatum omiſſionis; ſi utrumque ex eodem motivo procedat, utriuſque malitia unicum moralem proceſſum, & eamdem ſpecie malitiam importabit.

XXVIII. Nec obeſt, quòd contra peccatum commiſſionis, & omiſſionis dentur in lege diverſa præcepta; nempe, præcepta negativa contra primum; & affirmativa contra ſecundum.

XXIX. Nam ut reſpondet D. Tho. citatâ q. 72. a. 6. ad 2. *Neceſſe fuit in lege Dei proponi diverſa præcepta affirmativa, & negativa, ut gradatim homines introducerentur ad virtutem;*

priùs

priùs quidem abſtinendo à malo, ad quod inducimur per præcepta negativa: & poſtmodum faciendo bonum, ad quod inducimur per præcepta affirmativa. Et ſic præcepta affirmativa, & negativa non pertinent ad diverſas virtutes, ſed ad diverſos gradus virtutis: & per conſequens non oportet, quòd contrarientur diverſis peccatis ſecundùm ſpeciem. Peccatum etiam non habet ſpeciem ex parte averſionis; quia ſecundùm hoc eſt negatio, vel privatio: ſed ex parte converſionis, ſecundùm quod eſt actus quidam. Unde ſecundùm diverſa præcepta legis non diverſificantur peccata ſecundùm ſpeciem.

XXX. Neque etiam ſequitur, quòd ſi peccatum commiſſionis, & omiſſionis non varient ſpeciem, ſufficiat in confeſſione dicere, ſe peccaſſe peccato talis ſpeciei; non exprimendo, an fuerit commiſſionis, vel omiſſionis: cùm in confeſſione ſufficiat aperire numerum, & ſpeciem peccatorum.

XXXI. Non, inquam. Etenim dato, quòd non ſit neceſſe in confeſſione aperire circumſtantias intra eamdem ſpeciem notabiliter aggravantes (cujus oppoſitum ſuo loco oſtendemus) neceſſe tamen eſt aperire, & diſtinguere peccata commiſſionis, & omiſſionis; quia licèt non varient ſpeciem, ſpectant tamen ad ſubſtantiam ſpeciei, ut partes eam integrantes: unde ut ſpecies integrè exponatur, debent peccata commiſſionis à peccatis omiſſionis ſeorſim explicari.

QUÆSTIO III.

De Peccato Mortali, & Veniali.

Celebris eſt diviſio peccati actualis in mortale, & veniale, de qua præſentem inſtituimus quæſtionem: ut quæ de natura utriuſque, ſive inter Catholicos, & hæreticos, ſive inter ipſos Catholicos diſputari ſolent, Candidato meo innoteſcant. De quo agit D. Tho. 1. 2. *q.* 88. & 89.

DUBIUM I.

An omne Peccatum naturâ ſuâ ſit Mortale; vel potiùs detur aliquod Peccatum naturâ ſuâ Veniale?

§. I.

Prænotantur Aliqua.

I. Noto, quòd peccatum tripliciter dici poteſt veniale. Primò. Veniale dici poteſt omne peccatum, cujus aliquis de facto veniam conſequitur: quo pacto Mariæ Magdalenæ peccata, quamvis multa, gravia, & mortalia, dici potuerunt venialia; quia omnia à Chriſto veniam ſunt conſecuta, Lucæ 7. v. 47. *Remittuntur ei peccata multa.* Et in hoc ſenſu loquitur S. Ambroſius *lib. de Paradiſo cap.* 14. cùm de peccato Hevæ, quæ illud confeſſa veniam reportavit: *Veniabilis* (inquit) *culpa, quam ſequitur profeſſio delictorum. Ideo non deſperata mulier, quæ non reticuit Deo; ſed magis confeſſa peccatum eſt, quam medicabilis ſecuta ſententia eſt.* Et Auctor libri *de verâ, & falſa Pœnitentiâ* olim Auguſtino falsò adſcripti, *cap.* 18. ait: *Quædam peccata ſunt, quæ ſunt mortalia, & in pœnitentia ſiunt venialia.* Hujuſmodi generis peccatum vocatur à D. Thoma hìc q. 88. a. 2. *Veniale ex eventu;* quia eſt veniam conſecutum: & ſic peccatum veniale non opponitur mortali abſolutè, ſed illi tantùm, quod nunquam dimittitur.

II. Secundò. Peccatum veniale dicitur, quia habet in ſe aliquam cauſam veniæ, ex parte ſaltem: quia eſtò ſit puniendum æternalitèr, non tamen ita graviter, ſicut alioquin eſſet puniendum; eo quòd habeat in ſe aliquid diminuens culpam, cujuſmodi eſt, quod ex infirmitate, vel ignorantiâ eſt commiſſum: & hoc vocatur à S. Thoma laudato loco *Veniale ex cauſa.*

Sed

Digitized by Google

Sed neque hoc conſtituit determinatum genus peccati à mortali diſtinctum.

III. Tertiò. Veniale dicitur, quod, quantum eſt de ſe, veniam non excludit; propterea quia affert quidem quamdam inordinationem in actu, ſed caritatem non extinguit, nec tollit à ſubjecto ordinem ad ultimum finem: ideoque non meretur pœnam æternam, ſed temporalem: ſive ex genere, aut objecto tale ſit, ſive propter materiæ levitatem, ſive propter inadvertentiam, & imperfectionem libertatis in operante — Hanc triplicem diviſionem brevibus verbis expoſuit D. Tho. præter locum ſupra relatum, etiam 1. 2. q. 77. a. 8. *ad* 1. dicens: *Veniale dicitur tripliciter. Uno modo ex cauſa; quia, ſcilicet, habet aliquam cauſam veniæ, quæ diminuit peccatum: & ſic peccatum ex infirmitate, vel ignorantiâ dicitur veniale. Alio modo ex eventu; ſicut omne peccatum per pœnitentiam fit veniale, ideſt, veniam conſequitur. Tertio modo dicitur veniale ex genere; ſicut verbum otioſum: & hoc ſolum veniale opponitur mortali.* De veniali ergo hoc tertio modo ſermo erit.

IV. Diviſionem peccati in peccatum ex genere, & naturâ ſuâ mortale, & ex genere, ac naturâ ſuâ veniale, tanquam Sophiſtarum inventum (hoc enim nomine Theologos Catholicos nebulo iſte ſugillat) rejicit Calvinus; volens, omnia peccata naturâ ſuâ eſſe mortalia, & ſolis Prædeſtinatis dici venialia, quia eis non imputantur. Scribit enim l. 2. Inſt. c. 8. §. 59. *Sanctorum delicta venialia eſſe, non ex ſuapte naturâ; ſed quia ex Dei miſericordiâ veniam conſequuntur.* Et *lib. 3. cap. 4. §. 28.* ait: *Fidelium peccata venialia eſſe, non quia non mortem mereantur; ſed quia Dei miſericordiâ nulla eſt condemnatio iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu; quia non imputantur, quia veniâ delentur.* Hauſit hunc errorem Calvinus ex parte à Jo. Wicleffo Sacerdote Anglo, à Concilio Conſtantienſi damnato; qui Carolo IV. Imperatore, & Clemente VI. Roman. Pontif. anno 1352. docuerat, omne peccatum Prædeſtinati eſſe veniale, & omne peccatum Reprobi eſſe mortale, non ex natura ſuâ, ſed ex ordinatione divinâ. Lutherus autem omnia quidem Infidelium peccata aſſeruit eſſe mortalia; Fidelium tamen peccata omnia eſſe venialia, præter infidelitatem, quam ſolam credidit eſſe mortale peccatum. Cùm enim exiſtimet fide hominem juſtificari; dummodo fidem retineat, hominem manere juſtum coram Deo exiſtimavit.

Sunt qui Jo. Gerſonem Cancellarium Pariſienſem, & Jo. Fiſcherum Epiſcopum Roffenſem in hunc errorem trahere conentur. Sed utrumque ab hac macula abſterſi in Verâ Eccleſiâ *Tom. 2. p. 1. a. 10. §. 12. n. 67.*

§. II.

Catholica Veritas ex Scriptura, & Patribus.

V. Dico. Non omnia peccata ex natura ſuâ ſunt mortalia; ſed dantur aliqua ex natura ſuâ, & non tantùm ex non imputatione, venialia. Hæc catholica veritas probatur primò ex Scripturis. Nam *Matth. 7. v. 3. 4. & 5.* Quædam peccata comparantur feſtucæ in oculo, quædam trabi; feſtuca autem turbat quidem oculum, ſed naturâ ſuâ non excæcat; ergo dantur peccata, quæ minuunt quidem caritatis fervorem, ſed naturâ ſuâ illam non extinguunt. *Matthæi* inſuper *23. à verſ. 23.* Reprehendit Chriſtus Phariſæos, quòd decimarent *mentham, & anethum, & cyminum;* reliquiſſent autem, *quæ graviora ſunt legis* quòd excolarent *culicem*, *camelum* autem devorarent; ideſt, quòd de minimis peccatis ſolliciti, graviora negligerent. Quid autem ſunt *mentha, anethum, cyminum*, gravioribus legis præceptis oppoſita, & culex camelo; niſi peccata levia, quæ Phariſæi hypocritæ pluris faciebant, quàm graviora?

Hinc

Digitized by Google

Hinc D. Hieronymus in c. 7. Matth. *Cùm ipſi* (inquit) *mortali crimine tenenantur obnoxii, minora peccata fratribus non concedunt, culicem linquantes, & camelum glutientes.*

VI. Item D. Paulus 1. *Cor.* 3. *v.* 12. Inter opera, quæ homo Chriſto adhęrens ut fundamento ſuperædificat, aliqua dicit aurum, argentum, & lapides pretioſos, quæ ſunt opera meritoria, pro quibus mercedem accipiet: alia verò eſſe lignum, fœnum, ſtipulam, quæ igne comburentur, qui tamen ea fecit, ſalvus erit; hæc autem ſunt peccata, ſed non mortalia. Tùm quia non deſtruunt fundamentum, nempe, gratiam, & caritatem, per quam Chriſto unimur. Tùm quia, qui ea fecit, ſalvus erit: cum è contrario de aliis, qui graviora committunt, dicit ibi v. 17. *Si quis autem templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus.* Et ad Gal. 5. v. 21. *Qui* (inquit) *talia agunt, regnum Dei non conſequentur;* ergo ſunt peccata naturâ ſuâ levia, venialia, & ſalutem æternam non impedientia. Textum hunc Pauli *ad Cor.* fusè expendimus in Vera Eccleſia *Tom.* 2. *Par.* 1. *a.* 10. §. 4. ubi Calvini falſas interpretationes rejecimus. Unde illuc Lectorem remitto.

VII. Chriſtus quoque idem aſſeruit. Tùm *Matth.* 5. *v.* 22. his verbis: *Ego autem dico vobis, quia omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio; qui autem dixerit fratri ſuo rhaca, reus erit concilio: qui autem dixerit, fatue, reus erit gehenna ignis.* Ubi cùm ex illis tribus peccatis, tertium dumtaxat puniatur gehennâ ignis, hoc eſt pœnâ æternâ, cætera autem duo pœnâ minori, & temporaneâ; clarum eſt, Chriſtum docere, ſolùm tertium eſſe peccatum mortale, hoc eſt, æternâ morte dignum, duo autem priora venialia eſſe; quia non ex deliberatione, ſed ſubitaneo iræ motu abſque plenâ advertentiâ procedentia. *Rhaca* (inquit S. Jo. Chryſoſtomus Homil. 16. in Matth.) *Non grandis alicujus eſt ſermo convitii, ſed magis de contemtu veniens impatientia dicentis; ut ipſi nonnunquam, vel ſervulis, vel inferioribus quibuſcumque aliquid imperantes, dicimus,* vade tu, dic illi; *ſed etiam qui utantur lingua Syrorum,* Rhaca, *pro eo, quod eſt, tu, dicere ſolent: ſed miſericors Dominus cum majoribus etiam minima quaque delicta evellit, præcipiens, ut mutuò nobiſmetipſis, & honorabilius utamur, & cautiùs, ut per hæc majora quoque peccata moriantur.* Deinde enumeratis multis, iiſque graviſſimis conviciis, & peccatis, quæ ex illis oriri ſolent, pergit: *Quæ omnia Chriſtus jam comprimens, eum quidem, qui ſinè causâ iraſcitur, judicio condemnat, & ideirò dicit: qui iraſcitur fratri ſuo ſinè causâ, reus erit judicio; eum verò, qui dixerit* Rhaca, *reum pronunciat eſſe concilio, ſed adhuc iſta non magna ſunt &c.* Videantur, quæ circa hunc textum diximus *in Vera Eccleſia Tom.* 2. *P.* 1. *a.* 10. §. 12. *à num.* 74.

VIII. His adjungi poteſt illud *Matth.* 6. *v.* 12. ubi Chriſtus modum orandi docens omnes etiam juſtos, ac Prædeſtinatos, vult, ut dicant Deo: *Dimitte nobis debita noſtra,* quæ debita ſunt peccata. Supponit ergo Chriſtus, in juſtis, & Prædeſtinatis eſſe peccata, pro quibus à Deo remiſſionem petere debent: ſed hæc mortalia non ſunt; quia, ſecundùm Calvinum, prædeſtinatis, & juxta Lutherum, fidelibus non imputantur; ergo ſunt peccata levia, quæ vocamus venialia. Ita S. Auguſt. *Epiſt* 108. modò 265. *ad Seleucianum*, dicens, illa peccata, pro quibus quotidie dicimus: *Dimitte nobis debita noſtra*, eſſe peccata quotidiana: *illa utique, quæ humanæ fragilitati, quamvis parva, tamen crebra ſubrepunt: quæ ſi collecta contra nos fuerint, ita nos gravabunt, & oppriment, ſicut unum grande peccatum. Quid enim intereſt ad naufragium, utrum uno grandi fluctu navis operiatur, & obruatur, an paulatim ſubrepens aqua in ſentinam, & per negligentiam derelicta, atque contemta im-*

pleat navem, atque ſubmergat? Non quia peccata venialia ſimul collecta evadant mortale; ſed quia aſſuetus negligere parva, diſponitur ad graviora, juxta illud Eccleſiaſtici 19. v. 1. *Qui ſpernit modica, paulatim decidet.* Idem docet *Homil. 19. inter 50.* modò *Serm.* 388. his verbis: *Non me latet, vitam iſtam mortalem, & in carne corruptibili conſtitutam ſinè peccatis eſſe non poſſe: ſed illa quotidiana, & levia habent etiam ſua lavacra quotidiana. Hoc eſt, quòd pectus tundimus, & dicimus in oratione Domino Deo noſtro:* Dimitte nobis debita noſtra... *Non enim ſinè causâ hoc dicimus, aut verò ipſe cœleſtis Magiſter doceret iſtam orationem, niſi nos peccatores eſſe prævideret. Vidit enim, quæ cavere debeamus, & vidit, quæ cavere difficile ſit. Omnia autem cavere, impoſſibile eſſe judicavit, qui iſtam orationem quotidianam, non quoslibet Chriſtianos, ſed ipſos arietes Apoſtolos docuit.* Inde allato textu D. Joann. Epiſt. 1. c. 1. v. 8. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos decipimus, & veritas in nobis non eſt;* ne quis putaret, per iſta quotidiana peccata, venire etiam quotidianas fornicationes, latrocinia, & homicidia, ſubjungit: *Quod enim Deus ſtatuit propter levia peccata, ille putat, ad illa gravia ſibi poſſe opitulari.* Monens ipſum, ut illa gravia priùs pœnitentiâ purget, & relinquat, ut ſic de levibus dicere poſſit: *Dimitte nobis debita noſtra.*

IX. Conſentiunt S. Ambroſius l. 2. de Pœnitentia c. 10. *Quotidiani* (inquit) *nos debet pœnitere peccati; ſed hæc* (pœnitentia) *delictorum leviorum, illa graviorum.* S. Hieronymus ad cap. 2. Jerem. *Qui levi peccatorum ſorde maculatus eſt, levioribus purgatur monitis. Porrò peccata graviora, quæ ad mortem trahunt, nec nitro, nec herbâ Berith dilui poſſunt, ſed gravioribus tormentis indigent.* Agnoſcit ergo peccata ſuâ naturâ levia, quæ levioribus monitis purgantur, nec ad mortem trahunt; & alia, quæ trahunt ad mortem, & gravioribus tormentis indigent. Tandem laudatus Auguſtinus lib. de Spiritu, & littera c. 28. *Sicut enim* (inquit) *non impediunt à vita æternâ juſtum quædam peccata venialia, ſinè quibus hæc vita non ducitur: ſic ad ſalutem æternam nihil proſunt impio aliqua bona opera, ſinè quibus difficillimè vita cujuſque peſſimi hominis invenitur.* Lib. de Nat. & gratia c. 38. Hæc venialia peccata etiam in juſtis fuiſſe, docet. Et *l. 1. contra duas Epiſt. Pelagian. cap.* 14. diſtinguens inter peccata, & crimina, dicit, quòd eſtò multi ſint ſinè crimine, nullus tamen eſt ſinè peccato; & propterea omnes dicere debent: *Dimitte nobis debita noſtra*, etiamſi ſint fideles, & baptizati; & hanc dicit eſſe fidei catholicæ ſanitatem contra hæreticam vanitatem. Quibus Lutherum condemnat, volentem, fideles nullius peccati eſſe obnoxios.

X. Meritò igitur Concilii Milevitani Patres, inter quos fuit S. Auguſtinus anno 416. *Can. 7. &* 8. ſub anathemate definierunt, Sanctos pro ſeipſis veraciter dicere: *Dimitte nobis debita noſtra.* Intelligebant quippe, dari aliqua peccata, quæ cum ſanctitate cohærerent, quam doctrina, tradit Concil. Tridentinum *Seſſ. 6. c. 11.* dicens: *Licèt enim in hac mortali vita, quantumvis Sancti, & juſti in levia ſaltem, & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant; non propterea deſinunt eſſe juſti: nam juſtorum illa vox eſt, & humilis, & verax, dimitte nobis debita noſtra.* Quapropter S. Pius V. (& poſt ipſum Gregor. XIII. & Urbanus VIII.) propoſitionem Baii hanc, ordine vigeſimam, jure confixit: *Nullum eſt peccatum ex natura ſua veniale, ſed omne peccatum meretur pœnam æternam.*

§. III.

Digitized by Google

§. III.

Eadem Catholica Veritas Rationibus ſuadetur.

XI. PRimò occurrit ratio, quâ utitur D. Tho. hâc *q.* 88. *a.* 1. Peccatum eſt quædam animæ infirmitas, juxta illud Pſ. 6. v. 3. *Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum, ſana me Domine*; ergo de peccatis diſcurrendum eſt, ſicut de infirmitatibus corporis: atqui inter iſtas quædam ſunt graves, & mortales, quæ mortem inducunt, & auferunt principium vitæ: quædam verò leves, quæ principium vitæ non tollunt, quamvis ad id diſponant; ergo & in peccatis, quædam ſunt naturâ ſuâ gravia, & mortalia, quæ mortem ſpiritualem afferunt, privando gratiâ, & caritate, quæ ſunt vita animæ; quædam levia, quæ eſtò ad hoc diſponant, ſi non curentur, de ſe tamen non valent eam cauſare.

XII. Secunda ratio eſt. In amicitia humanâ quædam ſunt leves offenſæ, quæ amicitiam non ſolvunt; ergo ſimiliter in divinâ. Quis enim dicat, quòd riſus ſuperfluus, aut verbum otioſum ex naturâ ſuâ amicitiam Dei ſolvat, & hominem æternâ morte dignum faciat; & ſolùm ex gratia, & miſericordiâ Dei fiat venialis?

XIII. Confirmatur primò. Nimis auſterus, & inconſtans eſſet Deus, ſi apud ipſum leviſſima offenſa, puta, riſus ſuperfluus, aut verbum otioſum, tanti fieret; ut, propter ipſam, amicitiam cum homine contractam diſſolveret, & homo æternâ pœnâ eſſet puniendus, imponens homini jugum, non ſuave, & onus non leve, ut ipſe teſtatur *Matth.* 11. *v.* 29. ſed grave, aſperum, & durum. Cùm ergo Deus hominem non deſerat, neque avertatur ab homine, niſi homo avertatur à Deo, eumque deſerat; nec homo proferens verbum otioſum, aut quid aliud leve committens, Deum deſerat, aut à Deo avertatur; patet, Deum ab eo non averti, nec eum ut inimicum habere.

XIV. Confirmatur ſecundò. Verbum otioſum eſt peccatum; nam de eo reddituri ſumus rationem in die judicii, Chriſto teſte, Matth. 12. v. 36. *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii*: ſed non eſt peccatum mortale: quis enim exiſtimare poterit, verbum otioſum, & inconſideratè prolatum, tantam eſſe offenſam naturâ ſuâ, ut afferat animæ mortem, & propter eam ſubiturus ſit homo æternam pœnam? Propterea non dixit Chriſtus, de omni verbo otioſo pœnas æternas luent, ſed *reddent rationem*. Aliud enim eſt verbum purè *otioſum*, quod caret piâ utilitate; aliud verbum *crimminoſum*, quale eſt blaſphemia in Spiritum Sanctum. Quare diſcurſus Chriſti, teſte S. Hieron. *in cap.* 12. *Matth.* eſt iſte: *Si otioſum verbum, quod nequaquam ædificat audientes, non eſt abſque periculo ejus, qui loquitur; & in die judicii redditurus eſt unuſquiſque rationem ſermonum ſuorum: quantò magis vos, qui opera Spiritus Sancti calumniamini, & dicitis, me in Beelzebu principe Dæmoniorum ejicere Dæmonia; reddituri eſtis rationem calumniæ veſtræ? Otioſum verbum eſt, quod ſinè utilitate, & loquentis dicitur, & audientis, ſi omiſſis ſeriis de rebus frivolis loquamur, & fabulas narremus antiquas. Cæterum qui ſcurrilia replicat, & cachinnis ora diſſolvit, & aliquid profert turpitudinis, hic non* otioſi *verbi, ſed* criminoſi *tenebitur reus.*

XV. Reſponſio communis Hæreticorum eſt: aliud eſſe, quòd omnia peccata ſint ex natura ſuâ mortalia; aliud, quòd omnia omnibus imputentur ad mortem: omnia quidem ſuâpte naturâ merentur mortem, ſed non omnia omnibus imputantur. Imputantur quidem Infidelibus, ait Lutherus, & reprobis, ait Calvinus, non tamen Fidelibus, aut Prædeſtinatis.

Digitized by Google

XVI. Sed contra . Plura enim eſſe peccata , præter infidelitatem , eaque imputari ad mortem, contra Lutherum, conſtat ex Scripturis ; præſertim *Jacobi 2. v.* 4. ubi dicitur , fidem ſinè operibus mortuam eſſe: *Quid proderit fratres mei , ſi fidem quis dicat ſe habere , opera autem non habeat ? Numquid poterit fides ſalvare eum ?* Atqui ſi habenti fidem peccata non imputarentur , etiamſi opera non haberet caritatis , ſed eſſet omnibus criminibus irretitus, adulter , fornicarius , fur &c. adhuc fides poſſet ſalvare eum , quia faceret , ut omnia peccata eſſent illi venialia ; ergo &c. Ulteriùs : alia peccata enumerat Paulus , præter infidelitatem , quæ erunt hominibus ad mortem æternam 1. Corint. 6. v. 9. & 10. *Nolite errare* (inquit) *neque fornicarii , neque Idolis ſervientes , neque adulteri , neque molles . . . Regnum Dei poſſidebunt* . Ubi , præter infidelitatem , quæ Idolorum ſervitus eſt , alia peccata à Regno Cœlorum excludentia recenſet. Ne autem Fideles ea ſibi non imputari, dum per fidem unum ſunt cum Chriſto , exiſtimarent, ſubjungit v. 18. *Fugite fornicationem . Omne peccatum , quodcumque fecerit homo , extra corpus eſt : qui autem fornicatur , in corpus ſuum peccat* . Quomodo autem alia peccata extra corpus ſint , ſola fornicatio in corpus ſuum peccet , variè exponit S. Thomas in 1. *ad Cor. c. 6. lect.* 3.

XVII. Contra Calvinum verò ſic primò urgeo . Adamus è numero Prædeſtinatorum fuit , ut contra Tatianos oſtendimus *T. 6. q. 6. Dub.* 4. & tamen comeſtio ligni vetiti fuit illi imputata ad peccatum mortale : eâdem ratione Davidi imputatum fuit adulterium , & homicidium : Mariæ Magdalænæ , quæ fuit in Civitate peccatrix , plura peccata ; & D. Petro trina negatio , qui tamen erant de numero Electorum . Secundò . Si reprobis nullum peccatum remittitur , & Prædeſtinatis nullum imputatur ; ergo in utriſque ſuperfluus eſt Baptiſmus , & pœnitentia : illis , quia peccatum non remittitur ; iſtis , quia peccatum non imputatur . Tertiò . Tam Prædeſtinatus , quàm reprobus poſſet ſe tradere omni iniquitati , ſi uterque certus eſſet ; ille , ea ſibi non fore imputanda , iſte , ſibi non fore dimittenda . Ex quo ſequeretur etiam , Deum fore acceptatorem perſonarum , imò & injuſtum . Quartò . In eodem genere peccati non leviùs peccant renati , & Prædeſtinati , quàm Infideles , & reprobi , ſed gravius , ut docet D. Thom. 1. 2. *q.* 73. *a.* 10. partim , quia majori lumine , & cognitione donati , juxta illud Lucæ 12. v. 47. & 48. *Ille autem ſervus , qui cognovit voluntatem Domini ſui , & non præparavit , & non fecit ſecundùm voluntatem ejus , vapulabit multis . Qui autem non cognovit , & fecit digna plagis , vapulabit paucis* . Partim , quia majoribus beneficiis cumulati , magis ingrati exiſtunt . Unde eò major fuit divina indignatio contra peccata populi Judaici ; quia majoribus beneficiis auctus , ingratus fuit , ut Scriptura paſſim teſtatur . Tantum igitur abeſt , quòd Fidelibus, ac Prædeſtinatis peccata à Deo non imputentur , quòd potiùs magis eis imputantur .

§. IV.

Hereticorum Fundamenta .

XVIII. Calvinus , aliique Heterodoxi multis Scripturarum textibus errorem ſuum confirmare , & velut quâdam mole nos obruere conantur . Eos tamen monet Hieronymus l. adv. Luciferianos in fine . Ne *ſibi blandiantur , ſi de Scripturarum capitulis videntur ſibi affirmare, quod dicunt; quum & Diabolus de Scripturis aliqua ſit loquutus , & Scriptura non in legendo conſiſtant, ſed in intelligendo* . Hoc autem ita eſſe in caſu præſenti, ſequentibus apparebit .

XIX. Primum ergo teſtimonium , quod objiciunt , ſumitur ex Ezechiel. c. 18. v. 20. *Anima , quæ peccaverit , ipſa*

ipſa morietur: & Paulo Rom. 6. v. 23. *Stipendia peccati mors.* Conſequens igitur eſt, omne peccatum eſſe mortale, & inferens mortem animæ.

XX. Reſpondeo, intentum Ezechielis eſſe, oſtendere, peccata Patris non puniri in filiis, aut è contra; unde ſubdit: *Filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filii;* ſed qui peccavit, ipſe morietur. At quocumque peccato? Nequaquam. Scilicet, qui peccaverit, ſerviens idolis, uxorem alterius polluens, furta, & rapinas exercens, pauperi injurians, & ſimilia: quæ peccata mortalia, & quidem graviſſima eſſe, quis non videt? Paulus autem loquitur de peccatis, quibus exhibentur membra ſervire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ut *v.* 19. Quare in conſequentia vitium eſt, dum ex quo aliqua peccata generant mortem, inferunt; ergo omne peccatum generat mortem.

XXI. Secundum ſumitur ex illo Matth. 5. *v.* 19. ubi Chriſtus ait: *Qui ergo ſolverit unum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in Regno Cœlorum,* ideſt, *nullus vocabitur,* ut exponit Calvinus. Cui conſonat illud Jacobi 2. v. 10. *Quicumque autem totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus;* ergo peccatum quantumcumque minimum, ſemper eſt mortale.

XXII. Reſpondeo, neg. conſeq. Neque enim Chriſtus dicit, eum fore minimum in Regno Cœlorum, qui tranſgreſſus fuerit aliquod minimum mandatum; ſed qui falsâ interpretatione corruperit: hoc enim indicant illa verba; *Qui ſolverit, & docuerit ſic*: ideſt (ait Auguſt. l. 1. de Serm. Dom. in Monte c. 8.) *ſecundùm id, quod ſolvit, non ſecundùm id, quod invenit, & legit.* Sic erit minimus in Regno Cœlorum (hoc eſt viliſſimus, & abjectiſſimus in reſurrectione, atque adeo excludendus à beatitudine) qui unum de mandatis iſtis, in ejus opinione minimis, ſolverit, & falsâ interpretatione docuerit alios ſolvere. Hoc enim ſignificant illa verba: *Qui ſolverit unum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines.* Quod faciebant Scribæ, & Phariſæi, contra quos ibi agit Chriſtus. Nam præceptum de homicidio, adulterio, & proximi dilectione ſic interpretabantur, ut dicerent: externum quidem homicidium, & adulterium lege prohiberi, non autem iram, & concupiſcentiam interiorem, & amicos quidem diligendos eſſe, non autem inimicos.

Addi etiam poteſt, mandata minima illic non intelligi ea, quæ ſolùm obligant ſub peccato veniali; ſed ea, quæ in opinione Phariſæorum reputabantur minima, dum eis proprias traditiones, earumque obſervantiam anteponebant; quos propterea Chriſtus corrigit. Ita S. Hieronymus in hoc caput.

XXIII. Quod verò ex Jacobi ſecundo objicitur, non favet Adverſariis. Nam Jacobus ibi loquitur de tranſgreſſione unius ex præceptis Decalogi, quæ certè peccatum mortale eſt; unde ſubdit v. 11. *Qui enim dixit non mœchaberis, dixit, & non occides. Quòd ſi non mœchaberis, occides autem, factus es tranſgreſſor legis.* Qui autem legem in uno tranſgreditur, puta, occidendo, factus eſt omnium reus; quia unica offenſa mortalis, cùm privet hominem caritate, ſufficit ad eum perdendum. Non autem omnem offenſam eſſe mortalem, indicat idem c. 3. v 2. *In multis* (inquit) *offendimus omnes:* nec tamen concederet, omnes factos eſſe reos omnium præceptorum. Neceſſe eſt ergo dicere, quòd c. 3 loquitur de parvis offenſis. Et c. 2. de magnis.

XXIV. Tertium ſumitur ex illo Joan. 13. *v.* 8. Ubi Chriſtus Petro ait: *Si non lavero te, non habebis partem mecum:* loquebatur autem de ablutione à peccatis, quæ nos vocamus venialia; ergo & iſta naturâ ſuâ ſunt mortalia, cùm excludant à Regno Cœlorum.

XXV.

XXV. Reſpondeo cum D. Thom. in dictum *cap. Joann. lect* 2. verba illa referri poſſe ad factum, & ad ſignatum per illud. Si referantur ad ſignatum; ſenſum faciunt, quòd nullus habiturus ſit partem in Regno Cœlorum, niſi emundetur per Chriſtum. Si verò referantur ad factum; eſtò ablutio illa à parvis ſordibus, non eſſet neceſſaria abſolutè ad ſalutem; erat tamen neceſſaria, ut præcepta à Chriſto; vel quia prævidebat, Petrum ex tali inobedientiâ viam ſibi paraturum ad graviora peccata, quibus habiturus non eſſet partem ſecum.

XXVI. Quartum teſtimonium ſumitur ex illo Matth. 10. v. 42. *Quicumque potum dederit uni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine diſcipuli: amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam.* Ex quo ſic arguunt. Minimum opus bonum meretur vitam æternam; ergo opus malum, etiam minimum, meretur pœnam æternam.

XXVII. Reſpondeo, diſt. an. Minimum opus bonum factum ex caritate, vel caritati conjunctum, ut in homine juſto, conc. ant. Sic autem quamvis ex ſuo genere minimum, ex modo tamen, quo exercetur, eſt opus excellentiſſimum caritatis. Minimum opus præcisè ſpectatum, & ex ſua morali honeſtate, ac ſinè gratiâ, & caritate, meretur &c. nego ant. & ſimiliter, diſt. conſequ. Minima peccata ex ſua naturâ, & in homine juſto, in quo nullum eſt mortale, merentur &c. nego conſ. Conjuncta cum mortalibus in peccatore, & quaſi per accidens, conc. conſ. Sicut ergo opus bonum, etſi aliàs minimum, quia tamen interdum ordinatur in Deum ut ultimum finem, meretur præmium æternum: ita peccatum veniale, quia naturâ ſuâ non deordinat à Deo ultimo fine, pœnam æternam non meretur.

XXVIII. Sed dicunt. Pro animabus illorum, qui cum ſolis peccatis venialibus moriuntur, Eccleſia orat, ut Chriſtus liberet eas *de morte æternæ, de ore leonis, ne abſorbeat eas tartarus*: ſentit ergo, quòd pro talibus poſſent ad pœnas æternas damnari, ſi rigor juſtitiæ ſervaretur. Eo vel maximè, quia apſque ulla injuſtitiâ poſſet Deus peccatum etiam minimum æternaliter punire.

XXIX. Reſpondeo, neg. conſequ. Cùm enim Eccleſia non ſit certa de ſtatu morientium, ſintne magnis, an parvis peccatis obnoxii; eſtò confidere poſſit de multis, quòd ſinè mortali peccato decedant, tutiùs exiſtimat, etiam pro ipſorum animabus petere à Deo, ne abſorbeat eas tartarus, ut liberentur à morte æterna: præſertim cùm preces illæ dirigantur ad horam mortis; ac perinde loquatur de illis, ac ſi tùm è corpore migrarent, neque adhuc ſententiam Judicis finalem accepiſſent. Quomodo etiam partim in Adventu, partim in Nativitate Domini perinde orat, ac ſi Deus foret incarnandus, vel naſciturus dicens: *Rorate Cœli deſuper, & nubes pluant juſtum. Emitte agnum Domine dominatorem terræ. Spiritus Sanctus in te deſcendet Maria. Orietur ſicut Sol Salvator Mundi, & deſcendet in uterum Virginis*; repræſentando myſterium olim factum, & petendo, fructum ejus nobis applicari. Ita repræſentando liberationem à morte æterna, quàm piè credit ſecutam in hora mortis, per merita Chriſti, Eccleſia petit, ut per eadem liberetur etiam à pœna temporali, quæ fortè ſupereſt ei luenda. Quæ benè notanda ſunt.

Ad id, quod additur dico, quòd Deus tanquam Judex, & vindex peccati non poteſt peccatum veniale ſeparatum à mortali, per ſe, æternaliter punire: poſſet tamen talem hominem tali peccato obnoxium ſic punire, ſeu veriùs affligere, tamquam abſolutus Dominus, qui poteſt re ſuâ uti, prout voluerit.

XXX. Objiciunt deinde auctoritatem S. Auguſtini, qui lib. 9. c. 13. *Væ (inquit) etiam laudabili vitæ hominum, ſi remotâ miſericordiâ diſcutias eam;*

eam; ergo illis, qui tantùm parva habent peccata, æterna damnatio manet, niſi miſericorditer cum illis agatur. Unde idem Auguſt. *lib. 2. de Peccat. meritis c. 3.* ait: *Quis enim cum aliqua ſpe adipiſcendæ ſalutis æternæ de hac vita migraret, manente illâ ſententiâ: quòd* Quicumque totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus, *niſi poſt paululum ſequeretur ....* ſuperexaltat autem miſericordia judicio?

XXXI. Baſilius item *in Reg. brevioribus ad interrogat.* 4. ſcribit, nulla peccata exiſtimanda eſſe minuta. Et *ad interrogat.* 193. ait, differentiam minorum, & majorum peccatorum nuſquam in novo Teſtamento inveniri.

XXXII. Reſpond. ad primum Auguſt. teſtimonium, neg. conſ. Non enim vult Auguſtinus, quòd iis, qui parva habent peccata, æterna maneat damnatio; ſed ſolùm, quòd niſi eis divinâ miſericordiâ condnnentur, & niſi ab eis mundentur, non poterunt in Regnum Cœlorum ingreſſum habere, in quod nihil immundum, & coinquinatum intrabit. Hanc autem eſſe Sancti Auguſtini mentem, conſtat ex eodem *lib. 9. Conf. c. ultimo*, ubi rogat lectores, ut pro matre ſua defunctâ orent: *Ut* (inquit) *conſequatur Dei miſericordiam:* atqui defunctis non fit miſericordia, remittendo eis peccata mortalia, ſed venialia tantùm; ergo horum miſericordia cuique ad ingreſſum in vitam æternam eſt neceſſaria.

Ad ſecundam ejuſdem Auguſtini auctoritatem dico, ſimiliter eum ſolùm velle, quòd nemo certus de adipiſcenda ſalute ex hac vitâ migraret, niſi miſericordia ſuperexaltaret judico, propter venialia, quorum conſcius eſt; maximè quia certus non eſt, peccatum, quod ſibi veniale apparet, non eſſe coram Deo mortale: *Nihil enim* (ajebat Paulus 1. Cor. 4. v. 4.) *mihi conſcius ſum; ſed non in hoc juſtificatus ſum: qui autem judicat me, Dominus eſt*. Unde Eccleſiaſtæ 9. v. 1. *Neſcit homo, utrum amore, an odio dignus ſit*. Locum autem illum Jacobi intelligit Auguſtinus de iis, qui ſic offendunt, ut frangendo legem, amittant caritatem: hanc autem non amitti, niſi per peccatum mortale, oſtendit *Epiſt. 29. modò 167. ad Hieronymum*, ubi exponit præfatum Jacobi dictum.

XXXIII. Baſilius autem (ſi tamen illarum reſponſionum ipſe auctor ſit) ſolùm vult, nullum eſſe peccatum ita parvum, ut vel contemni, vel pro nullo haberi debeat, & de hoc nullam mentionem in novo Teſtamento fieri: unde *ad Interrogat.* 4. dicit: *Nihil omnino tanquam minutum contemni debere*. Et ad Interrogat. 267. id declarat exemplo ejus, qui febri, & aliis præterea morbis laborat, & illius, qui ſola febri angitur: uterque enim eget curatione, licèt unus acriori, alter remiſſiori.

XXXIV. Objiciunt præterea rationes, quarum prima eſt. Omne peccatum eſt contra legem Dei; ergo omne peccatum eſt mortale, juxta illud Deuteron. 27. v. 26. *Maledictus, qui non permanet in ſermonibus legis hujus*.

Secunda. Omne peccatum offendit Deum, qui eſt infinita bonitas; unde eſt offenſa gravitatis infinitæ.

Tertia. Qui vel unum peccatum committit, qualecumque illud ſit, hoc ipſo non diligit Deum ex toto corde; ergo violat primum, & maximum mandatum; ergo peccat mortaliter.

Quarta. Omnis remiſſio cujuſcumque peccati pertinet ad miſericordiam; ergo, ſiſtendo intra limites juſtitiæ, ea peccata, quæ dicuntur venialia, merentur æternam damnationem.

Quinta. Deus abſque ulla injuſtitiâ poſſet peccatum etiam minimum æternaliter punire; ergo ex ſe talem pœnam meretur. Imò pœna mortis æternæ non eſt tàm mala, quàm peccatum, quod dicitur veniale.

XXXV. Reſpondendum ad ſingulas. Ad primam dico, quòd omne peccatum eſt quidem contra legem Dei; ſed non omne peccatum eſt contra

tra finem legis, nempe, contra caritatem. Locus autem Deuteronomii loquitur de eo, qui ſciens, volens, non ſervat ea præcepta, quorum in illo capite fit mentio, ſunt autem ea, quæ prohibent idololatriam, inceſtum, homicidium, hic enim certè maledictioni ſubjectus eſt: non verò de eo, qui delinquit venialiter; alioquin juſtus, qui *ſepties in die cadit*, multis maledictionibus eſſet obnoxius.

XXXVI. Ad ſecundam dico, non omne peccatum ſic offendere Deum, ut ſolvat amicitiam cum Deo; ſed ſolam offenſam gravem, de qua Jacobus citatus: *Qui offendit in uno, factus eſt omnium reus;* quia importat receſſum à Deo, ut ultimo fine: non autem offenſam levem, de qua idem Jacobus cap. 3. v. 2. *In multis* (inquit) *offendimus omnes*; hæc enim non dicit receſſum à Deo ultimo fine, nec ſolvit amicitiam cum ipſo. Quamvis autem ſit offenſa Dei infinita, non eſt tamen offenſa in morali æſtimatione infinita: quia ipſum infinitè quoad affectum non offendit, auferendo ab eo rationem ultimi finis, eumque poſtponendo creaturæ; ſed ſolùm divertendo actum ab ordine ad ipſum, ut dicemus.

XXXVII. Ad tertiam, diſt. ant. Non diligit Deum ex toto corde, actu, conc. ant. Habitu, nego antec. Diligere Deum ex toto corde, eſt, ita eum diligere, ut nihil dilectioni ejus anteponatur; vel ut nullam creaturam ita diligamus, ut propter illam parati ſimus Deum relinquere. Qui autem peccat venialiter, eſtò actu Deum non diligat, non deſinit tamen eum toto corde diligere; quia animo paratus eſt, amorem Dei amori cujuſcumque creaturæ præponere.

XXXVIII. Ad quartam, nego conſequ. Quamvis enim remiſſio peccatorum venialium pertineat ad miſericordiam, & non debeatur ex juſtitia: illi tamen, qui ſola peccata venialia habet, ineſt principium internum, non ſolùm damnationem æternam excludens, nempe, caritas; ſed etiam faciens, ut Deus conſentaneè ad naturas rerum operans, ex quadam condecentiâ moveatur ad non negandam veniam ei, qui ſecundùm illud principium operatur. Ratio namque amicitiæ, quæ inter Deum, & hominem juſtum manet, ſuo quaſi jure poſtulat, ut Deus leves culpas ei condonet; dum verâ pœnitentiâ ductus veniam petit, aut caritate in ipſum fertur. Sicut in humanis lex amicitiæ, quæ inter Principem, & vaſallum intercedit, poſtulat, ut leves offenſiones, quas vaſſallus, amicitiâ non violatâ, commiſit, ipſi veniam petenti, & ſupplicanti condonet; quamvis ad earum remiſſionem Princeps ex juſtitia non teneatur.

XXXIX. Ad quintam, jam dictum eſt, quòd eſtò Deus agens, ut Dominus, poſſit æternâ pœnâ peccatum veniale mulctare, non tamen agens ut Judex. Quòd autem pœna mortis æternæ non ſit tàm mala, quàm peccatum etiam leviſſimum, hoc ideo eſt, quia eſt malum alterius ordinis. Nam pœna non eſt contra rectam rationem, neque contra leges, ſed tantùm contra commoditatem naturæ. At peccatum eſt contra rectam rationem, & contra divinam legem; ac proinde magis fugiendum, ac deteſtandum, quàm quælibet pœna. Ex quo tamen non ſequitur, quòd in ratione demeriti ſuperet, vel adæquet malum pœnæ æternæ ſecundùm exigentiam juſtitiæ vindicativæ; cùm ſecundùm hanc debita proportio ſit, quòd parvo peccato parva pœna reſpondeat.

DU-

Digitized by Google

DUBIUM II.

In quo Veniale Peccatum differat à Mortali.

§. I.

Varia inter utrumque Differentia.

I. Differentiam inter peccatum mortale, & veniale ſtatuunt aliqui in hoc, quòd illud ſit contra præceptum, iſtud verò contra conſilium: hæc tamen non ſubſiſtit. Primò. Quia agere contra conſilium non eſt peccatum, ut conſtat ex 1. *Cor.* 7. ubi quamvis Paulus cælibatum proponat ut conſilium, idque conformiter ad ea, quæ Dominus dixerat Matth. 19. addit tamen v. 28. *Si acceperis uxorem, non peccaſti: & ſi nupſerit virgo, non peccavit*. Et ratio eſt: quia, ut conſtat ex ejus definitione, omne peccatum cùm ſit prævaricatio, debet eſſe contra aliquod præceptum, vel legem aliquo modo obligantem: *Ubi enim non eſt lex, nec prævaricatio* Rom. 4. v. 15. ſed conſilium, ut tale, nec inducit obligationem, nec habet vim legis; ergo &c. Accedit: quòd peccatum veniale eſt malum morale: quod autem præcisè eſt contra conſilium, poteſt eſſe moraliter bonum; cùm conſilium ſit de meliori bono, cui quod opponitur eſt quidem minus bonum, non tamen eſt malum. Quare conjugium eſtò ſit minus bonum, quàm cælibatus, non tamen eſt malum, ſed bonum. Debet ergo peccatum veniale eſſe contra aliquam legem: & ideo de mendaciis jocoſis, & officioſis datur lex prohibens, Eccleſiaſtici 7. v. 14. *Noli velle mentiri omne mendacium*. Similiter de levibus motibus iræ ad Epheſ. 4. v. 31. *Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor .... tollatur à vobis*. Et concupiſcentiæ Rom. 7. v. 7. *Non concupiſces*. De furtis quoque levibus dicitur Exod. 20. v. 15. *Non furtum facies*.

II. Hinc in rigore non ſubſiſtit opinio, quæ diſtinguit peccatum mortale à veniali; quòd peccatum mortale ſit contra legem, veniale autem non ſit contra, ſed præter legem — Neque dicas, hoc diſcrimen aſſignari à D. Tho. 1. 2. *q.* 88. *a.* 1. *ad* 1. Nam S. Doctor non ſic vult, peccatum veniale eſſe præter legem, quaſi non ſit prævaricatio alicujus legis; ſed ſolùm, non ita eſſe contra legem, ut finem legis evertat: ſed tantummodo *non obſervet modum rationis, quem lex intendit*. Vel ut ait Q. 7. *de Malo a.* 1. *ad* 1. non ſic ab eo ordine recedat, ut illum corrumpat; *quia non corrumpit caritatem, quæ eſt plenitudo legis*.

III. Nec rectè etiam explicari videtur diſtinctio peccati mortalis à veniali, dicendo: quòd mortale verſetur circa ultimum finem, & veniale circa ea, quæ ſunt ad finem. Dantur enim aliqua peccata venialia, quæ verſantur circa finem ultimum; ut indeliberati motus infidelitatis, vel diffidentiæ de Deo, blaſphemia in Deum ex ſubreptione procedens, abſque perfecta rationis advertentiâ. Et è converſo, reperiuntur etiam peccata mortalia, quæ verſantur circa ea, quæ ſunt ad finem; ut adulterium, homicidium, furtum, & hujuſmodi.

IV. Neque dicatur, hoc diſcrimen probari à D. Tho. tùm hâc *q.* 88. *a.* 1. tùm 2. 2. *q.* 24. *a.* 10. tùm alibi. Nam D. Tho. hoc nunquam dixit: ſed quòd peccatum mortale ponit inordinationem circa finem, ſeu evertit ordinem, ſeu conjunctionem hominis cum ultimo fine; inquantùm hominem ab eo ſeparat, & avertit: ſive interim actus iſtius peccati verſetur proximè circa finem, ſive circa media. Peccatum autem veniale ſolùm ponit inordinationem circa ea, quæ ſunt ad finem; quia per illud homo afficitur rebus creatis pluſquàm deberet: non ſic tamen, ut propter illas vellet ab ultimo fine recedere, aut averti; ſive ordinem, quo ad illum eſt habi-

tualiter converſus, corrumpere. Quare aliud eſt, quòd D. Tho. doceat, peccatum veniale verſari tantùm circa ea, quæ ſunt ad finem; aliud, quòd ponat inordinationem ſolùm circa ea, quæ ſunt ad finem. Hoc ſecundum docet, non primum.

V. Porro hanc eſſe mentem S. Doctoris, colligo apertè tùm ex hâc *q.* 88. *a.* 1. ubi ait, peccata venialia vocari, *quæ habent inordinationem circa ea, quæ ſunt ad finem, conſervato ordine ad ultimum finem;* & *qu.* 87. præcedente *a.* 5. *In quibuſdam peccatis* (inquit) *eſt quidem aliqua inordinatio, non tamen per contrarietatem ad ultimum finem; ſed ſolùm circa ea, quæ ſunt ad finem, inquantùm plus, vel minus debitè eis intenditur, ſalvato tamen ordine ad ultimum finem: puta, cùm homo, etſi nimis ad aliquam rem temporalem afficiatur, non tamen pro ea vellet Deum offendere, aliquid contra præceptum ejus faciendo:* nimirum, ordinem, quo Deo conjungitur, evertendo, aut ejus amicitiam violando.

VI. Dices. Qui per ſubitaneum infidelitatis, vel diffidentiæ, vel odii Dei motum venialiter peccat, inordinatè afficitur erga Deum; ergo peccata venialia non ſolùm habent inordinationem circa media, ſed etiam circa finem; cùm Deus ſit finis ultimus.

Reſpondeo, neg. conſequ. Nam licèt præfati motus habeant inordinationem circa Deum, ut objectum eorum; relinquunt tamen debitam ordinationem hominis ad Deum, ut finem: cùm non avertant à Deo, ut fine ultimo, nec evertant conjunctionem hominis cum illo, ut ſuperius dictum eſt.

§. II.

Præcipua Differentia.

VII. Dico. Potiſſima differentia inter peccatum mortale, & veniale in hoc ſita eſt, quòd peccatum mortale tollit ordinem, & conjunctionem hominis, cum Deo, ut ultimo fine, ideſt, caritatem: peccatum autem veniale iſtum ordinem, atque adeò caritatem non tollit; ſed ſervato eo ordine, aliquam inordinationem facit circa ea, quæ ſunt ad finem. Ita D. Th. hâc *q.* 88. *a.* 1. Seu aliis terminis: per peccatum mortale homo ſimpliciter avertitur à Deo, ut ultimo fine; ac finem ultimum conſtituit in creatura, quam exercitè pluris facit, quàm Deum, & plus amat, quàm ipſum: per veniale autem homo non ſimpliciter avertitur à Deo, neque ſuum finem ultimum conſtituit in creatura, ſed, ſi ſit extra ſtatum peccati mortalis, manet Deo habitualiter conjunctus, quamvis in eum non ſic ordinatè tendat, ſicut deberet. Hinc D. T. citato *a.* 1. *ad* 2. dicit: *Quòd ille, qui peccat venialiter, inhæret bono temporali, non ut fruens, quia non conſtituit in eo finem; ſed ut utens, referens in Deum non actu, ſed habitu.*

VIII. Nec enim tenetur homo, ſub mortali, actu referre omnia ſua in Deum; quamvis dicat Paulus 1. Cor. 12. v. 31. *Omne in gloriam Dei facite*— Nam reſpondet D. Thom. laudato loco ad 2. *Quòd illud præceptum Apoſtoli eſt affirmativum: unde non obligat ad ſemper. Et ſic non facit contra hoc præceptum, quicumque non actu refert in gloriam Dei omne, quod facit. Sufficit ergo, quòd aliquis habitualiter referat ſe, & omnia ſua in Deum, ad hoc, quòd non ſemper mortaliter peccet; cum aliquem actum non refert in gloriam Dei actualiter. Veniale autem peccatum non excludit habitualem ordinationem actus humani in gloriam Dei, ſed ſolum actualem; quia non excludit caritatem, quæ habitualiter ordinat ad Deum.*

IX. Neque dicas. Quicumque accedit ad unum terminum, ex hoc ipſo recedit ab alio: ſed quicumque peccat, accedit ad bonum commutabile; ergo hoc ipſo recedit à bono incommutabili, nempe, à Deo: & ſic differentia aſſignata non ſubſiſtit.

X. Reſpondet enim D. Thom. citato loco *ad* 4. neg. min. Nam *bonum commuta-*

Digitized by Google

mutabile non accipitur, ut terminus contrapoſitus incommutabili bono, niſi quando conſtituitur in eo finis. Quod enim eſt ad finem, non habet rationem termini. Eodem modo reſpondet Q. 7. *de Malo a* 1. *ad* 3.

XI. Ex hac aliæ differentiæ conſequuntur. Prima eſt, quam tradit D. Thom. hâc *q.* 88. *a.* 1. quòd peccatum mortale eſt irreparabile per principium interius: ſe habet enim ad ſimilitudinem morbi, qui dicitur mortalis, qui deſtruit principium vitæ. Principium autem ſpiritualis vitæ, quæ eſt ſecundùm virtutem, eſt ordo ad ultimum finem; qui, cùm per peccatum mortale deſtruatur, non relinquit in homine principium aliquod intrinſecum, per quod poſſit reparari: unde à ſolo Deo reparabile eſt. Peccatum verò veniale ſimile eſt morbo importanti quidem inordinationem aliquam in humoribus, ſed non tollenti principium vitæ; & ideo reparabilis eſt per principium vitæ: ſic peccatum veniale, cùm dicat ſolùm inordinationem circa media, ſeu circa ea, quæ ſunt ad finem, conſervato ordine ad ultimum finem, reparabile eſt. *Quia* (inquit S. D.) *Inordinationes eorum, quæ ſunt ad finem, reparantur ex fine; ſicut error, qui accidit circa concluſiones, per veritatem principiorum. Defectus ergo ordinis ultimi finis, non poteſt per aliquid aliud reparari, quod ſit principalius, ſicut nec error, qui eſt circa principia: & ideo hujuſmodi peccata dicuntur mortalia, quaſi irreparabilia. Peccata autem, quæ habent inordinationem circa ea, quæ ſunt ad finem, conſervato ordine finis, reparabilia ſunt: & hæc dicuntur venialia... Secundùm hoc ergo mortale, & veniale opponuntur, ſicut reparabile, & irreparabile: & hoc dico per principium interius; non autem per comparationem ad virtutem divinam, quæ omnem morbum, & corporalem, & ſpiritualem poteſt reparare*.

XII. Secunda differentia inter peccatum mortale, & veniale eſt, quòd illud gratiam, & caritatem expellit; iſtud verò non: & illud inducit reatum pœnæ eternæ; iſtud per ſe pœnæ tantùm temporalis. Utraque hæc differentia eſt à poſteriori, & ab effectibus peccati deſumta. Ex quo enim peccatum mortale avertit hominem à fine ultimo, & ordinem ad ipſum tollat; veniale autem non, ſequitur, quòd illud excludat gratiam, & caritatem, iſtud verò non. Similiter ex quo peccatum mortale importet inordinationem ab intrinſeco irreparabilem, & ſubinde æternam, veniale verò inordinationem ab intrinſeco reparabilem; ſequitur, quòd inducant, illud reatum pœnæ irreparabilem, & proinde æternum; iſtud verò reparabilem, & temporalem. Ita D. Thom. 1. 2. *q.* 87. *a.* 3. *&* 6. Quòd verò hujuſmodi differentiæ ſint ſolùm à poſteriori, docet S. Thomas Q. 7. *de Malo a.* 1. ubi concedens, peccatum mortale, & veniale differre ſecundùm reatum; & quòd mortale privat gratiâ, veniale autem non, de prima ſubdit: *Sed iſta differentia conſequitur rationem peccati mortalis, & venialis, non autem conſtituit ipſum. Non enim ex hoc eſt tale peccatum, quia talis pœna ei debetur; ſed potiùs è converſo, quia peccatum eſt tale, ideo talis pœna ei debetur*. De ſecunda autem differentiâ pergit ſic: *Similiter etiam differunt quantùm ad effectum. Nam peccatum mortale privat gratiâ, veniale autem non: ſed nec eſt iſta differentia, quam quærimus; quia iſta differentia, conſequitur ad rationem peccati. Ex eo enim quòd peccatum eſt tale, talem effectum habet, & non è converſo*. Et concludit, differentiam conſtitutivam eſſe, quòd peccatum mortale dicit inordinationem circa ultimum finem, qui eſt principium vitæ ſupernaturalis; veniale autem ſolam inordinationem circa media: & proinde illam eſſe irreparabilem, iſtam verò reparabilem.

Digitized by Google

DUBIUMM III.

Utrum peccatum Mortale, & Veniale conveniant univocè: Et an eſſentialiter differant in ratione Peccati.

§. I.

Reſolutio prioris Partis.

I. DIco. Peccatum mortale, & veniale non conveniunt univocè in ratione peccati, ſed analogicè. Ita S. Tho. hâc *q.* 88. *a.* 1. *ad* 1. ubi oſtendens, peccatum veniale propriè non claudi ſub definitione peccati, quam Auguſtinus tradit, dicens, quòd *ſit dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam*, ait: *Diviſio peccati in veniale, & mortale non eſt diviſio generis in ſpecies, quæ æqualiter participant rationem generis; ſed analogi in ea, de quibus prædicatur ſecundùm prius, & poſterius: & ideo perfecta ratio peccati, quam Auguſtinus ponit, convenit peccato mortali. Peccatum autem veniale dicitur peccatum ſecundùm rationem imperfectam, & in ordine ad peccatum mortale; ſicut accidens dicitur ens in ordine ad ſubſtantiam, ſecundùm imperfectam rationem entis: non enim eſt contra legem; quia venialiter peccans non facit, quod lex prohibet, nec prætermittit id, ad quod lex per præceptum obligat, ſed facit præter legem, quia non obſervat modum rationis, quem lex intendit.*

II. Quomodo autem exponendus ſit D. Thom. dum ait; peccatum veniale non eſſe *contra*, ſed *præter legem*; dictum eſt *Dub. præcedente* §. 1. *num.* 2. nempe, quòd non ita ſit contra legem, ut finem legis evertat; ſed præter legem, ideſt, contra modum, quem lex intendit. Quòd explicat idem S. Doctor Q. 7. *de Malo a.* 1. *ad* 1. dicens: *Quia ſi in aliquo recedit ab ordine legis, non tamen ipſum corrumpit; quia non corrumpit dilectionem, quæ eſt plenitudo legis, ut dicitur Roman.* 12.

III. Ex his conficitur ratio ſic. Peccatum mortale, & veniale non ex æquo participant rationem peccati; ſed mortale per prius, veniale per poſterius, & in ordine ad mortale: quemadmodum ſubſtantia, & accidens non ex æquo participant rationem entis; ſed ſubſtantia per prius, accidens verò per poſterius, & in ordine ad ſubſtantiam; ergo non conveniunt univocè, ſed ſolùm analogicè. Ant. prob. Mortale totam peccati rationem poſſidet, ut perfectè ſit contra legem, repugnans ſcilicet fini legis, & ordinem debitum ad finem ultimum corrumpens: at veniale imperfectè eſt contra legem, non repugnans fini legis, imò conſervans ordinem ad finem legis, & ſolùm ponens inordinationem circa media; ergo &c.

IV. Sed dices. Etiamſi nullum daretur peccatum mortale, poſſet tamen eſſe, & intelligi adhuc peccatum veniale; ergo hoc non dicitur peccatum per ordinem ad mortale.

V. Reſpond. neg. conſ. Sicut enim accidens dicitur ens ex ordine ad ſubſtantiam; non quia non poſſit eſſe accidens ſinè ſubſtantiâ, ſed quia non poteſt intelligi ſinè ordine ad ſubſtantiam: ita peccatum veniale dicitur peccatum per ordinem ad mortale; non quia non poſſit eſſe ſinè mortali, ſed quia concipi nequit ſinè ordine ad ipſum. Sicut infirmitas levis, & curabilis, eſtò poſſit eſſe ſinè gravi, incurabili, & mortali in hoc, vel illo ſubjecto; nequit tamen concipi infirmitas levis ſinè ordine ad gravem, incurabilem, & mortalem: imò niſi daretur iſta, abſolutè nec illa daretur. Ut enim ait Cajetanus ad hunc art. 1. *Sicut omnis morbus dicitur infirmitas in ordine ad privationem vitæ, quæ eſt infirmitas mortalis; ita omne peccatum dicitur peccatum in ordine ad peccatum, quod privat fine, quod eſt principium vitæ moralis.... Unde ſi non eſſet peccatum mortale, nec veniale eſſet: ſicut ſi non eſſet mors, nec eſſet ægritudo.*

VI.

Digitized by Google

VI. Nec tamen propterea negamus, peccatum veniale verè eſſe peccatum. Sicut enim accidens, licèt ſit ens per ordinem ad ſubſtantiam, eſt tamen verum ens; etſi non ita perfectum ſicut ſubſtantia: & egritudo ſanabilis, & levis vera eſt ægritudo, licèt non tanta, quanta eſt mortalis; ita peccatum veniale, quamvis non tàm perfectam peccati rationem habeat, quàm mortale, eſt tamen verè, & propriè peccatum. Unde peccata venialia abſolutè peccata vocat Scriptura, Prov. 10. v. 19 *In multiloquio non deerit peccatum*. Eccleſiaſtæ 7. v. 21. *Non eſt homo juſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet*. 1. Joan. 1. v. 8. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus*.

§. II.

Reſolutio poſterioris Partis.

VII. Dico. Peccatum mortale, & veniale in ratione peccati, ſeu malitiæ moralis differunt eſſentialiter. Probo. Nam, ex jam dictis, inordinatio, & malitia peccati mortalis pertingit uſque ad finem, deſtruendo ordinem ad ipſum; inordinatio autem & malitia peccati venialis ſiſtit in iis, quæ ſunt ad finem, nempe, in mediis, conſervato ordine ad finem: atqui hujuſmodi inordinationes eſſentialiter differre debent; ſicut eſſentialiter differunt error circa principia, & error circa concluſiones tantùm; ergo &c.

VIII. Sed dices primò. Objecta peccati mortalis, & venialis interdum ſpecie non differunt, ut patet in objecto furti: nam ejuſdem ſpeciei eſt res aliena, ſivè in parva, ſivè in magna quantitate quis eam furetur. Et motus infidelitatis, ſeu blaſphemiæ in Deum idem objectum habent, ſive deliberati ſint, ſive indeliberati: cùm tamen deliberati peccatum mortale ſint, indeliberati verò veniale.

IX. Dices ſecundò. Magis, & minùs non variant ſpeciem: ſed peccatum mortale, & veniale differunt penes magis, & minùs, ut patet in furto gravi, & levi: unde D. Tho. hâc q. 88. a. 6. ad 1. dicit, quòd *Veniale differt à mortali, ſicut imperfectum à perfecto, ut puer à viro*. Patet autem, quòd puer ſpecie non differt à viro: Et 1. 2. q. 72. a. 5. apertè docet, peccatum veniale, & mortale non differre ſpecie.

X. Reſpondeo ad primam inſtantiam, nos non negare, peccatum mortale, & veniale aliquando verſari circa idem objectum materiale, & ex parte objecti ſpecie non diſtingui: ſed negare ſolùm, quòd ſpecie non diſtinguantur in ratione peccati, & ex parte malitiæ. Cùm enim ſpecies malitiæ ex inordinatione ſumatur; & inordinatio peccati mortalis, utpote circa ultimum finem, à quo avertit, ſpecie diſtinguatur ab inordinatione peccati venialis, utpote ſolùm circa media ſervato ordine ad ultimum finem: ideo dicimus, peccatum mortale, & veniale in ratione peccati, & malitiæ eſſentialiter differre.

XI. Obſervandum propterea cenſeo ex D. Thom. hâc q. 88. a. 2. aliqua peccata eſſe mortalia ex ſuo genere: & ſunt illa, quæ ex ſua ſpecie, & objecto contrariantur caritati Dei, & proximi, quâ homo ordinatur in ultimum finem; ut ſunt blaſphemia, perjurium &c. vel homicidium, adulterium, & alia hujuſmodi. Alia ſunt venialia ex ſuo genere, quæ, ſcilicet, continent quamdam inordinationem, non tamen contrariantur dilectioni Dei, & proximi; ſicut verbum otioſum, & riſus ſuperfluus, & ſimilia. *Sed quia* (addit S. Doct.) *actus morales recipiunt rationem boni, & mali non ſolùm ex objecto, ſed etiam ex aliqua diſpoſitione agentis, ut ſupra habitum eſt* (q. 77. a. 6. & qu. 78. a. 4.) *contingit quandoque, quòd id, quod eſt peccatum veniale ex genere, ratione ſui objecti, ſit mortale ex parte agentis; vel quia in eo conſtituit finem ultimum: vel quia ordinat ipſum ad aliquid, quod eſt peccatum*

catum mortale ex genere: puta, cùm aliquis ordinat verbum otioſum ad adulterium committendum. Similiter etiam ex parte agentis contingit, quòd aliquod peccatum, quod ex ſuo genere eſt mortale, fit veniale; propter hoc ſcilicet, quòd actus eſt imperfectus, ideſt, non deliberatus ratione, quæ eſt principium mali actus: ſicut ſupra dictum eſt (qu. 74. a. 10.) *de ſubitis motibus infidelitatis.*

XII. Sed dices. Amor regulatus per cognitionem plenam, & claram, ſicut eſt amor Patriæ, & amor regulatus per cognitionem ſemiplenam, & imperfectam, ſicut eſt amor viæ non differunt eſſentialiter; ergo motus peccaminoſus procedens ex cognitione plenâ, & procedens ex cognitione ſemiplenâ, & indeliberata non differunt eſſentialiter.

XIII. Reſpondeo, aliter ſe habere cognitionem objecti ad amorem, aliter ad peccatum. Cognitio enim ſe habet ut pura conditio, ſeu, ſi velis, ut principium purè effectivum, non varians formaliter objectum: unde ſive clara ſit, ſive obſcura, amor ejuſdem objecti manet idem ſpecie. At cognitio plena, vel ſemiplena variat voluntarium, & conſequenter objectum in ratione voliti. Quare objectum pravum ſemiplenè cognitum, conſtituit peccatum ſpecie diverſum ab eodem, ut plenè, & deliberatè volitum, ut ultimum finem.

XIV. Ad ſecundam inſtantiam reſpondet D. Tho. Q. 7. de Malo a. 1. ad 19. *Quòd magis, & minùs quando conſequuntur rationes diverſas, diverſificant ſpeciem. Et ita eſt in propoſito. Nam diligere aliquid, ut finem* (quod fit in peccato mortali) *& ſicut id, quod eſt ad finem* (quod fit in peccato veniali) *non habet eamdem rationem dilectionis* — Ex quibus patet, quòd cum comparat peccatum veniale ad mortale, ſicut imperfectum ad perfectum, velut puerum ad virum; ſolùm intendit, quòd ſicut per additionem majoris quantitatis, homo de puero fit vir: ita per additionem deformitatis, peccatum de veniali fit mortale. Non tamen intendit, quòd ſicut additio novæ quantitatis non facit, virum eſſe diverſæ ſpeciei à puero: ita nec additio deformitatis conſtituentis peccatum mortale, non faciat veniale diſtingui ſpecie à mortali. Nec juvat, quòd comparet veniale ad mortale, ſicut imperfectum ad perfectum. Nam, ut ſupra diximus, cum eodem *q.* 88. *a.* 1. *ad* 1. veniale eſt in genere peccati imperfectum, ſicut accidens in genere entis eſt imperfectum reſpectu ſubſtantiæ: certum eſt autem, accidens genere à ſubſtantia diſtingui.

Quòd verò 1.2. *q.* 72. *a.* 5. doceat, peccatum mortale, & veniale non differre ſpecie, non eſt ad rem. Nam ibi non negat abſolutè, peccatum mortale, & veniale differre ſpecie; ſed ſolùm negat, differre ſpecie ratione reatus. Verba ejus ſunt: *differentia venialis, & mortalis peccati, vel quæcumque alia differentia, quæ ſumitur penes reatum, non poteſt eſſe differentia conſtituens diverſitatem ſpeciei.* Et hoc ideo; *quia pœna eſt præter intentionem peccantis: unde per accidens ſe habet ad peccatum ex parte ipſius peccantis.* Non negat tamen, differre ſpecie in ratione peccati penes inordinationem: imò exemplo morbi id affirmat. Sicut enim morbus perveniens uſque ad deſtructionem principii vitæ, diverſæ ſpeciei eſt à morbo deordinante humores, ſalvo principio vitæ: ita inordinatio, quæ pervenit uſque ad deſtructionem ultimi finis, qui eſt principium vitæ moralis, in qua conſiſtit peccatum mortale, erit ſpecie diverſa ab inordinatione ſolùm circa media, ſalvo ordine ad ultimum finem, in qua conſiſtit peccatum veniale.

DU-

Digitized by Google

DUBIUM IV.

Varia de Peccato Veniali relatè ad Mortale diſcutiuntur.

§. I.

An Peccatum Veniale ſit Diſpoſitio ad Mortale?

I. De hoc agit D. Tho. hìc *qu.* 88. *a.* 3. ubi ſupponit, diſpoſitionem aliam eſſe directam, quæ directè movet ad effectum; ſicut calor diſponit ad calefaciendum: aliam indirectam, quæ indirectè movet, removendo prohibens; ſicut removens columnam, quæ ſuſtentat lapidem, diſponit ad caſum lapidis.

II. Dico primò. Peccatum ex genere ſuo veniale non diſponit per ſe, & directè ad peccatum, quod ex genere ſuo eſt mortale: poteſt tamen per quamdam conſequentiam directè diſponere ad peccatum, quod ſit mortale ex parte agentis. Utraque pars traditur à D. Tho. laudato. Et prior ratione ejuſdem probatur. Diſponere directè, eſt movere ad formam ſimilem ſecundùm ſpeciem: ſed actus peccati ex ſuo genere venialis, non eſt ſimilis ſecundùm ſpeciem cum actu peccati ex genere mortali, cùm differant ſecundùm ſpeciem; ergo directè &c.

Secundà verò pars probatur ratione ejuſdem. Nam ex frequentatione venialium augetur diſpoſitio, & pronitas ad peccandum in illo genere; intantùm, ut eà augmentatâ creſcat adeo libido rei conſequendæ, ut tandem finis ultimus in ea conſtituatur: hoc eſt, ut propter eam paratus ſit homo peccare mortaliter, & ex amore illius Deum, ejuſque legem deſerere. Sic dum quis vanis colloquiis, aut ludo aſſueſcit, multumque eis oblectatur; facilè evenit, ut propter vanam illam voluptatem Sacrum prætermittat in die feſto; vel ut à vanis colloquiis ad detractiones gradum faciat. Hæc eſt conſequentia, quâ ex repetitione venialium trahitur agens ad peccandum mortaliter: trahitur, inquam, non neceſſitate, ſed liberâ voluntate. Unde D. Tho. *in* 2. *diſt.* 24. *qu.* 3. *a.* 6. ait: *Quantò enim magis conſueſcit in aliquo opere, tantò magis ſibi placet illud; quia ſignum habitus eſt delectatio operis, ut in* 2. *Ethic. dicitur. Hoc tamen non de neceſſitate contingit: quantumcumque enim excreſcat pronitas ad peccandum, per iterationem venialium, ſemper tamen manet libertas in voluntate, ne in peccatum mortale delabatur.*

III. Dico ſecundò. Peccatum veniale ex genere poteſt indirectè, & removendo prohibens, diſponere ad peccatum mortale ex genere. Ita D. Tho. hìc, nempe, *q.* 88. *a.* 3. Qui enim ſpernit modica, paulatim decidet *Eccleſ.* 19. *v.* 1. Et ratio eſt: nam qui aſſueſcit in minoribus non ſubjicere voluntatem ſuam divino ordini, paulatim diſponitur ad hoc, ut non ſubjiciat eam ordini finis ultimi: removet enim ſubjectionem voluntatis ſub Deo, quâ prohibetur inordinatio. Rurſus: peccata venialia, etiam illa, quæ ex genere ſuo ſunt talia, minuunt fervorem caritatis, & obicem ponunt divinis inſpirationibus, & auxiliis, per quæ homo roboratur contra tentationes peccatorum mortalium; ergo indirectè diſponunt ad mortale.

IV. Collige tamen, peccatum veniale ex imperfectione actus directè diſponere ad mortale ejuſdem generis, ſive objecti: parvum enim furtum directè diſponit ad furtum magnum; & conſentire parvæ concupiſcentiæ, diſponit ad luxuriam completam.

V. Sed dices primò. Peccatum veniale, & mortale ſunt quaſi duæ ſpecies dividentes genus peccati, & proinde oppoſitæ: ſed unum oppoſitum non diſponit ad aliud; ergo &c.

VI. Reſpondeo cum S. Thoma hoc *a.* 3. *ad* 1. peccatum veniale, & mortale non dividere genus peccati ex æquo, & tanquam duas ſpecies oppoſitas;

Digitized by Google

ſitas; ſed tanquam perfectum, & imperfectum, ſicut ſubſtantia, & accidens dividunt ens. Unde ſicut accidens poteſt diſponere ad ſubſtantiam, ita peccatum veniale ad mortale: utrumque enim ſimile eſt in genere: *Inquantùm utrumque importat defectum debiti ordinis, licèt aliter, & aliter*, ut docet idem S. Doct. ibi ad 2.

VII. Dices ſecundò. Nedum veniale peccatum poteſt diſponere ad mortale, ſed etiam quodlibet opus bonum; dicente Auguſtino in Regula (Epiſt. 109. modò 211.) *Superbia bonis operibus inſidiatur, ut pereant*; ergo vel omnia opera bona erunt peccata venialia; vel quod diſponit ad mortale, non eſt peccatum veniale.

VIII. Reſpondet D. Thom. citatus *ad* 3. neg. abſolutè ant. Etſi enim ſuperbia interdum ſumat occaſionem peccandi, etiam mortaliter, ex bonis operibus, faciatque ea materiam, ſeu occaſionem peccati; hoc tamen eſt omnino per accidens; cùm bona opera per ſe, & ex natura ſuâ diſponant potiùs ad conjunctionem hominis cum Deo. Venialia autem ex natura ſua directè, vel indirectè ad mortale diſponunt: *Opus bonum* (inquit S. Doct.) *non eſt per ſe diſpoſitio ad mortale peccatum; poteſt tamen eſſe materia, vel occaſio peccati mortalis per accidens: ſed peccatum veniale per ſe diſponit ad mortale*.

§. II.

An Peccatum Veniale fieri poſſit Mortale?

IX. Quoad præſentem quæſtionem obſervat D. Tho. hàc q. 88. a. 4. peccatum veniale fieri mortale, poſſe tripliciter intelligi. *Uno modo ſic, quòd idem actus numero primò ſit peccatum veniale, & poſtea mortale*. Et de hoc reſolvit ita: *Sed hoc eſſe non poteſt. Quia peccatum principaliter conſiſtit in actu voluntatis, ſicut & quilibet actus moralis: unde non dicitur unus actus moraliter, ſi voluntas mutetur, quamvis etiam actio ſecundùm naturam ſit continua; ſi autem voluntas non mutetur, non poteſt eſſe, quòd de veniali fiat mortale*. Idem docet Q. 7. *de Malo a.* 4. & *in* 2. *diſt.* 24. *q.* 3. *a.* 6. *ad* 5.

X. Dico ergo primò. Actus, qui ab initio eſt peccatum veniale, poteſt ita continuari, ut in progreſſu fiat peccatum mortale, manens idem in eſſe naturæ, non tamen manens idem in genere moris. Prior pars ſupponitur à D. Thom. & conſtat: quia poteſt aliquis actus inchoari cum advertentia, & deliberatione imperfectâ, qui cum pleno judicio continuetur; ergo ſi verſetur circa materiam notabiliter malam, is, qui priùs erat peccatum veniale, poſtea erit mortale, manens idem ſecundùm eſſe naturæ.

Secunda verò probata manet ratione D. Thom. Non enim dicitur unus actus numero ſecundùm eſſe morale, ſi voluntas aliquo modo mutetur; quia peccatum, ſicut & quilibet actus moralis, in ratione voluntarii conſiſtit: ſed non poteſt fieri de veniali mortale, niſi voluntas mutetur; ergo ſemper eſt alius actus numero ſecundùm eſſe morale, quando de veniali fit mortale. Eo vel maximè, quia ferè in infinitum diſtant: mortale enim debitum ordinem ad finem ultimum evertit, quem veniale ſalvat.

XI. Sed dices. Peccatum veniale, & mortale ex D. Thom. ſe habent ſicut morbus curabilis, & incurabilis: ſed idem morbus initio curabilis, poteſt fieri incurabilis; ergo &c.

Reſpondeo cum D. Thom. hàc q. 88. a. 4. ad 3. *Quòd morbus corporalis non eſt actus, ſed diſpoſitio quædam permanens; unde eadem manens poteſt mutari: ſed peccatum veniale eſt actus tranſiens, qui reſumi non poteſt*. Eodem modo reſpondet Q. 7. *de Malo a.* 3. *ad* 11. ubi addit. *Quòd ſimilitudo attenditur ſolùm quantùm ad hoc, quòd ſicut languor eſt deordinatio naturæ: ita peccatum, eſt deordinatio actus*.

Alio modo (proſequitur D. Thom.) *poteſt*

Digitized by Google

poteſt intelligi, ut id, quod eſt veniale ex genere, fiat mortale: & hoc quidem poſſibile eſt, inquantùm conſtituitur in eo finis; vel inquantùm refertur ad mortale peccatum, ſicut ad finem. Unde

XII. Dico ſecundò. Fieri poteſt, quòd peccatum, ex ſuo genere veniale, fiat mortale. Non ſic tamen, ut veniale, ex genere, ponatur in eſſe, & poſtea idem manens fiat mortale, ſed quòd id, quod eſt veniale ex genere, tali modo fiat; ut quamvis ex ſua ſpecie ſolùm habeat, ut ſit veniale, hìc & nunc tamen habet, ut ſit mortale. Sic verbum jocoſum ex ſua ſpecie habet, ut ſit veniale: ſi tamen quis in eo ultimum ſibi finem conſtituat; vel proferat, ordinando illud ad inducendam mulierem ad adulterium, in tali circumſtantia eſt mortale.

XIII. Tertio modo (pergit S. Th.) *Poteſt intelligi, ita quòd multa peccata venialia conſtituant unum peccatum mortale. Quod ſi ſic intelligatur, quòd ex multis peccatis venialibus integraliter conſtituatur unum peccatum mortale, falſum eſt.... Si verò intelligatur, quòd multa peccata venialia faciunt unum mortale diſpoſitivè, ſic verum eſt, ſicut ſupra oſtenſum eſt.* Ita D. Thom. cum quo

XIV. Dico tertiò. Peccata venialia, quantumcumque multiplicentur, numquam poſſunt integraliter conſtituere unum peccatum mortale: itaut ei æquivaleant, vel quantùm ad malitiam, vel quantùm ad reatum, poſſunt quidem facere unum mortale diſpoſitivè. Hæc ſecunda pars conſtat ex §. præcedente. Prior verò traditur à S. Doctore, nedum hìc, ſed *Qu.* 7. *de Malo a.* 3. & *in* 2. *diſt.* 24. *qu.* 3. *a.* 6. eamque probat ſic: *Non enim omnia peccata venialia de mundo poſſunt habere tantum de reatu, quantum unum peccatum mortale.* Quod patet primò ex parte durationis: quia peccatum mortale habet reatum pœnæ æternæ, veniale autem ſolùm pœnæ temporalis: temporalia autem, quantumcumque multiplicentur, non poſſunt æquiparari æterno.

Secundò ex parte pœnæ damni: quia mortale meretur carentiam viſionis divinæ, *cui nulla alia pœna comparari poteſt, ut Chryſoſt. dicit* Homil. 24. in Matth. Veniale autem non meretur talem pœnam.

Tertiò ex parte pœnæ ſenſus, quoad remorſum conſcientiæ; qui improportionabiliter major eſt ex peccato mortali, quàm ex veniali: *Licèt fortè quantùm ad pœnam ignis non ſint improportionabiles pœnæ.* Hæ rationes, quas hìc adducit S. Thomas, ſunt à poſteriori, & conſequentes diverſitatem inordinationis, quâ eſſentialiter, & à priori diſtinguuntur peccatum mortale, & veniale.

XV. Rationem ergo à priori tradit S. Doct. *Q.* 7. *de Malo a.* 3. his verbis: *Quandocumque ex multis aggregatis fit unum, oportet eſſe eamdem rationem quantitatis utrobique. Sic autem ex multis parvis lineis fit una linea; ubi verò eſt alia ratio quantitatis, ex multis non fit unum: non enim ex multis numeris fit una linea, nec è converſo. Peccatum autem veniale non habet eamdem rationem magnitudinis cum mortali. Nam quantitas peccati mortalis eſt per averſionem à fine ultimo, quantitas autem peccati venialis eſt ſecundùm aliquam deordinationem circa ea, quæ ſunt ad finem.* Quia ergo deordinatio à fine ultimo, quam eſſentialiter dicit peccatum mortale, eſt diverſæ rationis à deordinatione, quam dicit peccatum veniale; illa enim eſt à fine ultimo, iſta ſolùm circa media: quantumcumque multiplicentur peccata venialia, nunquam pertingent, ut unum peccatum mortale conſtituant. Sicut quantumcumque multiplicentur numeri, nunquam fiet una linea: & quantumcumque multiplicentur homines, nunquam fiet unus Angelus.

XVI. Confirmatur ex eodem Sancto Thoma in 2. *diſt.* 24. *qu.* 3. *a.* 6. Macula peccati mortalis in infinitum diſtat

diſtat ab ea, quæ eſt peccati venialis: *Cùm peccatum mortale privet infinitum bonum, quod eſt bonum increatum; per veniale autem peccatum tollatur aliquod cauſatum, ut fervor caritatis: diſtantia autem privationum menſuratur ex his, quæ privantur:* atqui infinita diſtantia non eſt pertranſibilis; ergo &c.

XVII. Tandem: generalis eſt Eccleſiæ doctrina, quòd peccata venialia, ſive pauca ſint, ſive multa, non ſunt neceſſariò in confeſſione aperienda: atqui ſi multa venialia poſſent unum mortale conſtituere, tenerentur homines ea aperire; cùm Eccleſiæ etiam doctrina ſit, omnia mortalia eſſe aperienda; vel ſaltem, ea reticendo, exponerent ſalutem ſuam periculo: maxime quia incertum eſt, quot venialia requirantur ad conſtituendum peccatum mortale; ergo ſenſus Eccleſiæ eſt, quòd multa venialia nunquam fiunt unum mortale.

XVIII. Sed dices. S. Auguſtinus *Tract.* 12. *in Joann.* dicit: *Peccata minima*, ideſt venialia, *ſi negligantur, occidunt;* ergo fiunt mortale peccatum, quod ſpiritualiter occidit animam. Et *Epiſt.* 108. modò 265. *ad Seleucianum*, loquens de peccatis, quæ *quamvis parva, tamen crebra ſubrepunt*, ait: *Quæ ſi collecta contra nos fuerint, ita nos gravabunt, & opprimens, ſicut unum grande peccatum &c.*

XIX. Reſpondetur tamen, Auguſtinum docere ſecundam partem noſtri aſſerti: nempe, multa peccata minuta occidere hominem diſpoſitivè; quia diſponunt hominem ſuâ frequentiâ ad peccandum mortaliter in ea materiâ, in qua aſſuetus eſt peccare venialiter. Ita D. Tho. hâc *q.* 88. *a.* 4. *ad* 1. & *Q.* 7. *de Malo a.* 3. *ad* 1. Et ratio eſt: quia, ut ſupra diximus ex D. Tho. in 2. *diſt.* 24. *q.* 3. *a.* 6. ex multiplicatione actuum generantur habitus, & creſcit aviditas, & delectatio peccandi; itaut quis eò deveniat, quòd velit etiam mortaliter peccare, juxta illud B. Gregorii l. 10. Moral. c. 14. modò 11. *Si enim curare parva negligimus, inſenſibiliter ſeducti, audenter etiam majora perpetramus.*

Et hanc fuiſſe S. Auguſtini mentem, declarat ipſe *in Pſ.* 57. comparans peccata rhamno, qui ſpinarum genus eſt, dicens: *Rhamnus primò herba eſt, & cum herba eſt, mollis, & pulchra eſt: ibi ſunt tamen ſpinæ poſtea proceſſuræ.* Et in Pſalm. 139. eadem comparat ſpinarum radicibus, dicens: *Etenim, fratres, & ſpinæ non pungunt in radicibus. Erue ſpinas de terra, contrecta radices ipſarum, & vide, ſi ſentis dolorem. Tamen illud, unde dolorem ſentis in ſuperficie, de illa radice proceſſit.*

XX. Si dicas. Diſpoſitio poteſt fieri habitus; ergo ſi peccatum veniale eſt diſpoſitio ad mortale, poterit fieri mortale.

XXI. Reſpondeo cum D. Thom. hoc *a.* 4. *ad* 4. ant. eſſe verum, quando diſpoſitio, & habitus differunt ſicut imperfectum, & perfectum in eadem ſpecie: *Sicut imperfecta ſcientia, dum perficitur, fit habitus. Sed veniale peccatum eſt diſpoſitio alterius generis, ſicut accidens ad formam ſubſtantialem, in quam nunquam mutatur.*

XXII. Sed quid dicendum de multis parvis furtis, quæ cùm ſigillatim ſint peccata venialia, conſtituunt tamen peccatum mortale?

Reſpondeo, quòd qui per multa parva furta intendit diteſcere, in ſingulis furtis peccat mortaliter: quia eſtò in ſe, & ſeorſim parva ſint, & venialia; ut coniuncta tamen invicem in eo, qui ſingulis illis intendit auferre rem magnam, evadunt ſingula peccata mortalia: unde nunquam ex peccatis venialibus conſtituitur unum peccatum mortale.

§. III.

An Peccatum Mortale fieri poſſit Veniale?

XXIII. Dico primò cum D. Tho. hâc *q.* 88. *a.* 6. Peccatum mortale non poſſe fieri veniale, per additionem deformitatis pertinentis ad genus

genus peccati venialis. Quia per talem additionem peccatum mortale non diminuitur, ſed potiùs aggravatur novâ deformitate adjunctâ: unde dum aliquis fornicando profert verba otioſa, vel fornicatur, ut ea proferat; magis aggravat peccatum ſuum, quàm diminuat. Eſtò enim veniale, quod in genere peccati imperfectum eſt, poſſit fieri in eo genere perfectum per additionem; mortale tamen, quod in genere peccati perfectum eſt, non poteſt per additionem fieri imperfectum.

XXIV. Dico ſecundò cum eodem. Peccatum mortale ex genere poteſt fieri veniale, propter imperfectionem actus: puta, ſi fiat abſque plenâ deliberatione. Cùm enim ab hac habeat ſpeciem moralis actus, hac ſublatâ, ſolvitur ſpecies actus moralis. Unde actus indeliberati infidelitatis, odii Dei, & ſimiles, qui ex genere ſuo ſunt peccata mortalia, fiunt venialia; dum ſinè perfectâ deliberatione quaſi erumpunt: & hoc tam in Fideli, quàm in Infideli, ut docet D. Tho. infra *q.* 89. *a.* 5. ubi reſolvit, motus ſenſualitatis in infidelibus, ſi primi ſint, & eis non conſentiant, irrationabiliter dici eſſe peccata mortalia. Si enim ſunt peccata venialia tantùm in Fideli, multò magis in Infideli; in quo peccatum non gravatur, ſed potiùs minuitur, propter ignorantiam, ſecundùm illud 1. Timoth. 1. v. 13. *Miſericordiam Dei conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate:* & peccata Fidelium aggravantur, propter gratiæ Sacramenta, ſecundùm illud Hebr. 10. v. 29. *Quantò magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui ſanguinem teſtamenti, in quo ſanctificatus eſt, pollutum duxerit?* Ita D. Thom. laudato loco.

XXV. Similiter etiam id, quod eſt ex ſuo genere peccatum mortale, interdum fit veniale, ob levitatem materiæ; ut in furto, detractione, & ſimilibus: non tamen in omnibus. Quædam enim peccata ſunt, quæ ſi ex perfecta deliberatione committantur, ex levitate materiæ non excuſantur à mortali, ut infidelitas, vera, & formalis blaſphemia, odium Dei, periurium, luxuria &c.

Quæres: An circumſtantia poſſit de veniali peccato tacere mortale?

XXVI. Reſpondeo cum D. Thom. hâc *q.* 88. *a.* 5. quòd circumſtantia, manens circumſtantia, non facit peccatum de veniali mortale; ſed tunc ſolùm, quando afferens deformitatem alterius generis, evadit quodammodo differentia ſpecifica moralis actus. Ratio primi eſt: quia circumſtantia, manens circumſtantia, eſt purum accidens actus moralis. Ratio verò ſecundi eſt: quia circumſtantia dum affert novam ſpeciem, ſeu genus deformitatis, transfert actum de una ſpecie deformitatis ad aliam. Unde ſi aliquis accedat ad non ſuam, committit actum deformem deformitate oppoſitâ caſtitati: ſi verò ultra hoc accedat ad eam, quæ eſt alterius uxor, additur deformitas oppoſita juſtitiæ: & hæc circumſtantia conſtituit novam ſpeciem peccati, quæ dicitur adulterium.

XXVII. Notat tamen D. Tho. Q. 7. *de Malo art.* 4. ſe loqui de peccato, quod eſt ex genere ſuo veniale; non verò de eo, quod eſt ex genere ſuo mortale, & veniale ſolùm ex levitate materiæ, ut in parvo furto; vel ex carentia perfectæ deliberationis. In his enim, etſi circumſtantia non mutet ſpeciem, ſi tamen levitatem materiæ, vel imperfectionem actus tollat, facit, ut peccatum, quod erat quaſi per accidens veniale, ſit mortale. Unde D. Tho. ſic ſe explicat loco mox citato: *Id ergo, quod eſt peccatum veniale ex genere, non poteſt fieri mortale per circumſtantiam, quæ manet in ratione circumſtantiæ; ſed ſolùm per circumſtantiam, quæ tranſit in aliam ſpeciem. Sed contingit quandoque, quòd aliquid eſt veniale non ex ſuo genere, ſcilicet, ex parte objecti, ſed magis propter imperfectionem actus; quia non pertingit uſque ad deliberatum conſenſum rationis, qui complet rationem moralis actus: &* tunc

Digitized by Google

tunc talis circumſtantia, quæ eſt completiva moralis actus, facit de veniali peccato mortale; puta, deliberatus conſenſus ſuperveniens.

§. IV.

An Peccatum Veniale cauſet Maculam in Anima?

XXVIII. IN hujus quæſiti reſolutione ſecum ipſe pugnare videtur D. Thomas. Nam hàc 1. 2. q. 89. a. 1. ſtatuit: quòd, *Propriè loquendo, peccatum veniale non cauſat maculam in anima.* At 3. p. qu. 87. a. 2. ad 3. ita ſcribit: *Sicut in corpore contingit eſſe maculam dupliciter: uno modo per privationem ejus, quod requiritur ad decorem, puta, debiti coloris, aut debitæ proportionis membrorum: alio modo per ſuperinductionem alicujus impedientis decorem, puta, luti, aut pulveris: ita etiam anima inducitur macula: uno modo per privationem decoris gratiæ, per peccatum mortale; alio modo per inclinationem affectus inordinatam ad aliquod temporale, & hoc fit per peccatum veniale. Et ideo ad tollendam maculam peccati mortalis requiritur infuſio gratiæ: ſed ad tollendam maculam venialis peccati requiritur aliquis actus procedens ex gratia; per quam removeatur inordinata adhæſio ad rem temporalem.* Quibus fatetur, peccatum veniale inducere maculam in anima, quod hìc negat.

XXIX. Cæterùm ſi benè expendantur verba S. Doctoris, nulla eſt inter ea pugna. Nam utrobique admittit, peccatum veniale cauſare aliquam maculam; & utrobique negat, cauſare maculam, quæ ſit propriè talis. Macula ergo propriè dicta vocatur ea, à qua homo ita ſimpliciter eſt maculatus, & immundus, ut nullo modo poſſit dici mundus: quia dicit totalem privationem nitoris, & pulchritudinis ex gratia provenientis. Cùm ergo peccatum veniale non cauſet talem privationem; benè dicit S. Tho. hìc, non cauſare maculam propriè dictam. Et in hoc ſenſu loquuntur etiam Scripturæ, quæ Juſtos in hac vitâ dicunt eſſe immaculatos, & mundos; quia carent maculâ faciente eos ſimpliciter immundos.

XXX. Præter hanc autem adeſt alia macula, non ita propriè talis; quæ eſtò non privet animam decore gratiæ, nec eam reddat coram Deo deformem: eam tamen quaſi obnubilat, efficitque minùs nitentem, & fulgidam, minuens caritatis fervorem, ex inordinata adhæſione ad aliquod temporale. Et de hac dicit D. Thom. 3. *par.* peccatum veniale importare maculam: & Scripturæ agnoſcunt in Juſtis aliquam ſordem emundandam. Similis ergo eſt hæc macula illi, quam corporibus benè terſis, ac politis adfert levis attactus, ſeu afflatus, ſive luti, aut pulveris, quæ ſinè ulla externa ope poſſunt evaneſcere; vel ipſo nitore veluti eam pellente; vel homine ipſo actu proprio eam tergente. Ita & peccati venialis macula, vi, & exercitio caritatis pelli poteſt abſque ullo ſuperaddito remedio. At peccati mortalis macula ſimilis eſt ei, quam corporibus benè terſis, ac politis adfert ſordidarum, ac immundarum rerum contactus; eaque adeò ſordidata relinquit, ut ab ea ſorde mundari nequeant ſinè externi agentis adjutorio. Sic maculâ peccati mortalis anima tota ita redditur deformis; ut niſi tota per gratiam abluatur, & mundetur, priſtino nitori reſtitui nequeat.

XXXI. Porrò concedendum eſſe, peccata venialia aliquam maculam imprimere in anima, ſuadent Scripturæ. Prov. 20. v. 9. *Quis poteſt dicere, mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato?* Job. 15. v. 14. *Quid eſt homo, ut immaculatus ſit?* Joann. 13. v. 10. *Qui lotus eſt, non indiget, niſi ut pedes lavet.* Ubi ſignificatur, quòd etiam à peccatis venialibus lavamur, & mundamur. — Suadet etiam ratio. Dum enim juſtus venialiter peccavit, quamdiu non eſt conſecutus veniam, dicitur

citur propriè, & formaliter peccator, etiam poſtquam actus peccati tranſivit; ergo in eo aliqua macula manet, à qua eget ablui, & mundari: mundatio autem à ſordibus, & maculis fit, non propriè à pœnis. Propterea Auguſt. *Serm.* 41. *de Sanctis* (ſeu veriùs Cæſarius Serm. 37.) de venialibus loquens: *Quibus* (inquit) *peccatis licèt occidi animam non credamus; ita tamen eam veluti quibuſdam puſtulis, & quaſi horrenda ſcabie replentia deformem faciunt; ut eam ad amplexus illius Sponſi Cœleſtis, aut vix, aut cum grandi confuſione venire permittant, de quo ſcriptum eſt: Aptavit ſibi Eccleſiam non habentem maculam, aut rugam.*

DUBIUM V.

An Peccatum Veniale poſſit eſſe in aliquo cum ſolo Originali?

§. I.

Aliqua præmittuntur.

I. ANgelicus noſter Præceptor hîc *qu.* 89. *a.* 3. quærit: an homo in ſtatu innocentiæ potuerit peccare venialiter. Verùm quia *Tomo 6. in 1. p. Quæſt. 5. de Tentatione, & lapſu prim. Parentum Dub.* 7. quæſtionem hanc quantum Tyroni ſufficit, reſolvimus, nec aliud occurrit hìc dicendum; idcirco Lectorem illuc remittimus.

II. Inquirit ulteriùs *a.* 4. An Angelus, ſive bonus, ſive malus poſſit peccare venialiter. Angelus in triplici ſtatu conſiderari poteſt. Primus eſt ſtatus viæ, in quo fuit conditus, dum gratiam ſimul cum natura accepit. Secundus eſt ſtatus termini, nempe, beatitudo in Angelo bono, & damnatio in Angelo malo. Tertius eſt ſtatus, in quo Angelus nec fuit, nec erit, eſſe tamen potuit: ſi nimirum creatus fuiſſet in puris naturalibus abſque gratiâ, & omni dono ſupernaturali; ut de Homine diximus contra Janſenium *Tom. 6. Q.* 11.

III. Certum ſuppono cum eodem S. Doctore, Angelum beatum non poſſe peccare venialiter. Sicut enim hominem beatum, quia ſic intimè Deo clarè viſo conjunctum, ut nihil velle poſſit, niſi ipſum, & in ordine ad ipſum, peccare non poſſe oſtendimus *Tomo præcedente Tract. de Ultimo fine Q.* 2. *Dub.* 5. ita hoc idem de Angelis beatis dicendum eſt. Sed nec etiam Angeli mali, & damnati venialiter peccare poſſunt. Nam hi, ut ait D. Th. hoc a. 4. *In nihil moventur, niſi in ordine ad finem peccati ſuperbiæ ipſorum. Et ideo in omnibus peccant mortaliter, quæcumque propriâ voluntate agunt.* Nec refert, quòd Dæmones interdum provocent homines ad riſum, ad verba ludicra, & alias levitates, quæ ſolùm ſunt peccata venialia. — Nam reſpondet D. Thom. ad 3. *Quòd omnia illa, quæ videntur eſſe venialia, Dæmones procurant, ut homines ad ſui familiaritatem attrahant, & ſic deducant eos in peccatum mortale. Unde in omnibus talibus mortaliter peccant, propter intentionem finis.* Quæſtio igitur reducitur ad hoc: an dum Angeli fuerunt in via, potuerint peccare ſolùm venialiter: & hoc tam in ſtatu, in quo de facto fuerunt ornati gratiâ, quàm ſi conditi fuiſſent in puris naturalibus.

IV. Dico primò. Angelus, ſive is, qui bonus, ſive qui malus nunc eſt, non potuit peccare venialiter in eo ſtatu, in quo de facto fuit creatus cum gratia. Probat D. Tho. primò ſic: *Major eſt perfectio Angeli, quàm perfectio hominis in primo ſtatu: ſed homo in primo ſtatu non potuit peccare venialiter; ergo multò minùs Angelus.* Si enim ſtatus innocentiæ requirebat abſentiam cujuſvis mali, quamdiu illa innocentia perſeverabat; magis id requirebat ſtatus gratiæ, in quo Angelus fuit creatus, quamdiu ea gratia permanebat.

V. Probat ſecundò ratione ſpeciali. In eo ſolùm contingere poteſt peccatum veniale, in quo poteſt contin-

gere

Digitized by Google

gere deordinatio circa ea, quæ ſunt ad finem, ſalvato ordine ad finem: ſed in Angelo non poteſt contingere inordinatio circa ea, quæ ſunt ad finem, quin ſit inordinatio etiam circa finem; ergo &c. Min. prob. Angelus ſicut non eſt diſcurſivus à principiis ad concluſiones, ut *ſcilicet procedat à principiis in concluſiones, ſeorſim utrumque intelligens, ſicut in nobis contingit; ſed quandocumque conſiderat concluſiones, conſiderat eas, prout ſunt in principiis* (ut in Tract. de Angelis Q. 4. *Dub.* 6. §. 3. oſtendimus) ideoque errare non poteſt circa concluſiones, quin erret etiam circa principia: ita in appetendo non eligit media ſeorſim à fine, ſed *non fertur in ea, quæ ſunt ad finem, niſi ſecundùm quòd ſunt ſub ordine finis*; ergo &c. Ex *natura ſua habent, quòd non poſſit in eis eſſe deordinatio circa ea, quæ ſunt ad finem, niſi ſimul ſit deordinatio circa finem ipſum, quod eſt per peccatum mortale.*

VI. Dico ſecundò. Si Angelus creatus fuiſſet in puris naturalibus, probabilius cenſeo, quòd nec potuiſſet peccare venialiter. Hoc mihi ſuadet eadem D. Tho. ratio. Intantùm enim Angelus non potuit peccare venialiter in ſtatu, quo conditus fuit in gratia; quia cùm non ſit diſcurſivus, ſicut non attingit concluſiones, niſi in principiis, ita nec ea, quæ ſunt ad finem, niſi in ordine ad finem: & ideo ſicut errare nequit circa concluſiones, quin erret circa principia; ita nequit deordinare circa media, quin deordinet à fine: ſed hoc habet Angelus non ex gratia, ſed *ex natura ſuâ* (inquit D. T.) ergo ſi conditus fuiſſet in puris naturalibus, hoc idem haberet; ut ſcilicet non poſſet deordinare circa media, quin deordinaret à fine, & quin mortaliter peccaret.

*** (✠) ***

§. II.

Reſolvitur Dubium, & ſimul ſtatuitur, Hominem pervenientem ad Uſum Rationis teneri ſub Mortali ſe convertere in Deum.

VII. Dico. Peccatum veniale cum ſolo originali eſſe non poteſt. Ita D. Thom. hâc *qu.* 89. *a.* 6. Et probat ſic. Antequam homo perveniat ad uſum rationis, excuſatur ab omni peccato, tùm mortali, tùm veniali; ſi fortè committat aliquid, quod ex genere ſuo eſt tale: cùm nemo peccare poſſit, non habens aliquem uſum rationis. At verò cum uſum rationis habere cæperit, & proinde capax eſſe peccandi, primum, quod cogitandum ei occurrit, eſt, deliberare de ſeipſo, an ſe, ſuaque omnia velit in debitum finem referre. Quod ſi faciat, per gratiam conſequetur remiſſionem originalis peccati: *Si verò non ordinet ſeipſum ad debitum finem, ſecundùm quòd in illa ætate eſt capax diſcretionis, peccabit mortaliter, non faciens quod in ſe eſt.* Hoc idem docet Q. 1. *de Malo a.* 2. *ad* 8. Q. 7. *a.* 10. *ad* 8. ubi hæc habet: *Non eſt poſſibile, quòd aliquis decedat cum originali peccato, & veniali abſque mortali: quia ante uſum rationis puer excuſatur à peccato mortali, itaut etiamſi committat actum, qui de genere ſuo ſit peccatum mortale, non incurrit reatum mortalis peccati; eo quòd nondum habet uſum rationis: unde multò magis excuſatur à reatu peccati venialis. Quia quod excuſat majus peccatum, etiam excuſat minus. Sed poſtquam habet uſum rationis, peccat mortaliter, ſi non facit, quod in ſe eſt ad quærendum ſuam ſalutem. Si autem faciat, gratiam conſequetur, per quam immunis erit ab originali peccato.* Idem docet in 2. *diſt.* 42. *q.* 1. *a.* 5. *ad* 7. *Qu.* 5. *de Malo a.* 5. *ad* 8. *Qu.* 24. *de Verit. a.* 12. *ad* 2. & alibi paſſim: adeo ut benè dixerit Gonet,

vix

vix fieri poſſe, ut verus S. Tho. diſcipulus ab hac ſententiâ recedat.

VIII. Probatur autem ratione ejuſdem S. D. quam indicat hîc *q.* 89. *a.* 6. *ad* 3. & *Q.* 7. *de Malo a.* 10. *ad* 9. Datum eſt homini præceptum convertendi ſe ad Deum, eumque ſuper omnia diligendi: ut ex illo Zachariæ 1. v. 3. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos:* & Matth. 22. v. 37. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Quod præceptum, cùm ſit affirmativum, non obligat ſemper pro ſemper, ſed pro aliquo determinato tempore, ut concors fert Theologorum ſententia. Atqui non poteſt aliud tempus magis proportionatum, & conveniens obſervantiæ, & obligationis talis præcepti aſſignari, quàm illud inſtans morale, quo homo primò incipit ratione uti; ergo &c. Min. prob. primò. In primo inſtanti uſus rationis lex naturalis, mediante ſyndereſi, intimatur homini; adeo ut tunc teneatur deliberare de ſe ipſo, ad quem finem ſe, ſuaſque operationes dirigere velit: in illo enim primo inſtanti ingreditur moraliter Mundum, & viam inchoat rationalis vitæ. Unde ſicut qui inchoat aliquod longum iter, ex dictamine rectæ rationis, & prudentiæ tenetur initio illius aliquem ſibi terminum præfigere: ita, & homo in primo illo vitæ moralis initio tenetur certam, ac fixam operandi regulam, & ſcopum ſibi præfigere, quo ſe, ſuaſque operationes dirigat. Sicut enim in ſpeculabilibus prima principia ſunt, quæ ſtatim naturaliter occurunt apprehenſioni: ita in operabilibus id, quod primo movet intentionem eſt ultimus finis. Audiatur S. D. Q. 7. *de Malo a.* 10. *ad* 9. dicens: *Licèt præcepta affirmativa, communiter loquendo, non obligent ad ſemper; tamen ad hoc eſt homo naturali lege obligatus, ut primò ſit ſollicitus de ſua ſalute, ſecundùm illud Matth. 6.* Primum quærite Regnum Dei: *ultimus enim finis naturaliter cadit in appetitu, ſicut prima principia naturaliter primò cadunt in apprehenſione. Sic enim omnia deſideria præſupponunt deſiderium ultimi finis; ſicut omnes ſpeculationes præſupponunt ſpeculationem primorum principiorum.* Hæc D. Tho.

IX. Hinc præceptum diligendi Deum vocatur à Chriſto Matth. 22. v. 38. *Maximum, & primum mandatum;* quia cætera omnia illud ſupponunt, & in eo radicantur. Eſt etiam omnium præceptorum, & totius legis finis, teſte Paulo 1. ad Timoth. 1. v. 5. *Finis præcepti eſt caritas.* Finis autem eſt intentione prior, utpote propter quem cætera diliguntur. Oportet ergo, ut ſtatim ac homo incipit uti ratione, & de ſeipſo diſponere, ad ſuum ultimum finem ſe ſe convertat; & ſi non faciat, inordinatè ſe gerat, & peccet.

X. Minor principalis probatur ſecundò. Certum eſt, præceptum ſe convertendi per dilectionem ad Deum, aliquando obligare: ſed nullum tempus aptius videtur, quo obliget, ſicut primum inſtans, quo homo incipit uti ratione; ergo &c. Min. probatur. Cùm enim ab Innocentio XI. damnatæ ſint ſequentes propoſitiones: Prima nu. 5. *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei ſemel tantùm in vita eliceret, condemnare non audemus.* Secunda num. 6. *Probabile eſt, ne ſingulis quidem rigorosè quinquenniis per ſe obligare præceptum caritatis erga Deum.* Et tertia num. 7. *Tunc ſolùm obligat, quando tenemur juſtificari, & non habemus aliam viam, quâ juſtificari poſſumus:* certò tenendum eſt, aliis vitæ temporibus eiuſmodi præceptum obligare. Ab hiſce autem primum inſtans uſus rationis excludendum non eſſe, ſic oſtendo. Tunc tenemur converti ad Deum, quando egemus, ut Deus convertatur ad nos, ſecundùm prælaudatum Zachariæ oraculum: *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos.* Qua ratione dicunt aliqui, hominem hoc præcepto teneri in fine vitæ; alii pro eo inſtanti, quo ſuſcipit Baptiſ-

mum,

mum, vel Euchariſtiam; vel quando vult juſtificari; vel quando ponitur in aliqua gravi tentatione, cui facilè eſt, ut ſuccumbat, niſi ad Deum per dilectionem ſeſe convertat: alii ſingulis diebus feſtis: alii cum à Deo magnum accipit beneficium. Verùm quidquid ſit de omnibus præallatis opinionibus; quandonam magis eget homo, ut Deus convertatur ad ipſum, quàm cùm inchoat vitæ ſuæ moralis curſum: cùm primò mundo, carni, Dæmoni, hoſtibus humani generis, ſe ſe præſentat, ut auxilio Dei, qui *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (Joann. 1. v. 9.) contra illos præmuniatur, & roboretur? Tunc ergo tenetur ad Deum ſe ſe convertere, auxiliatorem ſuum diligere, ad ipſum primum arbitrii ſui fructum dirigere.

XI. An verò teneatur homo, ad uſum rationis perveniens, ſe ſe convertere ad Deum explicitè ſub ratione deitatis; an ſolùm implicitè ſub ratione boni univerſalis: & an ad Deum, ut auctorem, & finem ſupernaturalem, vel ſolùm ut auctorem naturalem; cohærenter ad ea, quæ diximus *Tom. 2. in 1. p. Qu. 1. de Exiſtentia Dei Dub. 2. §. 2. & Tom. 3. de Voluntate Dei Quæſt. 2. Dub. 3. §. 2.* probabile quidem eſſe, hominem, ad uſum rationis pervenientem, teneri converti ad Deum ſolùm implicitè, ut bonum ſummè honeſtum; vel etiam explicitè, ut auctorem, & finem naturalem. Probabilius tamen, & menti D. Th. conformius eſſe cenſeo, teneri converti ad Deum, ut auctorem ſupernaturalem, & explicitè talem; nec deeſſe illi, pro eo inſtanti, lumen ſupernaturale, & auxilium ſufficiens ſaltem remotum, quo, ſi faciat quod in ſe eſt, ulteriori auxilio confortatus, ad gratiam juſtificationis pervenire poſſit. Videantur dicta citato loco *Tom. 3. de Volunt. Dei Qu. 2. Dub. 3. §. 2. & 5.*

§. III.

Solvuntur Rationes Contrariæ.

XII. Multa congerunt Adverſarii, quorum aliqua, loco mox citato, ſoluta ſunt. Dicunt ergo primò. Præceptum illud ſe convertendi in Deum in primo inſtanti uſus rationis, neque in Scriptura, neque in SS. Patribus contineri; ergo gratis, & ſinè ullo fundamento à D. Tho. excogitatum eſt.

XIII. Dicunt ſecundò. Nimis durum videri, adſtringere pueros præcepto adeo oneroſo in illa tenera ætate, in qua plerique vix ullam Dei notitiam habent.

XIV. Tertiò. Si quod tale præceptum foret, eſſet obſervatu impoſſibile: cùm non conſtet, neque conſtare poſſit homini primum inſtans, quo incipit habere uſum rationis.

XV. Quartò. Nullus eſt vir doctus, & timoratæ conſcientiæ, qui ſollicitus ſit, an adimpleverit tale præceptum, & qui de ejus omiſſione ſe accuſet.

XVI. Quintò. Sequitur, pueros baptizatos ferè ſemper amittere gratiam, dum perveniunt ad uſum rationis; cùm nulli, vel pauci ſint, qui adimpleant tale præceptum.

XVII. Sextò. Datâ exiſtentiâ hujus præcepti, parvuli ad uſum rationis venientes, poterunt ignorantiâ invincibili illius laborare: cùm multi viri docti, oppoſitæ ſententiæ adhærentes, illud invincibiliter ignorent, dum probabiliter illud non adeſſe, opinantur; ergo ratione talis ignorantiæ poterunt ab ejus impletione excuſari.

XVIII. Reſpondendum eſt ad ſingula. Ad primum dico, quòd eſtò Scriptura, aut Patres non exprimant, hominem venientem ad uſum rationis teneri ſe convertere ad Deum; paſſim tamen affirmant, hominem teneri aliquando Deum diligere: ex temporibus autem, quibus homo teneatur, unum

unum aſſerit D. Tho. eſſe primum inſtans uſus rationis. Quod ita ſenſiſſe, probant ejus verba, hoc *a. 6. ad* 3. nempe: *Et ideo hoc eſt tempus, pro quo obligatur ex Dei præcepto affirmativo, quo Dominus dicit:* Convertimini ad me &c. Non ergo excogitavit S. Thomas novum præceptum; ſed tempus, quo maximum, & primum præceptum primò obligat, determinavit. Quòd ſi licuit aliis Theologis alia deſignare tempora, vel finem vitæ, vel cùm gravis urget tentatio, vel cùm homo debet juſtificari &c. ut ſupra indicavimus; cur S. Thomæ Theologorum Principi non licebit? & maxime ob fundamenta ſolida, quibus movetur?

XIX. Ad ſecundum dico, quòd durum quidem eſſet, ſpectatis naturæ viribus, præſertim corruptæ; non tamen ſpectata luce illius, *qua illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, & unicuique adeſt: præſertim cum incipit ratione uti, ipſi præ oculis Deum naturæ Auctorem oſtendendo, & eum quoque ad altiorem de eo notitiam elevando.

XX. Ad tertium, nego aſſumtum. Quia tempus, ſeu inſtans, quo homo incipit habere uſum rationis, non eſt accipiendum mathematicè, ſed moraliter: illud ſcilicet tempus, quo primùm occurrit homini plena advertentia boni, & mali; & primò deliberat de vita, ſive ſecundùm, ſive contra rationem inſtituenda: tale autem tempus ei, qui ſic cogitat, non eſt ignotum.

XXI. Ad quartum dico, quòd viri probi, ac timorati, ac docti, vel ſententiæ D. Thomæ adhærent; & hi ſolicitudinem ſuam de impletione talis præcepti ſatis oſtendunt, dum de occultis ſe accuſant: an enim impleverit tale præceptum, an non, occultum cuique eſt. Vel opinionem oppoſitam ſequuntur, quam ſibi probabiliorem reputant: & hi tutâ conſcientia ſolicitudinem deponunt.

XXII. Ad quintum, nego ſequelam. Pueri enim baptizati à Fidelibus, piiſque parentibus educati, ac in infantia ſæpè audire divina aſſueti, dum ad uſum rationis deveniunt, tale præceptum adimplere, ſaltem plerique credendi ſunt: habitus enim fidei, & caritatis, quos in Baptiſmò receperunt infuſos, otioſi non ſunt; ſed cum primò operari poſſunt, fides proponit Deum, & caritas ad eum amandum accendit. Quòd ſi aliter contingat: vel vitio ſenſitivæ partis, vel pravæ educationis, quo fit, ut non attendant ad divina, quæ ſibi tunc proponuntur, ſed ad delectabilia potiùs, totum tribuendum eſt. Quare Cajetanus ad hunc *art. 6.* ſic benè concludit: *Propter quod non parvi refert, ut aſſueſcat puer ad audienda ſpiritualia, & honeſta: determinatur enim habitus fidei infuſus ex propoſitis ex auditu, & caritas illum ſequitur.*

XXIII. Ad ſextum, nego, pueros ad primum inſtans uſus rationis pervenientes, hoc præceptum invincibiliter ignorare poſſe; eſtò id aliquibus viris doctis contingere poſſit. Et ratio eſt: nam pueris ad illud inſtans devenientibus Deus naturæ Auctor, vel etiam gratiæ, practicè, & in actu exercito, medio dictamine ſynderesis; vel etiam alio lumine ſuperiori adeo clarè, & evidenter proponitur; ut non relinquatur eis dubitandi locus. Semel autem hac propoſitione ab Auctore naturæ, vel gratiæ factâ, & illo inſtanti morali tranſacto, paulò poſt finitâ; opus eſt ad novam illius præcepti cognitionem acquirendam uti ratiocinatione, & diſcurſu, qui à paſſionibus, vel rationibus dubitandi ſæpè obnubilatur: Quo fit, ut non ſolùm plures viri docti de ejus exiſtentia dubitent: ſed & nos ipſi, qui S. Thomæ ſententiam tenemus, non tanta firmitate, & certitudine ei adhæreamus; quin aliqualis de oppoſito formido interdum inſurgere poſſit.

XXIV. Supereſt, aliud argumentum ſolvere, in quo maximam vim faciunt Adverſarii: & eſt tale. Si quilibet homo, ad uſum rationis deveniens, tenere-

Digitized by Google

neretur ſe convertere in Deum; cùm Deus impoſſibilia non præcipiat, deberet ipſi dare auxilium ſufficiens ad talem converſionem: & hoc deberet eſſe, vel quoad ſubſtantiam naturale, vel ſupernaturale, ſed neutrum dici poteſt; ergo &c. Min. probatur. Et quidem quòd non ſit entitativè ſupernaturale, videtur certum. Tùm quia auxilia ſupernaturalia non dantur omnibus; ſicut nec fides, cujus illuminatio tenet primum locum inter auxilia ordinis ſupernaturalis. — Tùm quia, ſi cuique, ad uſum rationis venienti adeſſet auxilium ſupernaturale, nullus eſſet infidelis negativè: cujus tamen oppoſitum docet D. Tho. 2. 2. *q.* 10. *a.* 1. de illis, ad quorum notitiam nihil de Evangelio, & myſteriis fidei pervenit. — Quòd etiam illud auxilium non ſit naturale, conſtare videtur. Nam illud auxilium eſt tale, ſecundùm S. Thomam, hoc *art.* 6. ut ſi per ipſum *ordinaverit ſeipſum ad debitum finem, per gratiam conſequetur remiſſionem originalis peccati:* auxilio autem naturali, niſi cum Pelagio ſentiamus, ad juſtificationem conari, aut ullo modo diſponere nos poſſumus. Imò, ut dicemus *in Tract. de Gratia*, auxilio merè naturali, aut naturæ viribus, nec poſſumus Deum Auctorem naturæ efficaciter, ac ſuper omnia diligere.

XXV. In ſolutione hujus argumenti dividuntur Noſtrates. Ego tamen proſequens ea, quæ dixi *T.* 3. *in* 1. *p. Tract. de Volunt. Dei Q.* 2. *Dub.* 3. quò meum Candidatum remitto, cenſeo, auxilium illud eſſe ſupernaturale; & ex voluntate antecedente ſalutis omnium procedere. Ad primam prob. in contrarium, nego ant. Jam enim ibi oſtendi, auxilia ſufficientia, ſaltem remota, quibus ſi benè uterentur, ulterioribus promoti, ad fidem, & juſtificationem adducerentur, omnibus concedi; neque fidem eſſe primam gratiam, ſed eam plura auxilia præcedere, demonſtravi §. 6. *à num.* 57. In inſtanti verò primo uſus rationis pertinere ad providentiam Dei; ut ſpecialioribus auxiliis cuique adſit, quibus perduci poſſit ad fidem, & Dei amorem.

Ad ſecundam, ibidem dixi *num.* 61. infidelitatem negativam non tolli per quodcumque auxilium ſupernaturale ſolùm remotè diſponens ad fidem; ſed per explicitam propoſitionem myſteriorum fidei, quæ fortè deeſt aliquibus etiam in primo uſus rationis inſtanti. Veriùs tamen crediderim, ut ibi dixi, Deum pro illo inſtanti illuminare quemcumque, ſaltem de illis duobus generalibus à D. Paulo. Hebr. 11. propoſitis, nimirum quia *Deus eſt, & inquirentibus ſe remunerator eſt.* cui illuminationi ſi homo cooperaretur, conferret illi Deus ulterius lumen ad credendum, & ſe convertendum perfectè; & conſequenter pro illo inſtanti neminem eſſe infidelem purè negativè. Cum hoc tamen ſtat, quòd in illis, qui nihil ampliùs de fide noverunt; & primæ illius illuſtrationis ita naturaliter obliti ſunt, ac ſi eam nunquam habuiſſent, infidelitas, & ignorantia evadat negativa. Et hoc cohæret cum doctrina D. Thom. de infidelitate negativa, ad quam non determinat tempus: imò expreſsè loquitur de vitæ decurſu, præſcindens ab illo primo inſtanti. Sed hæc ſatis. Videantur, quæ citatis locis diximus.

XXVI. Quæres primò: Cur D. Thomas hoc *a.* 6. *in corp.* dicens: *Per gratiam conſequetur remiſſionem peccati originalis*, nihil dicit de Baptiſmo, aut ejus voto?

Reſpondeo, duplici ex cauſa id omittere. Vel quia non loquitur præciſè de hominibus, qui vivunt tempore legis Evangelicæ, ſed indiſtinctè; ut ejus reſponſio includat etiam eos, qui vel ſub lege, vel ante legem fuerunt. Vel ſi loquitur de iis, qui vivunt in lege Evangelica, dum ait per gratiam conſequentur remiſſionem originalis peccati; implicitè indicat Baptiſmum ſaltem in voto: gratia enim remiſſiva originalis peccati poſt Chri-

ſtum

ſtum eſt gratia includens Baptiſmi votum: niſi fortè loquatur de illis, qui tempore legis Evangelicæ inculpabiliter ignorarent neceſſitatem Baptiſmi.

XXVII. Quæres ſecundò: Quid ſit aliquem pervenire ad uſum rationis?

Reſpondeo cum Victoria *Relect.* 13. nil aliud eſſe, quàm hominem pervenire ad talem ſtatum; ut poſſit conſultare, ac deliberare de agendis, diſcernendo inter honeſtum, & turpe. Unde non ſat eſt, ut poſſit exercere aliquos actus circa commodum, vel incommodum naturæ: ſed oportet, ut poſſit eos exercere circa bonum, vel malum morale, ut conſonum, vel diſſonum rectæ rationi. Ad hoc autem, ut quiſquam ad uſum rationis citiùs perveniat, multum juvat bona diſpoſitio organorum, & ſenſuum, ſive externorum, ſive internorum: facilis ordinatio ſpecierum ſenſibilium, quam mirè facit educatio, & inſtitutio pueri. Hinc eſt, quòd etiam æquales in naturalibus non æquali tempore veniunt ad uſum rationis; ſed citiùs benè educati pueri, quàm qui inter agreſtes, & rudes, aut ruſticè viventes creſcunt. Quoto autem ætatis anno hoc fiat, deſignari non poteſt; ſed arbitrio prudentum diverſimodè judicandum eſt in diverſis.

XXVIII. Quæres tertiò: An poſſit aliquis uſum rationis habere, vel eſſe capax ad deliberandum, & judicandum circa unam materiam, & non circa aliam?

Negat Victoria, affirmat Bannez in 2. 2. *q.* 10. *a.* 1. *Dub.* 2. Conciliari tamen poſſunt, dicendo: quòd licèt non quilibet ſit capax judicare, & deliberare per ſeipſum, quid ſit licitum, quidve illicitum in omni materia morali; capax tamen eſt dubitare, inquirere, & conſultare: quod eſt habere uſum rationis circa omnem materiam, eſtò non perfectum, imperfectum ſaltem. In quocumque enim adeſt ſyndereſis, generalia principia moralitatis proponens, ex quibus de concluſionibus particularibus ſaltem dubitare poteſt.

§. IV.

An poſſit quis peccare Venialiter, priùs quàm peccet Mortaliter?

XXIX. Quæres quartò: Poſſit ne aliquis habere uſum rationis ſufficientem ad peccandum venialiter; qui tamen non habeat ad peccandum mortaliter?

Reſolutionem hujus quæſiti neceſſariam exiſtimo ad præſens materiam. Dicunt enim aliqui, quòd cùm ratio in homine non expediatur ſubitò, ſed ſucceſſivè, & paulatim ligamina ejus ſolvantur; & priùs perveniat ad uſum imperfectum, ſemiplenum, quàm ad plenum, & perfectum: cùmque imperfecta, & ſemiplena deliberatio ſufficiat ad peccandum venialiter, ut patet in motibus concupiſcentiæ ſecundò primis, ex ſupra dictis; ſequitur, quòd puer ante primum inſtans morale uſus rationis, in quo habet plenum, ac perfectum diſcurſum, ſeu plenum rationis, & libertatis uſum, poſſit habere motus aliquos non plenè deliberatos, & in illis peccare venialiter.

Et hoc confirmare contendunt. Quia doctrina indubitata eſt apud Theologos, quòd delectatio de aliquo mortaliter illicito, ſi contingat inter ſomnum, & vigiliam, ob imperfectum uſum rationis, & libertatis eſt peccatum ſolùm veniale: quod docet quoque D. Thom. *in* 4. *diſt.* 9. *q.* 1. *a.* 4. de complacentia pollutionis habitæ in ſomno, ſi, dum homo evigilat, contingat ex ſubreptione. Et conſtat in ebrietate, & amentiâ: dum quandoque ſic uſum rationis tollunt, ut relinquant uſum aliquem imperfectum, ad peccandum venialiter ſufficientem; ergo ſimiliter cùm puer paulò ante, quàm perveniat ad uſum rationis perfectum, ſit quaſi inter ſomnum, & vigiliam libertatis, & veluti in crepuſculo uſus rationis; nondumque perfectum uſum, & rationem libertatis attin-

attingat; poterit tunc peccare venialiter, licèt, defectu plenæ, ac perfectæ libertatis, non poſſit peccare mortaliter.

XXX. Reſpondeo tamen negativè. Et probant aliqui ſic: nam puer ille, pro illo medio tempore, quo nondum plena ratione utens poſſet peccare ſolùm venialiter, & de facto peccaret; ſi, ut poſſet, moreretur cum illo ſolo veniali, & originali, non eſſet locus, quò mitteretur poſt mortem: non quidem ad Limbum, ubi homines puniuntur pro originali, ubi non eſt pœna ſenſus, quæ tamen peccato veniali debetur: nec ad Infernum, quo detruduntur homines, ob ſolum peccatum mortale; ergo non eſſet locus &c. Unde Concilii Florentini Patres Seſs. ultimâ in Decreto unionis ſanxerunt: *Illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel ſolo originali decedunt, mox in Infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas.*

XXXI. Verùm huic rationi non multùm fido; quia nec multùm ei fidit S. Thomas. Eſtò enim eam afferat hoc *art. 6.* in arg. *Sed contra*; non tanti tamen ponderis eſſe, quin ei reſponderi poſſit, demonſtrat in 2. *diſt.* 42. *q.* 1. *a.* 5. *ad* 7. ubi ait: *Si tamen ponatur per impoſſibile* (quòd quis decedat cum ſolo originali, & veniali) *tunc talis punietur pœna ſenſibili in Inferno, & pœna illa erit æterna: ſed hoc accidit veniali, inquantùm eſt ſinè gratiâ.* Et Qu. 5. de Malo a. 2. ad 8. *Si tamen* (inquit) *eſſet poſſibile, quòd aliquis cum peccato originali, & veniali decederet; dico, quòd puniretur pœnâ ſenſus æternâ. Æternitas enim pœnæ, ut dictum eſt, concomitatur carentiam gratiæ, ex qua provenit æternitas culpæ. Et inde eſt, quòd peccatum veniale in eo, qui recedit cum mortali, quia nunquam remittitur, æternâ pœnâ punitur propter gratiæ carentiam. Et ſimilis ratio eſſet, ſi quis decederet cum originali, & veniali peccato.* Idem dicit Q. 24. *de Verit. a.* 10. *ad* 2. & alibi.

XXXII. Aliam ergo rationem amplector, quà idem S. Tho. utitur hoc *a.* 6. *Qu.* 5. *de Malo art.* 2. *ad* 8. & *in* 2. *diſt.* 42. *qu.* 1. *art.* 5. *ad* 7. his verbis: *Si enim aliquid eſt ſuſſiciens ad excuſandum peccatum majus, multò amplius ſufficit ad excuſandum minus: ſed imperfectio ætatis excuſat peccatum mortale; ut puer, nondum uſum liberi arbitrii habens, peccati mortalis reus non habeatur, etiamſi actum faciat, qui ex genere peccatum mortale ſit: unde multò amplius excuſat infantia, ne peccatum veniale imputetur.* Qui diſcurſus ſic explicatur: ut aliquis peccare poſſit, debet poſſe diſcernere inter honeſtum, & inhoneſtum, ſeu inter bonum, & malum morale: qui autem ſic poteſt diſcernere, ut cognoſcat parvum malum morale, multò magis poterit cognoſcere magnum malum morale: ut, qui cognoſcit, quòd leviter mentiri, quòd pauca furari, ſit malum; multò magis cognoſcet, malum eſſe pejerare, & furari multa: cùm longè facilius ſit, hæc, quàm illa cognoſcere; ergo qui, propter defectum facultatis utendi ratione, excuſatur, ne iſta majora cognoſcat, atque adeo ne peccet mortaliter, ſi ea faciat; multò magis excuſatur, ne prædicta minora noverit, ac per conſequens ne peccet venialiter, ea faciendo.

XXXIII. Nec rationem hanc infirmant ea, quæ ſuperiùs allata ſunt. Quando enim aliquis peccat venialiter, propter imperfectum uſum rationis, ut in exemplis allatis; etiamſi non perfectè in exercitio utatur ratione, eſt tamen in ſtatu perfecto, & facultatem habet eâ utendi. Unde cauſa, quare motus ſubiti, vel ſubreptitii, ſunt veniales, non eſt, quia is, qui illos habet, non poteſt perfectè deliberare; ſed quia cùm aliunde poſſet, tunc non perfectè deliberat. — Neque hinc inferas, quòd cùm poſſit perfectè uti ratione, non excuſabitur à mortali, ſi ſolùm imperfectè eâ utatur. — Nam etſi poſſit perfectè ratione

Digitized by Google

tione uti, ſpectata facultate, quâ pollet; nihilominus quòd hìc, & nunc eâ perfectè non utatur, non contingit ex cauſa voluntariâ, ſed causâ naturali; nimirùm, vel animi infirmitate, vel phantaſiâ, vel paſſione rationem præveniente: ideoque excuſatur à gravi culpa.

In caſu autem noſtro, cùm puer, ante primum inſtans morale, & completum uſus rationis, abſolutè careat tali facultate, etſi fortè aliquem uſum imperfectum, & inchoatum libertatis, & rationis habere poſſit; incapax tamen eſt peccandi etiam venialiter; & libertas illa erit potiùs phyſica, quàm moralis: quia non ſupponit cognitionem conſonantiæ, vel diſſonantiæ ad legem nec dominium cum indifferentia ſuper ſingulos motus. De quo videri poteſt Caietanus ad hunc *art. 6. §. ad Objectionem.*

XXXIV. Ex quo patet ad confirmationem. & diſcrimen inter puerum, ante primum inſtans morale uſus rationis; & hominem, inter ſomnum, ac vigiliam, ſeu in ebrietate, vel amentia conſtitutum. Iſte enim in habitu habet facultatem plenè deliberandi, licèt non plenè, ac perfectè expeditam, ſed aliqualiter impeditam, ne actu deliberet; ille verò nec in actu, nec in habitu illam habet: unde licèt ille ſit capax peccandi venialiter, non tamen iſte.

XXXV. Sed dices. Cùm inter initium illius primi inſtantis moralis, & conſummationem decurrat aliquod tempus, cur non poterit puer eo medio tempore, aut loqui verbum otioſum, aut leve mendacium: & ſic venialiter peccare, antequam impleat, vel frangat præceptum ſe convertendi ad Deum?

XXXVI. Reſpondeo, non poſſe. Nam ſi pro eo tempore medio nondum poteſt cognoſcere minus malum, nempe, malum eſſe, leviter mentiri, aut verbum otioſum proferre: dato autem, quòd pro eo tempore, quo debet deliberare de ſua converſione ad Deum, voluntariè eam retardaret, vel levibus mendaciis, vel verbis otioſis; peccaret non venialiter, ſed mortaliter. Quia, ut ait Caietanus: *Quamvis non teneatur ante terminum deliberationis eligere; tenetur tamen, ante terminum, nullum impedimentum apponere caritati; & propterea apponendo, peccat mortaliter ante terminum: ſicut deliberationi operam non dans ante inſtans, quod terminaſſet deliberationem, peccat omiſſione.*

XXXVII Supereſſent hìc duo examinanda. Unum: an peccans mortaliter conſtituat ultimum finem in creatura. Alterum: an peccatum mortale ſit in genere offenſæ gravitatis ſimpliciter infinitæ. Sed quia primum tractavimus *Tomo praeced. Qu. 1. de Ultimo fine Dub. 6. §. 4.* ſecundum verò agitabitur, ſi Deus dederit, in *Tract. de Incarnat.* ad Dubium: An pura creatura potuerit ſatisfacere ad æqualitatem pro offenſa mortali: propterea ea omittimus, ac præſenti Quæſtioni finem imponimus.

QUÆSTIO IV.

De Comparatione Peccatorum ad invicem.

POſt diviſa in ſuas ſpecies, ſeu potiùs genera, peccata, recto ordine ad ea invicem comparanda progredimur; nimirum: an ſint invicem connexa: an omnia in gravitate paria: unde ſumant inæqualitatem: & alia, quæ D. Thomas hâc 1. 2. q. 73. pertractat.

DU-

DUBIUM I.

An omnia Peccata ſint Connexa?

§. I.

Reſolutio arguns.

I. HUic quæſito occaſionem dederunt ea, quæ ſuperiùs *Tom. præcedente Tract. de Virtutibus Quæſt.* 3. *Dub.* 2. & 3. diximus; ubi ſtatuimus, virtutes eſſe invicem connexas: unde oritur dubitandi ratio: an idem dicendum ſit de peccatis.

Dico tamen. Peccata non ſunt inter ſe connexa. Colligitur primò, ex illo 3. *Reg.* 15. *v.* 5. ubi dicitur, quòd David non declinavit ab omnibus, quæ præceperat ei Dominus, *excepto ſermone Uriæ*, ideſt, homicidio, & adulterio, quod commiſit, cognoſcendo Berſabeam, & occidendo Uriam ejus virum. Unde & Jacobus *cap.* 2. *v.* 11. dicit: *Quòd ſi non mæchaberis, occides autem, factus es transſgreſſor legis.* Supponit ergo, poſſe aliquem eſſe homicidam, & non eſſe mæchum.

II. Probat D. Thom. hâc *q.* 73. *a.* 1. in argum. *Sed contra*, ſic: quædam vitia ſunt ſibi invicem contraria (ex Phil. 2. Ethic. c. 8.) ſed impoſſibile eſt, contraria ineſſe eidem; ergo impoſſibile eſt, omnia vitia, & peccata ſibi invicem eſſe connexa. Hoc probat S. Auguſtinus *Ep.* 29. *modò* 167. *ad Hieron. c.* 2. dicens: *Aliquando vitium vitio tollitur; ut amore laudis amor pecuniæ. Aliquando unum cedit, ut plura ſuccedant; velut qui ebrioſus fuerit, ſi modicum biberit, & tenacitatem, & ambitionem didicerit. Poſſunt itaque vitia etiam cedere vitiis ſuccedentibus, non virtutibus: & ideo plura ſunt. Virtus verò quò una ingreſſa fuerit, quoniam ſecum cæteras ducit, profectò vitia cedent omnia quæcumque inerant. Non enim omnia inerant, ſed aliquando totidem, aliquando plura paucioribus, vel pauciora pluribus ſuccedebant.* Quibus S. Doct. aperit diſcrimen inter vitia, & virtutes: cur vitia connexa non ſint, benè tamen virtutes. Unde

III. In corpore art. laudati hoc diſcurſu procedit S. Thomas ſumto ex differentia, quæ eſt inter eum, qui peccat, & eum, qui ſecundùm virtutem operatur. Intentio enim ejus, qui ſecundùm virtutem operatur, tendit ad unum; nempe, ut rationis regulam ſequatur, in quod tendit omnis virtus: & propter hoc omnes in una ratione agibilium, quæ eſt prudentia, connexæ ſunt: intentio verò ejus, qui peccat, non dirigitur ad unum. Etſi enim peccando recedat ab eo, quod eſt ſecundùm rationem; hoc tamen per ſe non intendit, ſed potiùs ad aliquod appetibile ſeſe convertere: quæ cùm ſint diverſa, & nullam invicem connexionem habentia, imò interdum contraria, fit, ut peccata nullam connexionem habeant ad invicem. Unde concludit: *Non enim peccatum committitur in accedendo à multitudine ad unitatem; ſicut accidit in virtutibus, quæ ſunt connexæ: ſed potiùs in recedendo ab unitate ad multitudinem.*

IV. Advertendum tamen eſt, hìc non negari, plura peccata inter ſe connexionem habere; ſæpè enim unum diſponit ad aliud, & aliquo modo illud cauſat. Sic ex ſuperbia naſcitur invidia; ex gula ſcurrilitas, & immunditia, hebetudo mentis; ex luxuria cæcitas mentis, inconſideratio, præcipitatio, & alia, quæ recenſet D. Gregorius *Homil.* 13. *in Ezechiel.* & D. Thom. 2. 2. *q.* 153. *a.* 5. Et tandem ex inani gloriâ oritur jactantia, hypocriſis, contentio, pertinacia, diſcordia, & alia, quæ recenſet D. Thom. 2. 2. *q.* 162. *a.* 4. Quapropter ſolùm intendimus, non omnia vitia eſſe inter ſe connexa, eo modo, quo inter ſe connexæ ſunt virtutes; ſed aliqua potiùs eſſe invicem oppoſita.

§. II.

Digitized by Google

§. II.

Oppoſitæ Rationes.

V. **O**Bjicies primò. S. Jacobus *c.* 2. *v.* 10. ait: *Quicumque totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus*; ergo qui unum præceptum violat, violat omnia; ergo peccata ſunt invicem connexa.

VI. Huic objectioni reſpondetur, variè exponendo verba S. Jacobi. Primò enim ait S. Tho. hoc a. 1. ad 1. *Quòd Jacobus loquitur de peccato, non ex parte converſionis, ſecundùm quod peccata diſtinguuntur; ſed ex parte averſionis, inquantùm ſcilicet homo peccando recedit à legis mandato. Omnia autem legis mandata ſunt ab uno, & eodem, ut ipſe ibidem dicit: & ideo idem Deus contemnitur in omni peccato. Et ex hac parte dicit:* Qui offendit in uno, factus eſt omnium reus: *quia ſcilicet uno peccato peccando incurrit pœnæ reatum, ex hoc, quòd contemnit Deum, ex cujus contemtu provenit omnium peccatorum reatus.* Unde Apoſtolicæ ſententiæ ſenſus eſt: eum, qui in uno graviter offendit, eſſe reum omnium præceptorum; quatenus illum offendit, & quodammodo contemnit, qui omnium præceptorum eſt auctor, & ab eodem bono, ſcilicet, Deo, avertit, à quo avertunt omnia peccata mortalia. Cui expoſitioni favet Auguſtinus *Epiſt.* 29. *modò* 167. *ad Hieronymum c.* 5. dicens: *Ac per hoc qui totam legem ſervaverit, ſi in uno offenderit, fit omnium reus; quia contra caritatem facit, unde tota lex pendet. Reus itaque fit omnium, faciendo contra eam, in qua pendent omnia.*

VII. Secundò. Reſpondet idem S. Thomas in 3. *diſt.* 36. *q.* 1. *a.* 5. *ad* 1. Quòd Jacobi dictum *Intelligitur quantùm ad amiſſionem ſummi boni, à quo omne peccatum avertit: quo amiſſo, quidquid virtuti debebatur deperit, & omnia virtutum merita mortificantur.*

VIII. Tertiò. Aliter exponi poteſt, ut ly *omnium* ſumatur collectivè pro lege, quæ eſt collectio omnium præceptorum. ut ſit ſenſus: quicumque graviter offendit in uno, eſt tranſgreſſor legis, quæ eſt collectio omnium præceptorum: non verò diſtributivè, ita ut, qui offendit in uno, ſingula legis præcepta violet. Et hæc interpretatio convenit cum eo, quod apud eumdem S. Jacobum ſequitur v. 11. *Si non mœchaberis, occides autem, factus es tranſgreſſor legis:* non utique ſingulorum præceptorum, ſed legis, ut eſt totum collectivè continens omnia præcepta.

IX. Objicies ſecundò. Peccata mortalia ſic ſe habent ad invicem, ut unum non poſſit remitti, altero non remiſſo: ſignum eſt ergo, quòd ſunt connexa.

X. Reſpondeo cum D. Thom. 3. *p. q.* 86. *a.* 3. *ad* 3. ſolùm ſequi, ea eſſe connexa quantùm ad averſionem, non quantùm ad converſionem, ex qua ſumunt ſpeciem: *Peccata* (inquit S. D.) *quamvis non ſint connexa quantùm ad converſionem ad bonum commutabile: ſunt tamen connexa quantùm ad averſionem à bono incommutabili, in qua conveniunt omnia peccata mortalia: & ex hac parte habent rationem offenſæ, quam oportet per pœnitentiam tolli.*

XI. Sed dices. Sicut omnes virtutes conveniunt in uno principio, quod eſt amor Dei: ita vitia conveniunt in uno principio, quod eſt inordinatus amor ſui; ergo ſicut virtutes ſunt connexæ, ita & vitia.

XII. Reſpondeo cum S. Thoma hâc *q.* 73. *a.* 1. *ad* 3. diſcrimen eſſe: *Quòd amor Dei eſt congregativus, inquantùm affectum hominis à multis ducit in unum: & ideo virtutes, quæ ex amore Dei cauſantur, connexionem habent. Sed amor ſui diſgregat affectum hominis in diverſa; prout ſcilicet homo ſe amat, appetendo ſibi bona temporalia, quæ ſunt varia, & diverſa: & ideo vitia, & peccata, quæ cauſantur ex amore ſui, non ſunt connexa.* Quæ explicatione non egent.

XIII.

Digitized by Google

XIII. Objicies tertiò. Prodigalitas, & avaritia ſunt vitia oppoſita: ſed hujuſmodi, ſecundùm S. Doctorem *q. præcedente 72. a. 8. ad 3.* poſſunt eſſe in eodem; ergo ex quo vitia aliqua ſint oppoſita, non convincitur &c.

XIV. Reſpondeo cum eodem S. D. ibi: *Quòd prodigus, & illiberalis poteſt eſſe aliquis ſecundùm diverſa: ut, ſcilicet, ſit aliquis illiberalis in accipiendo, quæ non debet, & prodigus in dando, quæ non debet. Nihil autem prohibet, contraria ineſſe eidem ſecundùm diverſa:* quia nimirum opponuntur ſecundùm genus, & non ſecundùm ſpeciem. Quòd ſi opponantur ſecundùm ſpeciem, hoc eſt, ſi prodigalitas, & avaritia verſentur circa idem; non poterunt eſſe ſimul.

DUBIUM II.

An omnia Peccata ſint Paria?

§. I.

Quinam in hoc erraverint.

I. PEccata omnia eſſe paria in gravitate, primò dixerunt Stoici, teſte S. Auguſt. *L. contra Mendacium c. 15. & Ep. 29.* modò 167. *ad Hieronymum c. 2.* dicens: *Hoc autem de parilitate peccatorum ſoli Stoici auſi ſunt diſputare, contra omnem ſenſum generis humani.* Et S. Thomas hâc qu. 73. a. 2. *Opinio* (inquit) *Stoicorum fuit, quam Tullius proſequitur in Paradoxis, quòd omnia peccata ſunt paria. Et ex hoc etiam derivatus eſt quorumdam hæreticorum error, qui ponentes, omnia peccata eſſe paria, dicunt etiam, omnes pœnas Inferni eſſe pares.*

II. Inter hæreticos, qui Stoicorum hunc errorem in Eccleſiam intrudere conatus fuit, prior extitit Jovinianus; contra quem ſcripſit S. Hieronymus libros duos, laudatus propterea à S. Auguſt. *Epiſt. 167.* citatâ ad eumdem, his verbis: *Quam eorum* (Stoicorum) *vanitatem in Joviniano illo, qui in hac ſententiâ Stoicus erat..... de Scripturis Sanctis dilucidiſſimè convicisti.* Jovinianus iſte circa finem ſeculi IV. anno videlicet 382. è Monaſterio Mediolanenſi erupit variorum errorum auctor: quorum præcipuus fuit, quòd nuptias virginitati coæquabat, cælibatui detrahens. Quem errorem a modernis hæreticis excitatum, impugnavimus in *Vera Eccleſiâ*, & in *Colloquiis* pro cælibatu. Alter ejus error fuit, æqualem omnium fore in Cœlis remunerationem, & gloriam. Hunc errorem eliminavimus *Tom. 2. in 1. p. Tract. de Viſione Qu. 4. Dub. 4.* Tertius, hinc conſequens, fuit, omnia peccata eſſe paria. Alios quoque diſſeminavit errores, nempe, jejunia, & à certis cibis abſtinentiam nihil prodeſſe: eos, qui plena fide in Baptiſmo renati ſunt, peccare non poſſe: & tandem B. V. Mariam in partu manſiſſe Virginem, negabat. A. Siricio tamen in Concilio Romæ coacto, anno 390. Jovinianus cum ſuis hæreſibus damnatus fuit; & à S. Hieronymo, Auguſtino, aliiſque ejus ſeculi Patribus ſtrenuè convictus.

III. Verùm quia Jovinianam hæreſim, jam incineratam, extumularunt moderni hæretici, Lutherus; Calvinus, Anabaptiſtæ, eorumque gregales, ut locis citatis oſtendimus; maximè agentes de cælibatu, & ciborum abſtinentiâ, & de reliquis (ſuis locis) dante Deo proſequemur: modò unicè Jovinianum, & præfatos recentiores hæreticos, tantùm quoad æqualitatem peccatorum ab ipſis aſſertam, aggrediamur. Non ſolùm enim omnia peccata eſſe paria, ideſt mortalia, aſſerunt, quod ſupra rejecimus; ſed & inter mortalia ipſa unum eſſe majus altero, vel apertè inficiantur; vel ex eorum principiis apertè deducitur: ſicut nec ullum meritum eſſe majus altero, impiè effutiit Lutherus, dum in Conc. de Nativit. B. Mariæ: *Omnes* (inquit) *Chriſtiani æquè magni ſumus, ſicut Mater Dei, & æquè Sancti, ſicut ipſa.* Contra hos omnes igitur

§. II.

§. II.

Catholica Veritas.

IV. Dico. Non omnia peccata ſunt paria, ſeu æqualis gravitatis; ſed unum, etiam inter mortalia, eſt altero gravius. Prob. primò. Ex Sacris Litteris habetur, non omnia peccata æquali pœnâ punienda eſſe; ſed aliqua mitiori, aliqua graviori: Gen. 4. v. 24. *Septuplum ultio dabitur de Cain, de Lamech verò ſeptuagies ſepties:* Matth. 11. v. 24. Civitati Capharnaum dicit Chriſtus: *Terra Sodomorum remiſſiùs erit in die Judicii, quàm tibi.* Si ergo diſpares erunt pœnæ, diſparia ſunt peccata. Etenim, ut ait S. Hieron. l. 1. Dial. adv. Pelagianos: *Nec ferulâ dignum vitium, gladio vindicandum eſt; nec gladio dignum ſcelus, ferulâ coercendum.*

V. Aliqua item peccata graviora eſſe aliis, directè exprimitur Jerem. 7. v. 26. *Pejus operati ſunt, quàm Patres eorum.* Threnorum 4. v. 6. *Major effecta eſt iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum.* Lucæ 6. v. 42. Increpantur qui vident feſtucam in oculo fratris ſui, hoc eſt, peccatum levius; & trabem, hoc eſt, majus peccatum in oculo ſuo non conſiderant. *Joann.* 19. *v.* 11. Chriſtus aſſerit, peccatum proditoris Judæ eſſe gravius peccato Pilati: *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.* Et eò pertinent, quæ *Matth.* 12. *à v.* 31. dicuntur de differentia peccati in Filium hominis, & peccati in Spiritum Sanctum: nempe, quòd illud remittetur, iſtud nec remittetur in hoc ſeculo, nec in futuro. Signum ergo eſt, Chriſtum judicaſſe gravius peccatum in Spiritum Sanctum peccato in Filium.

Unde refert Turrecremata *l. 4. Sum. de Eccleſia p. 2. c. 35.* hæreſes Catharorum fuiſſe damnatas, inter quas decima erat hæc: *Quòd parvuli non baptizati non leviùs punientur æternaliter, quàm latrones, & homicida.* Et decima ſexta: *Quòd non plus punietur Judas proditor, quàm infans unius diei.*

VI. Præſtat audire S. Hieron. *l. 2. contra Jovin.* ſic arguentem: *Audebis ne igitur dicere, ſic negaſſe Petrum, & cæteros Apoſtolos, qui fugerunt, quomodo Caiphan, & Phariſæos, & clamantem populum:* Crucifige, crucifige talem? *Et, ut de Apoſtolis taceam, ejuſdem ne tibi ſceleris videbitur reus Annas, & Caiphas, & Judas proditor, cujus & Pilatus; qui nolens compulſus eſt, contra Dominum ferre ſententiam? Quantò majoris meriti fuit Judas, tantò majoris criminis eſt; & quantò majoris criminis, tantò majoris & pœnæ.* Potentes enim potenter tormenta patientur (*Sap. 6. v. 7.*) Eamdem veritatem indicat *Epiſt.* 14. modò 109. *ad Celantiam.* Et in *Cap.* 9. *Ezechiel.* ad illa verba: *Iniquitas Domus Iſrael, & Juda magna eſt nimis valde,* ait: *Non ſolùm magna, ſed magna nimis. Nec hoc dixiſſe ſufficit; ſed repetit:* valde: *ut pro magnitudine iniquitatis magnitudo ſupplicii ſit. Ex quo diſcimus, non ut plerique æſtimant, & maximè Stoici, paria eſſe peccata; ſed vel magna, vel parva: & pro qualitate, menſuráque peccantium, diverſitatem eſſe judicii punientis.*

VII. Nunc probanda eſt hæc veritas ratione D. Thomæ hoc *art.* 2. quæ directè fundamentum contrarium evertit. Stoici enim, ut ex verbis Tullii perſpici poteſt, *conſiderabant peccatum ex parte privationis tantùm, prout ſcilicet eſt receſſus à ratione. Unde ſimpliciter æſtimantes, quòd nulla privatio ſuſciperet magis, & minùs, poſuerunt omnia peccata eſſe paria:* ſed falſum eſt, nullam privationem ſuſcipere magis, & minùs; ergo &c. Min. probat D. Tho. ſic: Eſtò privatio ſimplex, & pura, quæ conſiſtit quaſi in corrupto eſſe, ſicut mors eſt privatio vitæ, & tenebræ ſunt privatio lucis, non ſuſcipiant magis, & minùs, quia nihil relinquunt de oppoſito: unde non minùs eſt mortuus aliquis primo die mortis, & tertio, vel quarto, quàm

peccaſſe

quàm poſt annum : & non magis eſt tenebroſa domus, ſi lucerna pluribus velaminibus operta ſit, quam ſi uno tantùm velamine totum lumen intercludente. Privatio tamen non ſimplex, quæ conſiſtit potiùs in corrumpi, quia retinet aliquid de habitu oppoſito; qualis eſt ægritudo, quæ privat quidem debita commenſuratione humorum, ſed aliquid ejus relinquit, aliàs non remaneret animal vivum; qualis etiam eſt turpitudo, recipere poteſt magis, & minùs: *Multum enim refert ad ægritudinem, vel turpitudinem, utrum plus, vel minùs à debita commenſuratione humorum, vel membrorum recedatur*; unde unus dicitur magis, vel minùs æger, magis, vel minùs turpis: atqui vitia, & peccata ſunt privationes hoc ſecundo modo: *Sic enim in eis privatur debita commenſuratio rationis, ut non totaliter ordo rationis tollatur:* alioquin malum, ſi ſit integrum, deſtruit ſeipſum; ergo poteſt unus magis ab ordine rationis recedere, & ſic graviùs peccare; alter minùs recedere, & peccare minùs graviter; ergo non omnia peccata ſunt paria.

VIII. Nec per hoc tamen putes, aliquid bonitatis in actu peccaminoſo remanere. Mens enim S. Thomæ ſolùm eſt, quòd quemadmodum ægritudo, licèt totam deſtruat ſanitatem, nihilque ejus in parte ægrotante relinquat; quia tamen relinquit vitam, quæ eſt radix ſanitatis, dicitur privatio in fieri, ſeu corrumpi, capax ſuſcipiendi magis, & minùs: ita peccatum licèt tollat totam bonitatem ab actu; quia tamen totaliter non deſtruit, ſed aliquid relinquit de radicali, & aptitudinali inclinatione ad bonum honeſtum, ut docet infra *q.* 85. *a.* 2. *& Q.* 2. *de Malo a.* 11. ſolùmque apponit impedimentum, ne pertingat ad terminum; ideo eſt privatio capax ſuſcipiendi magis, & minùs. Videatur S. Doct. locis mox citatis.

IX. Confirmantur, & ſimul explicantur dicta, ex iis, quæ docet *in* 2. *diſt.* 42. *q.* 2. *a.* 5. Etſi enim ratio bonitatis in indiviſibili ſit, & negatio in ſe non dicatur ſecundum magis, & minus; tamen quantum ad ſuam cauſam intenditur, & remittitur: *Sicut dicitur magis cæcus, cui ex toto erutus eſt oculus, quàm qui ex aliquo humore ad pupillam concurrente viſum amittit; quamvis uterque cæcus ſit. Et per hunc modum etiam inæqualitas dicitur ſecundùm magis, & minùs; quia diſtantia ab æqualitate, quæ æqualitatem tollit, poteſt eſſe major, & minor: & per hunc etiam modum, ſecundùm majorem, vel minorem diſtantiam à bonitate, poteſt actus dici magis, vel minùs malus. Et ideo ſimpliciter concedendum eſt, unum peccatum alio gravius eſſe.* Ex duplici autem capite hoc contingere poſſe docet. Uno modo ex parte peccati in ſe, prout actus diſcordat à regula rationis. Quare *Auguſtinus dicit, quòd peccatum dicitur, inquantùm diſcordat à lege æterna, cujus expreſſio eſt ipſa lex naturalis. Quantò ergo aliquis actus magis abducit à fine humanæ vitæ, tantò in ſe gravius peccatum eſt: ſive hoc contingat ex materia, circa quam peccatur, ſive ex corruptione plurium, vel paucarum circumſtantiarum.* Alio modo ex parte peccantis. Et ex hac parte *peccatum eſt gravius, vel propter majorem contemtum, vel etiam propter majorem libidinem; quorum primum reſpicit averſionem, & ſecundum converſionem peccati.* Notat tamen S. Doct. quòd iſta gravitas ex parte peccantis, *accidentalis eſt peccato, ſecundùm quòd in genere ſuo conſideratur: quia illud, quod ex genere ſuo eſt levius, poteſt eſſe gravius, cum ex majori libidine, vel contemtu fit.*

§. III.

Joviniani Fundamenta.

X. Ad ſuum firmandum errorem pluribus movebatur Jovinianus. Primò. Quia Matth. 25. *v.* 34. 41. & 46. duo diſtinguuntur genera hominum; unum bonorum, qui ad vitam

vitam æternam ingredientur; aliud malorum, qui in æternum ignem mittentur, nullo diſcrimine facto, ſint ne alii magis mali, alii minùs.

XI. Secundò. Omnium peccatorum in inferno una eſt pœna, ſecundùm illud Iſaiæ 24. v. 22. *Congregabuntur in congregatione unius faſcis in lacum, & claudentur ibi in carcere*; ergo etiam una eſt gravitas peccatorum.

XII. Tertiò. Omnia peccata mortalia vocantur crimina, & delicta; ergo omnia ſunt paria. Omnia itidem capacia ſunt indulgentiæ.

XIII. Quartò. Genus æqualiter participatur in ſuis ſpeciebus: ſed peccatum eſt genus ad omnes ſpecies peccati; ergo æqualiter participatur &c.

XIV. Quintò. Peccatum mortale eſt mors animæ: ſed mors corporis non admittit magis, & minùs, cùm omnes ſint æqualiter mortui; ergo &c.

XV. Sextò. Nullum infinitum majus eſt alio infinito: ſed quodlibet mortale eſt infinitum, quia contra bonum infinitum; ergo &c.

XVI. Septimò. Iſidorus *lib.* 8. *Originum c.* 6. ſcribit: Quòd *ille tam nocens eſt, qui paleas furatus fuerit, quàm qui aurum*: qui *mergum occiderit, quàm qui equum*.

XVII. Reſpondetur ad ſingula. Ad primum dico, Chriſtum voluiſſe ſolùm diſtinguere bonos, vitâ æternâ donandos, à malis æterno igni addicendis; non autem diſtinguere ibi magis bonos à minùs bonis, nec magis malos à minùs malis. Hoc enim ex aliis Scripturæ textibus colligitur; nempe, unumquemque judicandum, & mercedem recepturum ſecundùm ſua merita, Matth. 16. 27. *Tunc reddet unicuique ſecundùm opera ejus*. 1. ad Cor. 3. v. 8. *Unuſquiſque autem propriam mercedem accipiet, ſecundùm ſuum laborem*.

XVIII. Ad ſecundum dico: Damnatorum unam fore pœnam, quantum ad ſubſtantiam, & durationem; quia omnes, ſive parvuli non baptizati, ſive adulti in æternum viſione Dei privabuntur: adulti autem torquebuntur igne, æternâque combuſtione: non verò fore unam quoad quantitatem, & intenſionem, loquendo de pœna ſenſus; ſed graviùs igne punientur, qui graviùs peccaverunt. Neque obſtat locus Iſaiæ allatus: ibi enim, S. Hieronymo teſte in dictum caput, ſignificatur, omnes, etiam Reges, ac Principes: *Qui ſuum non ſervaverunt gradum, congregabit Dominus in die judicii, quaſi in uno faſce pariter colligatos, & mittet in lacum inferni; ut in illis quoque impleatur, quod de impiis ſcriptum eſt*: Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foveam quam fecit. Hoc tamen non tollit, quin ibi juxta inæqualitatem demeritorum ſint pœnis inæqualibus viſitandi: nam nec ejuſdem faſcis omnia ligna æqualiter ardent, ſed prout ſunt diſpoſita. Unde D. Thom. Q. 2. de Malo a. 9. ad 3. *In ſupplicio* (inquit) *damnatorum eſt aliquid commune omnibus, quod reſpondet contemtui Dei, puta, carentia viſionis divinæ, & perpetuitas pœnæ: & quantùm ad hoc dicuntur congregari congregatione unius faſcis. Eſt etiam aliquid, in quo differunt, ſecundùm quòd quidam magis torquentur, quàm alii: & quantùm ad hoc, Matth. 23. dicuntur colligari, ſicut Zizaniorum faſciculi ad comburendum*.

XIX. Ad tertium reſpondet S. Auguſtinus Nectario ſcribens *Ep.* 104. *olim* 254. *c.* 4. neg. conſeq. Nam (inquit) *Si propterea ſunt paria, quia utraque delicta ſunt; mures, & elephanti pares erunt, quia utraque ſunt animalia; muſca, & aquila, quia utraque ſunt volatilia*. Quòd verò omnia capacia ſint indulgentiæ, ait idem S. Doctor, eſt propter abundantem Dei miſerationem, quæ de ſcelere immaniſſimo, atque impiò rectè pœnitentibus Chriſtiano jure debetur; *non propter peccatorum parilitatem*.

XX. Ad quartum dico, quòd genus ita æqualiter participatur in ſuis ſpeciebus, ut omnes æqualiter habeant rationem generis; non ſic tamen, ut omnes in perfectione ſpecificâ ſint æqua-

quales, cùm ſpecies ſint ſicut numeri. Unde D. Tho. Q. 2. de Malo a. 9. ad 16. *Omnia* (inquit) *animalia ſunt æqualiter animalia; non tamen ſunt æqualia animalia, ſed unum animal eſt altero majus, & perfectius: & ſimiliter non oportet, quòd omnia peccata propter hoc ſint paria.*

XXI. Ad quintum reſpondet D. Th. citato loco *ad* 2. diſt. maj. Eſt mors animæ cauſaliter, conc. maj. Eſſentialiter, nego maj. *Mors animæ* (inquit) *eſt privatio gratiæ, per quam anima Deo uniebatur: privatio autem gratiæ non eſt eſſentialiter ipſa culpa, ſed effectus culpæ, & pœna; ut ſupra dictum eſt...... Unde peccatum dicitur mors animæ, non eſſentialiter, ſed effectivè; eſſentialiter verò peccatum eſt actus deformis, vel inordinatus.*

XXII. Ad ſextum reſpondet idem S. Doct. laudato loco ad 5. *Quòd à bono infinito aliquis avertitur actu finito: & ideo peccatum eſſentialiter finitum eſt, licèt habeat aliquam habitudinem ad bonum infinitum*: Ubi loquitur de peccato ratione malitiæ, & quatenus eſt malum hominis; non de eodem in ratione offenſæ, & quatenus ſuo modo eſt malum Dei. Sic enim eſſe infinitum, in genere moralis offenſæ, ſuo loco oſtendemus. — Neque tamen inferas, omnia peccata, ſaltem in genere offenſæ, quia infinita, eſſe æqualia. — Nego enim illatum. Quòd enim unum infinitum non poſſit eſſe majus altero, intelligi debet de infinito per eſſentiam, in genere entis, & omnibus modis; non de infinito in genere determinato, quale eſt peccatum, quo Deus quidem offenditur, ſed non omnibus modis. Vel dicatur, gravitatem offenſæ non ſolum ſumi à perſona læſâ, ſed ab objecto, intenſione actus, & circumſtantiis: quare eſtò ex parte perſonæ læſæ offenſa in omnibus peccatis mortalibus æqualis ſit; quæ tamen ex aliis enumeratis capitibus ſumitur, inæqualis eſſe poteſt. Sed de his ſuo loco. Interim audiatur D. Th. citatâ *Q. 2. de Malo a. 9. ad* 11. dicens: Quòd *omnibus peccatis mortalibus oportuit ſubveniri per mortem Chriſti propter gravitatem, quam habent ex contemtu boni infiniti. Sed tamen nihil prohibet, quòd per unum peccatum magis contemnatur Deus, quàm per aliud.*

XXIII. Ad ſeptimum reſpondetur, verius Iſidorum ibi non in propria, ſed in Stoicorum ſententiâ loqui; ait enim: *Omne peccatum uniforme eſſe aſſerunt, dicentes ſic: Ille tàm nocens erit &c.* Quænam autem fuerit Iſidori ſententia, ex *lib.* 2. *Sent.* colligi poterit, ubi *Cap.* 17. ſcribit: Quòd *gravius eſt infirmitate, quàm ignorantiâ quemquam delinquere; graviuſque induſtriâ, quàm infirmitate peccare.* Et *Cap.* 18. agnoſcit gravia, & levia peccata, dicens: *Non ſolùm gravia, ſed & levia ſunt cavenda peccata.*

§. IV.

An etiam Peccata contra Jus Poſitivum ſint Inæqualia?

XXIV. HActenus procedere viſa eſt reſolutio de peccatis ex natura malis, & ideo prohibitis. Nunc de peccatis ideo malis, quia prohibitis lege poſitivâ; quæ dicuntur dumtaxat mala, quia lege aliquâ poſitivâ prohibita, ſpecialis videtur inſurgere difficultas: quam auget varius loquendi modus, qui deprehenditur apud D. Tho. variis in locis.

XXV. Nihilominus exiſtimo, & menti S. Doctoris, & veritati conformius, reſolutionem præſentem habere locum etiam in iis, quæ jure dumtaxat poſitivo prohibentur, & vocari ſolent mala, quia prohibita. Tum quia hoc Articulo generaliter reſolvit, non omnia peccata eſſe paria; nullam diſtinctionem faciens eorum, quæ ſunt contra legem naturalem, & eorum, quæ ſunt contra legem ſolùm poſitivam. Imò 2. 2. q. 105. a. 2. determinat, inobedientiam etiam illam,

quæ

Digitized by Google

quæ eſt contra idem præceptum hominis, quandoque eſſe majus, quandoque eſſe minus peccatum; ſecundum quòd magis, vel minùs elongatur à fine præcipientis; aut majoris, vel minoris dignitatis ſit Superior, cujus præceptum violatione contemnitur. Rurſum *qu.* 163. *a.* 4. docet, peccatum Hevæ, etiam ea ratione, quâ erat contra præceptum poſitivum de non guſtando fructum vetitum, fuiſſe gravius peccato Adami. Graviùs inſuper peccare videtur, qui ſinè licentiâ, & neceſſitate comedit carnes in Quadrageſima, quàm qui comedit lacticinia: qui celebrat ſinè veſtibus, & vaſis ſacris, & in loco non ſacro, quàm qui ſolùm ſinè lumine celebrat. Et ratio eſſe poteſt: quia quæ ſunt jure poſitivo tantùm prohibita, contrariari poſſunt diverſis virtutibus: nam jejunium violare, contrariatur virtuti abſtinentiæ; laborare in die feſto ab Eccleſia præcepto, celebrare ſinè veſtibus, & vaſis ſacris, virtuti Religionis: peccata autem, quæ diverſis ſpecie virtutibus contrariantur, diverſa ſpecie ſunt; ſpecies autem, ſe habent ſicut numeri, qui inæquales ſunt:

XXVI. Accedit: quòd etiam in iſtis invenitur objectum, quod poſtquam eſt prohibitum, majus, aut minus malum eſt, ſecundùm materiæ qualitatem, & quantitatem majorem, & minorem: graviùs enim peccaret, qui die jejunii carnes, & ova manducaret, aut tres, vel quatuor refectiones ſumeret; quàm qui unum tantùm ovum comederet: & Sacerdos, qui totum officium prætermitteret, quàm qui unam tantùm horam. Præterea: infirmitas, aut malitia peccantis, & conditio perſonæ, tùm eius, quæ peccat, tùm ejus, in quam peccatur, diſparitatem peccati inducere poteſt.

XXVII. Advertendum tamen cenſeo, aliter contingere inæqualitatem in peccatis, jure naturæ prohibitis; ac in prohibitis jure dumtaxat poſitivo. Nàm illa, cùm ſint de objecto ſuâpte naturâ, & ſemper malo, quò magis elongantur à præcepto, ſemper graviora ſunt: quia magis ſemper, ex parte actus, elongantur à rationis regulâ. At iſta, quia non ſunt de objecto ex ſua natura malo, ſed facto malo ex voluntate præcipientis, majorem, vel minorem gravitatem accipiunt; non ex eo præcisè, quòd magis elongentur à præcepto, ſed à fine, & intentione præcipientis, quò major ſit perſona, cujus præceptum violatur; & quo major ſit peccantis contemtus, vel libido.

XXVIII. Hic viâ conciliari poſſe crediderim S. Thomæ dicta, qui in uno loco videtur admittere inæqualitatem in peccatis contra præcepta poſitiva; & in alio videtur negare. Hoc autem deduco ex iis, quæ docet in 3. *Contragentes cap.* 139. ubi poſtquam docuit, quòd in iis, quorum perfectio, & bonum in quadam commenſuratione conſiſtit; ut bonum ſanitatis in commenſuratione humorum, bonum pulchritudinis in proportione partium, & veritas in commenſuratione intellectus, vel ſermonis ad rem; quantò magis à tali commenſuratione receditur, tantò graviùs deficitur: unde *Quantò major eſt inæqualitas in humoribus, tantò eſt major infirmitas; & quantò eſt major inordinatio in membris, tantò eſt major turpitudo: & quantò magis à veritate receditur, tantò eſt major falſitas: non enim eſt tam magna falſitas æſtimantis tria eſſe quinque, ſicut ejus, qui æſtimat tria eſſe centum*. Tranſiens autem ad tranſgreſſionem præcepti poſitivi, puta Judicis præcipientis, ne quis tranſgrediatur tales terminos, ait: *Non eſt autem ſimile, virtutem tranſgredi, & terminos à Judice poſitos tranſire. Nam virtus eſt ſecundùm ſe bonum: unde virtutem tranſgredi eſt ſecundùm ſe malum. Et ideo oportet, quòd magis à virtute recedere ſit majus malum. Tranſgredi autem terminum à Judice poſitum, non eſt ſecundùm ſe malum, ſed per accidens, inquantùm ſcilicet eſt prohibitum*.

XXIX.

XXIX. Ex objecto igitur, ſecundùm ſe, non debet ſumi inæqualitas peccati; quia non eſt ſecundùm ſe malum. Verùm quia eſt malum, quatenus prohibitum; quantò magis à fine, & intentione præcipientis elongatur, tantò graviùs peccat. Unde Q. 2. *de Malo a.* 9. *ad* 4. ubi poſtquam dixit, quòd qui tranſgreditur lineam ſibi à Judice præſcriptam, quia non ſe continet infra terminum ſibi præſtitutum, peccat peccato omiſſionis, ſubdit: *Si autem præciperetur ei directè, quòd non ambularet, manifeſtum eſt, quòd quantò plus ambulando procederet, tantò graviùs puniretur;* quia plus elongaretur à fine præcipientis.

XXX. Quòd verò ex parte peccantis poſſit graviùs frangi præceptum poſitivum, docet *in* 2. *diſt.* 42. *q.* 2. *a.* 5. *ad* 3. his verbis: *Aliquid eſt in ſe malum, & aliquid malum eſt tantùm, quia prohibitum. In illis ergo, quæ ſunt mala, quia prohibita tantùm, non differt, utrum parum, vel multum à præcepto elongetur, ex parte ipſius actus: quamvis differat ex parte agentis, ſecundùm quòd majori, vel minori contemtu poteſt facere. Hujus ratio eſt, quia in his tota ratio malitiæ eſt ex hoc, quòd non ſervat præceptum: & ita ratio bonitatis eſt in eo, quòd inſtitutum eſt per præceptum: & ideò ſi hoc tollitur, nil bonitatis manet.* Vult ergo D. Thom. in peccatis contra jus poſitivum non eſſe inæqualitatem, ſi attendatur ſolum jus poſitivum; non verò ſi attendantur aliæ cauſæ, & circumſtantiæ, de quibus infra

DUBIUM III.

Unde ſumatur Inæqualitas Peccatorum.

§. I.

An ſumatur ex Objecto?

I. Dico. Gravitas peccatorum variatur ſecundùm objecta. Ita S. Thom. *q.* 73. *a.* 3. Et probat ſic. Gravitas peccatorum ex eo proportionaliter differe debet, ex quo una ægritudo corporis eſt gravior alterâ: ſed tantò gravior eſt ægritudo, quantò deordinatio eſt in altiori principio: *Sicut ægritudo, quæ provenit in corpore humano ex corde, quod eſt principium vitæ, vel ex aliquo, quod appropinquat cordi, periculoſior eſt;* ergo etiam peccatum, quod circa nobilius principium vitæ moralis inordinatè ſe habet, gravius erit. Atqui objectum actus humani, cùm ſimul habeat rationem finis, eſt principium actus moralis; quantò igitur contra nobilius objectum agitur, tantò per ſe loquendo, peccatum eſt gravius. Dico *per ſe*. Negandum enim non eſt, peccatum ex ſua ſpecie, & objecto gravius, ex imperfectione, ac indeliberatione actus, vel aliâ circumſtantiâ, eſſe hîc, & nunc levius. Sic odium proximi, & Dei, etiam inſurgens ex ſubreptione, & indeliberatione, eſt veniale: ſimiliter detractio, & furtum in materia levi.

II. Ex hac doctrina infert D. Thom. quòd quia: *Res exteriores ordinantur ad hominem, ſicut ad finem, homo autem ordinatur ulteriùs in Deum, ſicut in finem... Peccatum, quod eſt circa ipſam ſubſtantiam hominis, ſicut homicidium, eſt gravius peccato, quod eſt circa res exteriores, ſicut furtum: & adhuc eſt gravius peccatum, quod immediatè contra Deum committitur, ſicut infidelitas, blaſphemia, & hujuſmodi. Et in ordine quorumlibet horum peccatorum unum peccatum eſt gravius*

altero

Digitized by Google

altero, ſecundùm quòd eſt circa aliquid principalius, vel minus principale.

§. II.

An Gravitas Peccatorum penſetur ex Dignitate Virtutum, quibus opponuntur?

III. De hoc agit D. Thom. hoc *a.* 4. Ubi ſupponit, quòd virtuti aliquod peccatum opponitur dupliciter. Uno modo principaliter, & directè; quando ſcilicet peccatum, & virtus verſantur circa idem objectum: quia contraria ſunt circa idem. Alio modo quaſi indirectè, ſecundùm quamdam extenſionem virtutis cohibentis peccatum: *Quantò enim fuerit virtus major, tantò magis elongat hominem à peccato: ita quod non ſolùm ipſum peccatum, ſed etiam inducentia ad peccatum cohibet.* Cum eodem ergo S. Doctore.

IV. Dico primò. Peccatum, quod principaliter, & directè opponitur virtuti præſtantiori, eſt aliis gravius: & proinde gravitas peccatorum penſatur ex dignitate virtutis, cui directè, & immediatè opponitur Prob. Peccatum, quod opponitur directè virtuti nobiliori, opponitur quoque objecto nobiliori, à quo illa ſpeciem, ac nobilitatem ſumit: ſed ab objecto, à quo virtus accipit ſuam dignitatem, peccatum illi contrarium accipit ſuam gravitatem: unde à Deo, à quo amor Dei accipit dignitatem, & præſtantiam ſuper actus omnium virtutum; odium Dei, quod eſt ei directè contrarium, accipit gravitatem ſuper omnia peccata; ergo &c. Quamobrem concludit S. Doct. *Oportet, quòd maximæ virtuti directè contrarietur maximum peccatum, quaſi maximè ab eodem diſtans in eodem genere.* Ex quo ſequitur, peccata, quæ opponuntur virtutibus, quæ ſunt circa Deum, quales ſunt Theologicæ, religio, & pœnitentia, eſſe omnium graviſſima.

V. Adverte tamen: quòd ut peccatum ex oppoſitione cum virtute præſtantiſſimâ evadat graviſſimum, debet ei opponi directè ſecundùm objectum, & actum ejus primarium; non verò ſolùm quoad objectum, & actum ſecundarium. Quare odium proximi, quia non contrariatur caritati, ut tendit in objectum primarium, nempe, Deum, ſed ut fertur in objectum ſecundarium, nempe, proximum; non eſt peccatum graviſſimum, neque gravius infidelitate, vel deſperatione; quamvis caritas præſtantior ſit fide, & ſpe. Ut enim ait D. Thom. hoc a. 4. ad 3. *Caritas non eſt quicumque amor, ſed amor Dei. Unde non opponitur ei quodcumque odium directè, ſed odium Dei, quod eſt graviſſimum peccatorum.* Et 2. 2. *q.* 39. *a.* 2. ubi docet, quòd ſchiſma, licèt opponatur caritati, eſt minus peccatum, quàm infidelitas; *ad* 3. ait: *Quòd caritas habet duo objecta: unum principale, ſcilicet, bonitatem divinam; & aliud ſecundarium, ſcilicet, bonum proximi. Schiſma autem, & alia peccata, quæ ſunt in proximum, opponuntur caritati quantùm ad ſecundarium bonum, quod eſt minùs, quàm objectum fidei, quod eſt Deus: & ideo iſta peccata ſunt minora, quàm infidelitas. Sed odium Dei, quod opponitur caritati quantùm ad principale objectum, non eſt minus. Tamen inter peccata, quæ ſunt in proximum, peccatum ſchiſmatis videtur eſſe maximum, quia eſt contra ſpirituale bonum multitudinis.*

VI. Adverte ſecundò: quòd peccatum oppoſitum inferiori virtuti, ſi includat etiam oppoſitionem cum ſuperiori virtute, poteſt ſuperare peccatum, quod majori virtuti opponitur. Quapropter adulterium gravius peccatum eſt, quàm furtum: quia licèt caſtitas, cui opponitur adulterium, ſit virtus inferior juſtitiâ, cui opponitur furtum; in adulterio tamen ſimul cum oppoſitione ad caſtitatem clauditur oppoſitio ad juſtitiam.

VII. Adverte tertiò: peccatum veniale quamvis nobiliori virtuti opponatur

natur, non eſſe cenſendum gravius peccato mortali, virtuti minus nobili oppoſito. Quia cum D. Thomas comparat peccata inter ſe, & docet, ea eſſe majora, quæ nobiliori virtuti opponuntur; loquitur, ſuppoſito, quòd eodem modo procedant. Cùm autem peccatum mortale, & veniale diverſo modo procedant: nam mortale ponit inordinationem circa finem; veniale verò ſolùm circa media: quamvis peccatum veniale contrarietur nobiliori virtuti, non ideo erit gravius mortali. Sicut opinio, quamvis ſit de nobiliori objecto, non propterea erit nobilior ſcientiâ; quamvis hæc circa inferius objectum verſetur.

VIII. Dico ſecundò. Gravitas peccatorum non penſatur ex dignitate virtutis, cui indirectè ſolùm, & per quamdam extenſionem opponuntur. Et ratio eſt ex S. Thoma: Nam *quantò aliqua virtus fuerit major, tantò etiam minora peccata cohibet: ſicut etiam ſanitas, quantò fuerit major, tantò etiam minores diſcrepantias excludit.* Unde virtus præſtantiſſima non ſolùm opponitur illi peccato, quod ipſi directè eſt contrarium; ſed etiam, *ex parte effectus*, opponitur aliis minoribus, quæ ad illud diſponunt.

§. III.

An Peccata Carnalia ſint minoris Culpa, quàm Spiritualia?

IX. Peccata ſpiritualia, ut docet D. Thom. præced. *q.* 72. *a.* 2. Ea dicuntur, quæ perficiuntur in delectatione ſpirituali, ut ſuperbia; ea verò, quæ perficiuntur in delectatione carnali, vocantur peccata carnalia: ſicut gula, quæ perficitur in delectatione ciborum, & luxuria, quæ perficitur in delectatione venereorum. Unde & Apoſtolus dicit 2. ad Cor. 7. *Emundemus nos ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus.*

X. Dico cum eodem S. Doct. hâc q. 73. a. 5. *Peccata ſpiritualia ſunt majoris culpa, quàm peccata carnalia;* Addit tamen: *Quòd non eſt ſic intelligendum, quaſi quodlibet peccatum ſpirituale ſit majoris culpa quolibet peccato carnali: ſed quia conſideratâ hac ſolâ differentiâ ſpiritualitatis, & carnalitatis, graviora ſunt, quàm catera peccata, cateris paribus.* Prior pars probatur à S. Doctore primò. Quia peccata ſpiritualia pertinent ad ſpiritum, cujus eſt converti ad Deum, & à Deo averti; ideoque plus habent de averſione, ex qua procedit ratio culpæ: peccata verò carnalia conſummantur in delectatione carnalis appetitus, ad quem principaliter pertinet ad bonum corporale converti; & ideo minus habet de averſione; ergo majoris gravitatis eſt peccatum ſpirituale, quàm carnale. — Secundò. Quia carnalia directè offendunt ſolùm corpus proprium: ſpiritualia verò Deum, & proximum; qui ſecundùm ordinem caritatis magis diligendi ſunt, quàm corpus proprium. — Tertiò. Quia quantò majus eſt impulſivum ad peccandum, tantò minus peccat is, qui impellitur: ſed ad peccata carnalia homo habet majus impulſivum, propter concupiſcentiam, quàm ad ſpiritualia; ergo &c.

XI. Secunda pars probatur. Quia peccatum carnale poteſt tali circumſtantiâ veſtiri, ut in gravitatem ſuperet peccatum ſpirituale. Qua ratione peccatum adulterii gravius eſt furto; quia adulterium eſtò per ſe pertineat ad luxuriam, quæ eſt peccatum carnale, furtum verò ad avaritiam, quæ eſt peccatum ſpirituale; cùm tamen contineat injuſtitiam, & avaritiam, & eò majorem, quò homini carior eſt uxor, quàm res poſſeſſa; ideo gravius eſt adulterium, quàm furtum. Ita D. Tho. hoc *art.* 5. *ad* 1.

XII. Duo tamen obſervanda proponit. Unum ex Gregorio *lib.* 33. *Moral. cap.* 11. Nempe, quòd peccata carnalia, eſtò ſint minoris culpæ, ſunt tamen majoris infamiæ, quàm ſpiritualia: cùm enim ſint circa delectationes

Digitized by Google

nes communes cum brutis, hominem magis deprimunt infra ſuam nobilitatem. Et ratio eſt: quia minus participant de ratione, ſecundùm quam elevatur homo ſupra bruta; ideoque peccata concupiſcibilis ſunt turpiora: peccata verò iraſcibilis, in quibus magis participatur de ratione, ſunt graviora: & propterea de his magis erubeſcit, quàm de aliis. — Alterum: peccata carnalia eſſe magis tenacia, & majoris adhæſionis, quàm ſpiritualia; à quibus difficulter eripi poteſt, qui ſe illis inquinavit. Ita S. Doct. hoc *a.* 5. *ad* 3. & *ad* 2.

§. IV.

An Gravitas Peccati attendatur ſecundùm Cauſam?

XIII. Cauſa peccati (inquit S. Tho. hìc a. 6.) *Poteſt accipi duplex. Una, quæ eſt per ſe, & propria cauſa peccati, quæ eſt ipſa voluntas peccandi: comparatur enim ad actum peccati, ſicut arbor ad fructum ... & hujuſmodi cauſa quantò fuerit major, tantò peccatum erit gravius. Quantò enim voluntas fuerit major ad peccandum, tantò homo graviùs peccat.* Propterea dicit ibi ad 2. *Quòd ſi ſub concupiſcentia includatur etiam ipſe motus voluntatis; ſic, ubi eſt major concupiſcentia, eſt majus peccatum.* Si verò concupiſcentia dicatur paſſio quædam, quæ eſt motus concupiſcibilis præcedens motum rationis: *Sic major concupiſcentia præcedens judicium rationis, & motum voluntatis, diminuit peccatum: quia qui majori concupiſcentia ſtimulatus peccat, cadit ex graviori tentatione; unde minus ei imputatur. Si verò concupiſcentia ſic ſumta ſequatur judicium rationis, & motum voluntatis; ſic, ubi eſt major concupiſcentia, eſt majus peccatum. Inſurgit enim interdum major concupiſcentia motus ex hoc, quòd voluntas effrænatè tendit in ſuum objectum.*

XIV. *Alia verò cauſa peccati* (proſequitur S. Doct. hìc in corp.) *accipiuntur quaſi extrinſecè, & remotè: & in his cauſis eſt diſtinguendum. Quædam enim harum inducunt voluntatem ad peccandum, ſecundùm ipſam naturam voluntatis; ſicut finis, quod eſt proprium objectum voluntatis: & ex tali cauſa augetur peccatum. Graviùs enim peccat, cujus voluntas ex intentione pejoris finis inclinatur ad peccandum. Alia verò cauſa ſunt, quæ inclinant voluntatem ad peccandum, præter naturam, & ordinem ipſius voluntatis; quæ nata eſt moveri liberè ex ſeipſa ſecundùm judicium rationis. Unde cauſa, quæ diminuunt judicium rationis, ſicut ignorantia; vel quæ diminuunt liberum motum voluntatis, ſicut infirmitas, vel violentia, aut metus, aut aliquid hujuſmodi, diminuunt peccatum, ſicut & diminuunt voluntarium: intantùm quòd, ſi actus ſit omninò involuntarius, non habet rationem peccati.* Hæc D. Thomas adeo clarè, ut nihil addere pro explicatione opus ſit.

§. V.

An Circumſtantia aggravet Peccatum?

XV. Dico cum S. Thoma hàc *q.* 73. *art.* 7. Peccatum aggravari per circumſtantiam. Unumquodque enim natum eſt augeri per id, ex quo cauſatur: ſed per circumſtantiam, non ſicut oportuit obſervatam, cauſari poteſt peccatum; ſic enim receditur ab ordine rationis; ergo &c.

XVI. Obſervat tamen: quòd circumſtantia poteſt aggravare peccatum tripliciter: *Uno quidem modo, inquantùm circumſtantia transfert in aliud genus peccati: ſicut peccatum fornicationis conſiſtit in hoc, quòd homo accedit ad non ſuam: ſi autem addatur hæc circumſtantia, ut illa, ad quam accedit, ſit alterius uxor, transfertur in aliud genus peccati, ſcilicet, in injuſtitiam, inquantùm homo uſurpat rem alterius. Et ſecundùm hoc adulterium eſt gravius peccatum, quàm fornicatio.*

XVII. *Aliquando verò circumſtantia non aggravat peccatum, quaſi trahens in aliud genus peccati; ſed ſolùm quia multiplicat rationem peccati: ſicut ſi prodigus det, quando non debet, & cui non debet, multipliciùs peccat eodem genere peccati, quàm ſi ſolùm det, cui non debet; & ex hoc ipſo peccatum ſit gravius: ſicut etiam ægritudo eſt gravior, quæ plures partes corporis inficit ....*

XVIII. *Tertio modo circumſtantia aggravat peccatum ex eo, quòd auget deformitatem provenientem ex alia circumſtantiâ: ſicut accipere alienum conſtituit peccatum furti; ſi autem addatur hæc circumſtantia, ut multum accipiat de alieno, erit peccatum gravius: quamvis accipere multum, vel parum de ſe non dicat rationem boni vel mali.* Plura de circumſtantiis diximus *Tom. præced. de Actuum Humanorum Moralite Q. 3. Dub. 3. §. 2.*

§. VI.

An Gravitas peccati augeatur ſecundùm majus Nocumentum?

XIX Tripliciter (inquit S. Thom. hoc a. 8.) nocumentum ſe habere poteſt ad peccatum: Q*uandoque enim nocumentum, quod provenit ex peccato, eſt prævīſum, & intentum: ſicut cùm aliquis aliquid operatur animo nocendi alteri, ut homicida, vel fur. Et tunc* (dicit S. Doct.) *directè quantitas nocumenti adauget gravitatem peccati.* Et rationem dat: quia tunc nocumentum eſt per ſe objectum voluntatis ejus, qui peccat. Diſtinguitur autem *prævīſum*, & *intentum*: quòd intentum dicitur id, quod homo per ſe, & directè appetit: prævīſum verò generaliter dicitur id, quod quiſquam prævidet; ſive interim directè illud appetat, ſive ſolùm indirectè, & interpretativè: quia ſemper, aut plerumque conjunctum ei, quod directè appetit, licèt ipſum non directè appetat, ſed potiùs optet non evenire. Hinc proſequitur S. Doct.

XX. *Quandoque autem nocumentum eſt prævīſum, ſed non intentum: ſicut cùm aliquis tranſiens per agrum, ut compendioſiùs vadat ad fornicandum, infert nocumentum his, quæ ſunt ſeminata in agro ſcienter, licèt non animo nocendi.* Et de hoc dicit: *Et ſic etiam quantitas nocumenti aggravat peccatum, ſed indirectè.* Et rationem dat: quia ſcilicet, *ex voluntate multum inclinatâ ad peccandum procedit, quòd aliquis non prætermittat facere damnum ſibi, vel alii, quod ſimpliciter non vellet.*

XXI. Neque inferas, hinc ſequi gravius fore peccatum hominis inducentis mulierem ad fornicandum, quàm peccatum homicidii: quia inducens mulierem ad fornicandum, quantùm eſt de ſe, eam privat vitâ gratiæ, quod eſt majus nocumentum, quàm privare hominem vitâ naturali, quod facit homicida. — Nam, ut reſpondet D. Thom. *hac a. 8. ad 3.* hoc non ſequitur propter duo: *Primò quidem, quia homicida intendit directè nocumentum proximi; fornicator autem, qui provocat mulierem, non intendit nocumentum, ſed delectationem. Secundò: quia homicida eſt per ſe, & ſufficiens cauſa corporalis mortis: ſpiritualis autem mortis nullus poteſt eſſe alteri cauſa per ſe, & ſufficiens; quia nullus ſpiritualiter moritur, niſi propria voluntate peccando.* Quemadmodum enim infra q. 75. a. 3. & repetit 2. 2. q. 43. a. 1. ad 3. *Nihil poteſt homini eſſe ſufficiens cauſa peccati, quod eſt ſpiritualis ruina, niſi propria voluntas: & ideo dicta, vel facta, vel concupita alterius hominis poſſunt eſſe ſolùm cauſa imperfecta aliqualiter inducens ad ruinam.* Si tamen quis induceret mulierem ad fornicandum eo animo, ut ei vitam ſpiritualem auferret, pœnæque æternæ obnoxiam redderet; tunc graviùs peccaret, quàm ſi eam corporaliter occideret: quia mors ejus ſpiritualis, quæ eſt pejor, quàm corporalis, eſſet per ſe, & directè volita.

XXII.

XXII. Neque inferas ſecundò, quòd mulier prævidens, ſe turpiter amandam, ſi ornatu culto, & accurato incedat, graviter peccet — Nam ſi Chriſtianæ modeſtiæ limites non prætergrediatur, nec aliquid mali intendat, non peccat: quia talis ornatus honeſtus, & moderatus, nec de ſe cauſat, nec cauſare natus eſt talem ſpiritualem ruinam; ſed ex ſola malitia ejus, qui illam impudicè aſpicit, ortum habet: unde non eſt occaſio data, ſed accepta, propter quam non tenetur jure ſuo ſe privare; ſi tamen nihil mali intendat, & ſequatur Apoſtoli monitum 1. ad Timoth. 2. v. 9. *Mulieres in habitu ornato cum verecundia, & ſobrietate ornantes ſe, & non in tortis crinibus &c.*

XXIII. Tertiò (inquit S. Doct.) nocumentum nec eſt intentum, nec prævifum: *Et tunc, ſi per accidens ſe habeat ad peccatum, non aggravat peccatum directè: ſed propter negligentiam conſiderandi nocumenta, quæ conſequi poſſent; imputantur homini ad pœnam mala, quæ eveniunt præter ejus intentionem, ſi dabat operam rei illicitæ.* Et hoc, ob negligentiam, itaut ad quantitatem negligantiæ creſcat quantitas pœnæ, & culpæ. Quòd ſi omnis abfuerit negligentia, & nocumentum ita per accidens ſequatur ex peccato; ut nec prævifum fuerit, nec intentum, nec etiam prævideri potuerit, vel debuerit: nihil additur malitiæ, propter nocumentum ſecutum, nec imputari poteſt ad culpam, & pœnam in foro interno: quamvis fortè in foro externo, in quo præſumitur negligentia, niſi contrarium probatum fuerit, ei imputari poſſit.

XXIV. *Si verò nocumentum per ſe ſequatur ex actu peccati, licèt non ſit intentum, nec prævifum directè, peccatum aggravat.* Et ratio eſt: *Quia quæcumque per ſe conſequuntur ad peccatum, pertinent quodammodo ad ipſam peccati ſpeciem: puta ſi aliquis publicè fornicetur, ſequitur ſcandalum plurimorum; quod quamvis ipſe non intendat, nec fortè prævideat, directè per hoc aggravatur peccatum.*

XXV. Tandem concludit S. Thomas. Quòd ſi agatur de nocumento pœnali, quod incurrit is, qui peccat, *& tale nocumentum per accidens ſe habeat ad actum peccati, & non ſit prævifum, nec intentum; non aggravat peccatum, neque ſequitur majorem gravitatem peccati: ſicut ſi aliquis currens ad occidendum, impingat, & lædat ſibi pedem.* — Si verò tale nocumentum per ſe conſequatur ad actum peccati, & non ſit prævifum, nec intentum, eſt indicium levioris peccati: ſi verò fuerit prævifum, eſt indicium gravioris peccati. Unde Fidelis ſciens, pœnas Inferni paratas eſſe peccatoribus, gravius peccatum committet voluntariè peccando; & proinde graviùs punietur, quàm Infidelis, qui de iſtis pœnis nihil novit: *Sicut contingit circa Fidelem, qui ex hoc ipſo videtur peccare graviùs, quòd majores pœnas contemnit, ut impleat voluntatem peccati: ſed gravitas iſtius nocumenti ſolùm cauſatur ex gravitate peccati.* Ita S. Thom.

§. VII.

An Magnitudo Perſonæ, in quam Peccatur, & Perſona, quæ peccat, aggravet Peccatum.

XXVI. De hoc agit S. Doct. *a.* 9. & 10. Primum reſolvit, docendo, peccatum aggravari ſecundùm conditionem perſonæ, in quam peccatur: ita ut illud peccatum tantò ſit gravius, quantò major eſt perſona, quæ offenditur Quia Perſona, quæ offenditur, eſt quodammodo objectum peccati: gravitatem autem peccati ex objecto attendi, ſupra oſtenſum eſt.

XXVII. Porro perſona, in quam peccari poteſt, eſt triplex; nimirum Deus, nos ipſi, & proximus. Quidquid enim facimus, propter aliquod horum facimus; quamvis etiam horum trium unum ſub altero ordine-

M 2 tur.

tur. Ratione ergo primi non ſolùm gravius eſt peccatum, quod directè in Deum committitur; ſed etiam tantò gravius eſt peccatum aliud, quantò perſona, in quam peccatur eſt Deo conjunctior: ſive ratione ſanctitatis, ut juſti, ſive ratione conſecrationis, & officii, ut Sacerdotes: *Et ideo injuria tali perſonæ illata magis redundat in Deum*, ſecundùm illud Zachar. 2. *Qui vos tetigerit, tangit pupillam oculi mei.* — Ratione ſecundi: *Tantò aliquis graviùs peccat, quantò aliquis magis in conjunctam perſonam, ſive naturali neceſſitudine, ſeu beneficiis, ſeu quacumque conjunctione peccaverit:* ideoque magis peccat, dum in ſeipſum peccat, deinde dum in perſonam ſibi magis conjunctam: quia ſic videtur magis peccare in ſeipſum, & ordinem caritatis violare. — Ratione autem tertii: *Tantò graviùs peccatur, quantò peccatum plures tangit. Et ideo peccatum, quod fit in perſonam publicam, puta Regem, vel Principem, qui gerit perſonam totius multitudinis, eſt gravius, quàm peccatum, quod committitur contra unam perſonam privatam. Unde ſpecialiter dicitur Exodi 22.* Principi populi tui non maledices. *Et ſimiliter injuria, quæ fit alicui famoſæ perſonæ, videtur eſſe gravior ex hoc, quòd in ſcandalum, & in turbationem multorum redundat.* Hæc D. Tho. hâc q. 73. a. 9.

XXVIII. Advertendum tamen cenſeo primò. Quòd dum S. Doct. dicit: *Quòd Perſona in quam peccatur eſt quodammodo objectum peccati*; non intendit, perſonam eſſe purum terminum, & extrinſecè comparari ad peccatum in eſſe moralis offenſæ: ſed eſſe objectum, ſeu formam intrinſecè in eſſe morali gravificantem offenſam. Unde ex eodem S. Præceptore, ſuo loco, oſtendemus, Deum offenſum per peccatum mortale infinitè gravificare offenſam, quia Deus eſt dignitatis infinitæ.

XXIX. Secundò. Advertendum puto, quòd habenda eſt ratio qualitatis non ſolùm perſonæ, in quam peccatur, ſed etiam peccati, quod committitur. Quædam enim ſunt peccata, quæ, per ſe loquendo, non aggravantur ex conditione perſonæ, in quam committuntur; eo quòd ad ea conditio perſonæ ſit impertinens. Ejuſmodi ſunt furta, quæ ejuſdem gravitatis ſunt, ſive quis furetur nobili, ſive ignobili, ſive Clerico, ſive laico, ſive magno, ſive parvo, niſi fortè per accidens, veluti, ſi ſurripiendo pauperi, majus nocumentum ei inferat; vel, ſurripiendo Principi, magno damno eſſet communitati. Nam in hoc caſu gravius eſſet furari pauperi, quàm diviti, Principi, quam privato. — Sunt etiam quædam conditiones perſonæ, quæ reſpectu aliquorum peccatorum ſunt aggravantes; reſpectu verò aliorum non ſunt. Nam conditio Perſonæ conſanguineæ auget peccatum luxuriæ cum ea, vel in eam commiſſæ; non tamen auget prodigalitatis, quo quis in eam ſua bona prodigit. Similiter paupertas perſonæ aggravat peccatum immiſericordiæ; quæ gravior foret in pauperem, quàm in divitem; non tamen aggravat peccatum irreverentiæ, aut inhonorationis: cùm non majus peccatum ſit, inhonorare pauperem, quàm divitem, cæteris paribus.

XXX. Advertendum cenſeo tertiò cum S. Tho. hoc a. 9. *ad* 2. Quòd licèt *Nocumentum, quod quis ſibi ipſi infert in his, quæ ſubſunt dominio propriæ voluntatis, ſicut in rebus poſſeſſis, habeat minus de peccato, quàm ſi alteri inferatur, quia propriâ voluntate hoc agit*: attamen *In his, quæ non ſubduntur dominio voluntatis, ſicut ſunt naturalia, & ſpiritualia bona, eſt gravius peccatum, nocumentum ſibi inferre; graviùs enim peccat, qui occidit ſeipſum, quàm qui occidit alterum.* Nullo autem fine, etiam bono, licitum eſſe occidere ſeipſum, oſtendimus *Tom. praeced. Quæſt.* 3. *de Act. buman. moralit. Dub.* 7. § 3.

XXXI. Secundum reſolvit S. Doct.

Digitized by Google

n. 10. dicendo : *Quod duplex eſt peccatum. Quoddam eſt ex ſubreptione proveniens propter infirmitatem humanæ naturæ : & tale peccatum minus imputatur ei, qui eſt major in virtute. Eò quòd minùs negligit hujuſmodi peccata reprimere ; quæ tamen omnino ſubterfugere infirmitas humana non ſinit.*

XXXII. *Alia* verò *peccata ſunt ex deliberatione procedentia. Et iſta peccata tantò magis alicui imputantur, quantò major eſt. Et hoc poteſt eſſe propter quatuor. Primò quidem. Quia faciliùs poſſunt reſiſtere peccato majores, puta qui excedunt in ſcientia, & virtute. Unde Dominus dicit Lucæ* 12. quòd ſervus ſciens voluntatem Domini ſui, & non faciens, plagis vapulabit multis. *Secundò. Propter ingratitudinem : quia omne bonum, quo aliquis magnificatur, eſt Dei beneficium, cui homo fit ingratus peccando. Et quantùm ad hoc qualibet majoritas, etiam in temporalibus bonis, peccatum aggravat ſecundùm illud Sap.* 6. Potentes potenter tormenta patientur. *Tertiò. Propter ſpecialem repugnantiam actus peccati ad magnitudinem perſonæ : ſicut ſi Princeps juſtitiam violet, qui ponitur juſtitiæ cuſtos : & ſi Sacerdos fornicetur, qui caſtitatem vovit. Quartò. Propter exemplum, ſive ſcandalum. Quia ut Gregorius dicit in Paſtorali (part.* 1. *c.* 2.) In exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia gradus peccator honoratur : *Ad plurium etiam notitiam perveniunt peccata Magnorum, & magis homines ea indignè ferunt.* Hæc D. Thomas. Ex quibus, ſicut & ex antedictis, regulæ pro dignoſcenda peccatorum gravitate confici poterunt.

* * ✠ * *

QUÆSTIO V.

De Subjecto Peccatorum.

ESſentiam, diſtinctionem, & comparationem peccatorum ad invicem, eorumque inæqualitatem in gravitate, & malitiâ examinavimus. Nunc cum D. Thom. hâc 1. 2. *qu.* 74. de eorumdem ſubjecto quæſtionem inſtituemus : in quibus, nempe, potentiis intrinſecè reſideant, eas inficiendo.

DUBIUM I.

An non ſolùm in Voluntate, ſed etiam in aliis Potentiis, à Voluntate motis, ſit formaliter, & intrinſecè Peccatum?

§. I.

Præmittuntur Certa.

I. CErtum primò eſt ex D. Tho. hoc *art.* 1. voluntatem eſſe ſubjectum peccati. Nam peccatum per actum immanentem perficitur, nempe, per appetere, & cognoſcere : ſed actus immanentes, ut diſtincti ab actibus tranſeuntibus in externam materiam, habent hoc, quòd maneant, ut in ſubjecto, in eo, à quo producuntur ; ergo cùm præcipuum actuum peccatorum, ſicut & virtutum, principium ſit voluntas ; ſequitur, quòd voluntas etiam ſit præcipuum peccatorum ſubjectum. Addo quòd cùm proprium ſit actuum moralium, quòd ſint voluntarii, & voluntas ſit principium actuum voluntariorum, ſive bonorum, ſive malorum, ſequitur, quòd etiam ſit eorumdem ſubjectum. Quod in dubium vertitur eſt : an ſic ſola voluntas ſit proprium, & intrinſecum omnium peccatorum ſubjectum ; ut nullum peccatum in aliis potentiis, etiam ut ab ea motis, intrinſecè ſubjectari queat.

Digitized by Google

II. Porro cùm potentiæ, quæ à voluntate moveri poſſint, & quarum actus ab ea imperari contingit, ſint in duplici genere: aliæ enim ſunt externæ, quæ ſunt principia actuum externorum, ut membra corporis, in quibus eſt vis motiva; ut in manu ad percutiendum, in pede ad ambulandum: aliæ verò internæ, quales ſunt omnes ſenſus interni, ſive cognoſcitivi, ſive appetitivi.

III. Certum ſecundò eſt ex eodem S. Tho. hìc *a.* 2. *ad* 3. potentias, ſeu membra exteriora, non poſſe eſſe ſubjectum intrinſecum peccati. Nam *membra corporis non ſunt principia actuum, ſed ſolùm organa: unde, & comparantur ad animam moventem, ſicut ſervus, qui agitur, & non agit. Potentia autem appetitiva interiores comparantur ad rationem quaſi libera; quia agunt quodammodo, & aguntur .... Et preterea actus exteriorum membrorum ſunt actiones in externam materiam tranſeuntes; ſicut patet de percuſſione in peccato homicidii. Et propterea non eſt ſimilis ratio.* Quapropter, ut aliquid ſit ſubjectum peccati, non ſufficit, ut moveatur, vel imperetur à voluntate, & ſit aliquo modo voluntarium: ſed ulteriùs requiritur, quòd non moveatur per modum puri organi, ſeu inſtrumenti, ſed quòd ſic moveatur, & agatur, ut etiam agat, & moveat.

IV. Ne tamen putes, intentionem D. Tho. eſſe, quòd actus exteriores non ſint peccata (hoc enim eſt contra omnem ſenſum, & contra ipſiuſmet S. Doctoris mentem hâc *q. a.* 8. *ad* 1. expreſſam, & nos ſuperiùs Q. 3. *de Act. human. Moral. Dub.* 8. actus externos bonitatis, & malitiæ capaces eſſe, oſtendimus) ſed ſolùm velle, quòd actus externi, licèt ſint peccata, peccatum tamen illis non tribuitur, nec ut principiis, quæ poſſint ex ſe moveri, nec ut ſubjectis, quibus inhæreat peccatum; ſed ut puris organis, & inſtrumentis. Quia, ut ait q. 7. de Malo a. 6. *Nunquam contingit, quòd membrum exterius operetur, niſi motum, vel à ratione, vel ſaltem ab imaginatione, vel ſenſu, & appetitu ſenſitivo: unde peccatum nunquam dicitur eſſe in membris exterioribus, puta manu, vel pede. Sed ſenſualitas quandoque movetur abſque imperio rationis, & voluntatis: & tunc peccatum dicitur eſſe in ſenſualitate.* Et hoc agimus in præſenti Dubio: an ſola voluntas ſit intrinſecum, & immediatum ſubjectum omnium peccatorum: an verò aliqua ſint, tamquam in ſubjecto, in ſenſualitate.

§. I.

Reſolutiones Dubii.

V. Dico primò. Voluntas eſt quidem prima radix, & primum movens omnium peccatorum; non tamen eſt omnium immediatum ſubjectum. Prior pars certa eſt. Tùm quia S. Auguſt. *l. de Duabus animabus c.* 10. ait: *Nonniſi voluntate peccatur.* Quod exponens S. Thomas hìc a. 2. ad. 1. *Non peccatur* (inquit) *niſi voluntate, ſicut primo movente.* Et ratio eſt: quia nullus actus eſt peccaminoſus, etiamſi alterius potentiæ actus ſit, niſi ſit voluntarius, & à voluntate ſaltem imperatus; ergo &c.

VI. Secunda verò pars probatur ab eodem hoc *a.* 2. Tùm in arg. *Sed contra*, ubi ait: *Peccatum virtuti contrariatur, contraria autem ſunt circa idem; ſed aliæ etiam vires animæ, præter voluntatem, ſunt ſubjecta virtutum, ut ſupra dictum eſt; ergo non ſola voluntas eſt ſubjectum peccati* (videantur quæ diximus *Tract. de Virt.* Q. 1. *Dub.* 3. ubi virtutes aliquas in appetitu ſenſitivo collocavimus) Tùm in corpore art. hoc idem probat hoc diſcurſu: *Omne, quod eſt principium voluntarii actus, eſt ſubjectum peccati: ſed actus voluntarii dicuntur non ſolùm illi, qui eliciuntur à voluntate, ſed etiam illi, qui à voluntate imperantur,* ut

ut ſupra dictum eſt ; ergo non ſola voluntas poteſt eſſe ſubjectum peccati, ſed omnes illæ potentiæ, quæ poſſunt moveri ad ſuos actus, vel ab eis reprimi per voluntatem : & eædem etiam potentiæ ſunt ſubjecta habituum moralium bonorum, vel malorum, quia ejuſdem eſt actus, & habitus. Quibus S. Doctor probat, in aliis potentiis, præter voluntatem, eſſe poſſe non ſolùm actus, ſed & habitus malos.

Hoc idem affirmat Q. 15. *de Verit. a.* 3. *ad* 3. dicens : Omne *peccatum dicitur eſſe in voluntate, non ſicut in ſubjecto, ſed ſicut in cauſa : quia ad peccatum requiritur, quòd ſit voluntarium.* Idem docet in 2. *diſt.* 24. *q.* 3. *a.* 2. *ad* 2. Et 2. 2. *q.* 10. *a.* 2. ubi ait : *Infidelitas, ſicut & fides, eſt quidem in intellectu, ſicut in proximo ſubjecto ; in voluntate autem, ſicut in proximo motivo. Et hoc modo dicitur, omne peccatum eſſe in voluntate.* Quod magis explicans in 2. *diſt.* 41. *q.* 2. *a.* 2. ait : *Aliquid eſſe in voluntate, poteſt intelligi dupliciter. Vel ita, quòd ſit in ea, ſicut in cauſa : & ſic ..... patet omne peccatum in voluntate eſſe, inquantùm omne peccatum, & voluntarium eſt. Vel ita, quòd ſit in ea, ſicut in ſubjecto : & tunc diſtinguendum eſt ; quia ſubjectum peccati poteſt accipi, vel proximum, vel primum. Proximum ſubjectum peccati eſt illa potentia, quæ actum peccati elicit : & ſic in diverſis potentiis contingit eſſe peccatum, & non ſolùm in voluntate. Primum autem ſubjectum peccati eſt, ex quo ineſt homini peccati ſuſceptibilitas : & quia homo non eſt ſuſceptibilis culpæ, niſi ſecundùm quòd eſt dominus ſuorum actuum ; & hoc ſibi competit, ſecundùm quòd eſt voluntatem habens ; ideo primum ſubjectum peccati voluntas eſt.* Quæ benè notanda ſunt. Etenim mire exponunt, S. Doctoris mentem non eſſe ſolum, quòd actus quidem peccati eſſe poſſit in aliis potentiis, peccatum tamen in ſola voluntate reſideat ; ut Scotiſtæ autumant : ſed quòd tàm actus peccati, quam peccatum ipſum in aliis potentiis à voluntate, ut in ſubjecto proximo, eſſe poſſit.

VII. Dico ſecundò. In ſenſualitate, maximè in appetitu ſenſitivo hominis, poteſt eſſe peccatum, ut in ſubjecto proximo. Ita S. Tho. hîc *q.* 74. *a.* 3. & ſequitur ex præcedente. Si enim non omne peccatum eſt in voluntate, ut in ſubjecto proximo, ſed aliqua ſunt in potentiis, ut à voluntate motis ; maximè erit in appetitu ſenſitivo : hic enim à voluntate agitur, & ſimul ſe agit ; ideoque aliquam ſpeciem libertatis participat. Sicut ergo habitus moderativi paſſionum appetitus ſenſitivi, ut virtutes temperantiæ, fortitudinis, aliæque ſimiles, earumque actus in appetitu ſenſitivo proximè ſubjectantur, ut ſupra oſtendimus : ita vitia intemperantiæ, puſillanimitatis &c. illis oppoſita, eorumque actus, in appetitu ſenſitivo, ut in proximo ſubjecto, ſtatui debebunt ; cùm contraria ſint circa idem. Probat autem S. Tho. ſic : *Peccatum poteſt inveniri in qualibet potentiâ, cujus actus poteſt eſſe voluntarius, & inordinatus, in quo conſiſtit ratio peccati : atqui actus ſenſualitatis poteſt eſſe voluntarius, inquantùm ſenſualitas (ideſt appetitus ſenſitivus) nata eſt à voluntate moveri*, & inordinatus, inquantùm poteſt ei non obedire ; ergo relinquitur, quòd in ſenſualitate poſſit eſſe peccatum.

VIII. Dico tertiò. In ſenſualitate non poteſt eſſe peccatum mortale, quatenus eſt actus in ſenſualitate ſiſtens. Ita S. Tho. hîc *q.* 74. *a.* 4. Et rationem dat : quia in ea ſolâ potentiâ poteſt eſſe peccatum mortale, quæ poteſt cauſare deordinationem ab ultimo fine : quia peccatum mortale involvit deordinationem corrumpentem principium ſpiritualis vitæ quod (ut jam diximus) eſt ultimus finis ; ſicut principium corporalis vitæ eſt anima : ſed cauſare deordinationem ab ultimo fine non eſt proprium ſenſualitatis, ſed rationis, cujus ſolius eſt ordinare in ultimum finem ; ergo &c.

Dixi

Digitized by Google

Dixi tamen ſiſtendo in ſenſualitate: ideſt, cum motus ſenſualitatis ita ſuboriuntur; ut licèt nonnulla rationis, non ſatis benè advigilantis, adſit negligentia, eos tamen ratio nec plenè advertit, nec plenè advertere potuit. Quòd ſi eos plenè advertit, vel advertere potuit, & non comprimit; imò in eis oblectatur, aut voluntariâ complacentiâ eas progredi ſinit; tunc peccatum mortale erit, non tamen in vi appetitivâ ſenſitivâ, ſed in ratione, & voluntate. Unde D. Tho. hic ad 1. *Actus* (inquit) *ſenſualitatis poteſt concurrere ad peccatum mortale: ſed tamen actus peccati mortalis non habet, quòd ſit peccatum mortale ex eo, quòd eſt ſenſualitatis; ſed ex eo, quòd eſt rationis, cujus eſt ordinare in finem. Et ideo peccatum mortale non attribuitur ſenſualitati, ſed rationi.*

IX. Dico quartò. Peccatum poteſt eſſe in ratione, ſeu intellectu. Ita S. Doct. hìc *art.* 5. Qui tamen obſervat, rationem habere duo officia. Unum ſecundùm ſe, & in comparatione ad proprium objectum; & hoc eſt cognoſcere aliquod verum: alterum in comparatione ad alias potentias, quarum actus debet dirigere. Ex parte autem utriuſque officii contingit, eſſe peccatum in ratione. Ex parte quidem primi: *Inquantùm errat in cognitione veri: quod quidem tunc imputatur ei ad peccatum, quando habet ignorantiam, vel errorem circa id, quod poteſt, ac debet ſcire.* Ex parte verò ſecundi: *Quando inordinatos actus inferiorum virium, vel imperat, vel etiam poſt deliberationem non coercet,* ſicut poteſt, ac debet.

X. Hinc noto: quòd eſtò ignorantia, quæ eſt defectus rationis, & cognitionis, ſicut & error, quando eſt involuntarius, nempe, ejus, quod quiſpiam ſcire non potuit, non imputetur, nec ſit peccatum; defectus tamen rationis voluntarius, nempe, ejus, quod quis poteſt, ac debet ſcire, non omnino excuſat, ſed eſt peccatum: ſicut eſſet ignorantia, aut error circa exiſtentiam Dei, de quibus ſupra. Et D. Thom. hoc a. 5. ad 1. *Et hoc* (inquit) *quando eſt defectus cognitionis ejus, quod quis non poteſt ſcire. Tunc enim talis defectus rationis non eſt peccatum, ſed excuſat à peccato: ſicut patet in his, quæ per furioſos, committuntur. Si verò ſit defectus rationis circa id, quod homo poteſt, ac debet ſcire; non omnino homo excuſatur à peccato, ſed ipſe defectus imputatur ei ad peccatum. Defectus autem, qui eſt ſolùm in dirigendo alias vires, ſemper imputatur ei ad peccatum; quia huic defectui occurrere poteſt per proprium actum.*

XI. Noto etiam: rationem eſſe quidem capacem peccati, ſed non ſinè ordine ad voluntatem. Et hoc quia, ut ſæpe dictum eſt, nullum eſt peccatum, niſi voluntarium, & rurſus, niſi liberum. Unde oportet, quòd actus, ut capax peccati ſit, ordinem dicat ad eam potentiam, quæ ex ſe voluntaria, ac libera, aliis voluntarietatem, & libertatem participat: & hæc eſt voluntas. Quapropter infidelitas, hæreſis, judicium temerarium, ſuſpicio non fundata, imprudentia, quæ rationis defectus, & in ratione ſunt; ut ſint peccata, debent ordinem dicere ad voluntatem. — Eſtò autem ratio præcedat voluntatem; non tamen omnis actus rationis præcedit omnem actum voluntatis ut videri poteſt hâc 1. 2. *q.* 9. *a* 1. *Qu.* 19. *a.* 3. & alibi.

Similiter: eſtò omne peccatum pertineat quodammodo ad rationem, inquantùm omnis actus liber pendet à judicio rationis; non tamen omne peccatum ſubjectatur in ratione: ſolùm ergo illud peccatum in ratione ſubjectatur, quod eſt defectus voluntarius rationis. Quamvis autem omne peccatum ex aliquo defectu rationis proveniat; non tamen eſt ſemper ipſe defectus rationis, ſed aliquando alicujus alterius potentiæ. Nam odium, deſperatio, adulterium, & alia hujuſmodi important quidem, vel præſupponunt aliquem defectum in ratione; non ſunt tamen ipſe defectus rationis,

ſed

Digitized by Google

ſed voluntatis; ideoque rationem non habent pro ſubjecto.

§. III.

Oppoſitiones contra Dicta.

XII. Contra primam aſſertionem opponitur primò. Omne peccatum pro formali malitiæ eſt in voluntate; ergo non poteſt eſſe in appetitu ſenſitivo: aliàs idem numero accidens eſſet intrinſecè in duobus ſubjectis.

XIII. Reſpondeo ex dictis, diſt. ant. Eſt in voluntate, ut in ſubjecto primo, & ut in radice, co. ant. Ut in ſubjecto proximo, & immediato, nego ant. & eodem modo diſt. conſequ. Malitia ergo, quæ principaliter, & primò eſt in voluntate, ut in radice, participativè, & minùs principaliter eſt in appetitu ſenſitivo, & etiam in intellectu, ut in ſubjecto proximo, & immediato. Unde S. Thom. Q. 2. *de Malo a. 2. ad 2.* ait: *Peccatum dicitur eſſe voluntas; non quòd tota eſſentia peccati ſit in actu voluntatis: ſed quia totum peccatum conſiſtit in voluntate, ſicut in radice.*

Neque novum debet videri, quòd idem numero accidens, præſertim morale, ſit in duplici ſubjecto inadæquato; uno mediato, & primo; altero immediato, & proximo: cum idem numero numerus ternarius ſit in tribus hominibus; & una numero figura domus in lapidibus, lignis &c. ſit tamquam in ſubjectis partialibus.

Dici etiam poteſt, omne peccatum eſſe in voluntate formaliter; non quòd in ea ſola ſit deformitas actus, quæ nil aliud eſt, quàm diſcordantia à debita regulâ rationis, vel legis Dei: ſed quia, quòd deformitas, quæ eſt in actu appetitus ſenſitivi, imputetur homini ad culpam, eſt à voluntate. Ita D. Thom. Q. 2. *de Malo a. 2. in fine corp.*

XIV. Sed inquies: ergo quòd actus diſcordans à ratione imputetur homini ad culpam, eſt à voluntate; quia ab ea habet, ut ſit voluntaria, & proinde culpabilis: ſed in hoc formaliter conſiſtit malitia peccati; ergo hæc in ſola voluntate reſidet.

XV. Confirm. Diſcordantia actus à debita rationis regulâ non ſolùm eſt in appetitu ſenſitivo, & in intellectu, ſed etiam in actu potentiæ exterioris; ſed non proinde dicimus, peccatum intrinſecè ſubjectari in actu externo; quia diſcordantia actus potentiæ exterioris non imputatur ad culpam, niſi ratione voluntatis. Homicidium enim in ſomno patratum eſt actus diſcordans à debita regulâ; & tamen quia non eſt à voluntate, non imputatur ad culpam, nec moraliter peccatum eſt; ergo ſimiliter cùm actus appetitus ſenſitivi, eſtò à debita regulâ diſcordent, non imputentur ad culpam, niſi à voluntate ſint. Unde motus primò primi, quia omnem voluntatem præveniunt, diſcordes quidem ſunt à debita regulâ, non tamen peccata ſunt.

XVI. Urgetur magis. Quæ ſola attributione, & analogiâ unius ad alterum dicuntur talia, non denominantur talia intrinſecè; ſed ſolùm extrinſecè à forma, quæ eſt in principali analogato: ut patet in urina, & medicinâ, quæ dicuntur ſana, non ſanitate ſibi inhærente, ſed à ſanitate animalis, quam ſignificant, vel cauſant: ſed ex D. Thom. 1. 2. *q.* 20. *a.* 3. *ad* 3. actus exterior denominatur bonus, aut malus per attributionem ad interiorem, ſicut medicina, & urina denominantur ſana à ſanitate animalis; ergo actus exterior denominatur bonus, vel malus ſolùm extrinſecè à bonitate, vel malitiâ actus voluntatis.

XVII. Ad Replicam, diſt. conſ. Ut à cauſa purè formali extrinſecè denominante, nego conſ. Ut à cauſa veluti effectivâ, dante appetitui ſenſitivo peccati ſuſceptibilitatem, co. conſ. Ita D. Thom. in 2. *diſt.* 41. *q.* 2. *a.* 2. Dum enim appetitus ſenſitivus ex voluntate participat aliquale dominium

ſupra ſuum actum, ſit ſuſceptibilis peccati. Nam ut docet S. Thom. in 2. diſt. 24. q. 3. a. 2. *Deformitas cujuſlibet actus illi potentia attribuitur, ut ſubjecto, quæ actus principium eſt. Et ideo cùm ſenſualitas ſit principium horum actuum, convenienter in ea peccatum eſſe dicitur, ut in ſubjecto.*

XVIII Ad Confirm. jam ſuperiùs inter actus potentiarum externarum, & appetitus diſcrimen dedimus: quia actus membrorum externorum ſunt incapaces libertatis, & dominii: membra enim exteriora, cum ſe habeant ut pura organa, ita à voluntate aguntur, ut non ſe agant; nec ei reſiſtere, aut eam incitare poſſint. Actus autem ſenſitivi appetitus, dum ad rationem comparantur, quemdam modum imperfectæ libertatis induunt; & ita aguntur, ut etiam agant: & ideo illi non ſunt ſubjectum intrinſecè ſuſceptivum culpæ, benè tamen iſti, ſaltem venialis.

XIX. Ad id, quod urgetur, nego abſolutè min. Neque D. Thomas contrarius eſt. Nam nomine *actus exterioris* intelligit ibi, non quemcumque actum, qui non ſit voluntatis; ſed ſolum actus membrorum externorum: qui quidem dicuntur mali, non malitiâ ipſis inhærente, ſed malitiâ actus voluntatis eos extrinſecè denominante; ſicut urina, & medicina dicitur ſana à ſanitate animalis. Cæterum quoad actus appetitus ſenſitivi, eos eſſe ſubjectum intrinſecè ſuſceptivum malitiæ, ex participatione tamen voluntatis, conſtanter docet citatis locis, & in 2. *diſt.* 24. *q.* 3. *a.* 2. & Q. 25. *de Verit. a.* 5. Unde ratio boni, vel mali moralis reſpectu actuum voluntatis, & appetitus ſenſitivi analogantur potiùs analogiâ proportionalitatis; quâ ratio analoga intrinſeca eſt cuique analogato, ſicut ratio entis ſubſtantiæ, & accidenti; quamvis accidens dicatur ens per ordinem ad ſubſtantiam. Quare S. Thom. Q. 25. de Verit. a. 5. citato ad 11. *Membra* (inquit) *exteriora ſunt tantùm mota; vires autem appetitivæ inferiores ſunt moventes, ad ſimilitudinem voluntatis: unde inquantùm participant aliqualiter voluntatem, poſſunt eſſe ſubjectum peccati.*

XX. Opponitur ſecundò contra eamdem. Veritas, ſicut & falſitas, formaliter in ſolo intellectu reſidet, ergo à paritate rationis bonitas, & malitia moralis in ſola voluntate ſubjectatur.

XXI. Reſp. diſt. ant. In ſolo intellectu, primò, & per ſe, conc. ant. In ſolo intellectu excluſivè, nego ant. & conſequ. Imò ſicut veritas, & falſitas primò quidem, & per ſe ſunt in ſolo intellectu; participativè formaliter ſunt etiam in cogitativa, quatenus hæc conficit propoſitiones, & diſcurſus circa ſingularia; in vocibus autem, & rebus ſolùm extrinſecè, & denominativè à veritate, vel falſitate exiſtente in mente: ita bonitas, & malitia primò quidem, & per ſe eſt in actu voluntatis; participativè tamen intrinſecè in actu appetitus ſenſitivi; denominativè autem extrinſecè in membris exterioribus. De hoc videatur D. Thom. Q. 1. *de Verit. a.* 9. & 11. ubi docet, quomodo veritas, & falſitas ſit in ſenſu.

XXII. Opponitur primò contra ſecundum aſſertum. Senſualitas nobis, & pecoribus communis eſt: ſed in pecoribus peccatum non eſt, cùm in ſuis actibus nec laudis, nec vituperii capacia ſint; ergo &c.

XXIII. Reſpondeo cum D. Thom. in 2. diſt. 24. q. 3. a. 2. ad 1. & 1. 2. q. 74. a. 3. ad 1. *Quòd aliquæ vires ſenſitivæ partis, etſi ſint communes nobis, & brutis; tamen in nobis habent aliquam excellentiam, ex hoc, quòd rationi junguntur: ſicut nos præ aliis animalibus habemus in parte ſenſitivâ cogitativam, & reminiſcentiam.... & per hunc modum etiam appetitus ſenſitivus in nobis præ aliis animalibus habet quamdam excellentiam, ſcilicet, quòd natus eſt obedire rationi. Et quantùm ad hoc poteſt eſſe principium actus voluntarii, & per conſequens ſubjectum peccati.*

XXIV.

XXIV. Opponitur ſecundò, & replicatur contra idem. Quòd appetitus in homine natus ſit regi à ratione, ſequitur, quòd peccatum potiùs ſit in ratione, quàm in ſenſu: ſi enim cæcus, qui à vidente regitur, ac ducitur, in foveam cadat, non eſt peccatum cæci, ſed videntis; ergo cùm appetitus ſit quaſi cæcus circa divina, ſi cadat in aliquid illicitum, non erit peccatum ejus, ſed rationis, quæ debet eum regere.

XXV. Reſpondet D. Thom. Q. 25. *de Verit. a.* 5. *ad* 11. conc. conſ. Nam *Peccatum dicitur eſſe in ſenſualitate; non quia ei imputetur, ſed quia per ejus actum committitur. Imputatur autem homini, inquantùm actus ille in ejus poteſtate conſiſtit.* Nec oportet, ut peccatum imputetur potentiæ, ſeu ſubjecto, in quo eſt, ſed homini, qui propria voluntate illud committit. Unde D. Thom. citato loco ad 9. *Omne*, (inquit) *peccatum imputatur homini, inquantùm habet voluntatem. Et tamen peccatum dicitur eſſe aliquo modo in illa potentiâ, cujus actum contingit eſſe deformem.*

XXVI. Sed dices: *Nullus peccat in eo, quod vitare non poteſt*, ut Auguſt. dicit: *l.* 3. *de Lib. arb. c.* 18. ſed homo non poteſt vitare, quin actus ſenſualitatis ſit inordinatus: eſt enim *Senſualitas perpetua corruptionis, quamdiu in hac mortali vita vivimus: unde per ſerpentem ſignificatur*, ut Auguſt. dicit 12. *de Trinit. c.* 12. ergo motus ſenſualitatis nec poteſt homini imputari.

XXVII. Reſpondeo cum D. Thom. hâc q. 74. a. 3. ad 2. *Quòd perpetua corruptio ſenſualitatis eſt intelligenda quantùm ad fomitem, qui numquam totaliter tollitur in hac vitâ. Tranſit enim peccatum originale reatu, & remanet actu. Sed talis corruptio fomitis non impedit, quin homo rationabili voluntate poſſit reprimere ſingulos motus inordinatos ſenſualitatis, ſi præſentiat; puta, divertendo cogitationem ad alia. Sed dum homo cogitationem ad aliud divertit, poteſt etiam circa illud aliquis inordinatus motus inſurgere: ſicut cùm aliquis transfert cogitationem ſuam à delectationibus carnis, volens concupiſcentiæ motus vitare, ad ſpeculationem ſcientiæ; inſurgit quandoque aliquis motus inanis gloriæ impræmeditatus. Et ideo non poteſt homo vitare omnes hujuſmodi motus, propter corruptionem prædictam. Sed hoc ſolum ſufficit ad rationem peccati voluntarii, quòd poſſit vitare ſingulos.* Ex qua doctrinâ diſtinguenda eſt minor argumenti propoſiti. Non poteſt vitare omnes, co. min. Singulos, nego min. Eſtò enim in totam illam collectionem motuum inordinatorum, ratione corruptionis, homo non poſſit, faciendo, ne ullus inſurgat; poteſt tamen inſurgentes ſingulos reprimere, faciendo, ne ſibi ſint voluntarii, & peccatum.

XXVIII. Opponitur tertiò contra idem. Peccatum poſt mortem etiam in anima manet: ſed ſenſualitas non manet, quia ſolus intellectus manet ſeparatus; ergo ſenſualitas non eſt ſubjectum peccati, quia non manente ſubjecto non manet accidens.

XXIX. Reſpondeo cum D. Tho. in 2. diſt. 24. qu. 3. art. 2. ad 6. *Quòd quamvis potentiæ ſenſitivæ, ſecundùm quorumdam opinionem, per ſuam eſſentiam non maneant poſt mortem; manent tamen in ſua radice, ſcilicet, in eſſentia animæ, à qua potentiæ fluunt: & ſic manet peccatum ſenſualitatis in anima, ſecundùm quod peccatum unius potentiæ in totum redit.* Et Qu. 25. *de Verit. a.* 5. *ad* 2. ait: *Quòd peccatorum nota remanent in conſcientia, quâcumque vi fuerint commiſſa.*

XXX. Opponitur contra tertium aſſertum primò. Veniale peccatum eſt diſpoſitio ad mortale: ſed diſpoſitio, & habitus ſunt in eodem; ergo ſi veniale peccatum eſt in ſenſualitate, in ea quoque eſſe poterit peccatum mortale.

XXXI. Reſpondeo, neg. abſolutè min. Ut enim docet S. Tho. hâc qu. 74. a. 4. ad 3. *Diſpoſitio tripliciter ſe*

habet ad id, ad quod diſponit. Quandoque enim eſt idem, & in eodem: ſicut ſcientia inchoata dicitur eſſe diſpoſitio ad ſcientiam perfectam. Quandoque autem eſt in eodem, ſed non idem: ſicut calor eſt diſpoſitio ad formam ignis. Quandoque verò nec idem, nec in eodem; ſicut in his, quæ habent ordinem ad invicem, ut ex uno perveniatur in aliud: ſicut bonitas imaginationis eſt diſpoſitio ad ſcientiam, quæ eſt in intellectu. Et hoc modo veniale peccatum, quod eſt in ſenſualitate, poteſt eſſe diſpoſitio ad peccatum mortale, quod eſt in ratione.

Aliter reſpondet idem S. Doct. Qu. 25. de Verit. a. 5. ad 12. *Quòd duplex eſt diſpoſitio. Una, quâ patiens diſponitur ad recipiendum formam; & talis diſpoſitio eſt in eodem cum forma. Alia diſpoſitio eſt, quâ agens diſponitur ad agendum; & de hac non eſt verum, quòd ſit in eodem cum forma, ad quam diſponit. Hujuſmodi autem diſpoſitio eſt veniale, quod in ſenſualitate eſt, ad peccatum mortale, quod eſt in ratione. Nam ſenſualitas eſt ut agens in peccato mortali, inquantùm inclinat rationem ad peccandum.* Utraque reſponſio optima eſt.

XXXII. Opponitur ſecundò contra idem. Id, quod eſt materiale in peccato mortali, poteſt eſſe in ſenſualitate; nec tamen in ea peccatum mortale dicimus eſſe, quia quod eſt formale in peccato mortali, in ea non eſt: ſed quod eſt formale in peccato veniali, ſcilicet, privatio ordinis debiti, in ſenſualitate non eſt, cujus non eſt ordinare; ergo in ea peccatum veniale non eſt: vel ſi eſt, erit etiam in ea peccatum mortale.

XXXIII. Reſpondeo, neg. min. Eſtò enim privatio debiti ordinis, ſeu deordinatio à fine, quæ eſt formale in peccato mortali, non ſit in ſenſualitate; privatio tamen debiti ordinis, ſeu deordinatio circa media, quæ eſt formale in peccato veniali, poteſt eſſe in ſenſualitate. Obſervandum tamen cenſeo ex D. Tho. Q. 25. de Verit. ſæpè citatâ a. 5. ad 10. *Quòd materiale in peccato mortali poteſt accipi tripliciter. Uno modo, ſicut objectum eſt materia actus, & ſic materia mortalis peccati quandoque eſt in ſenſualitate: ut cum aliquis conſentit in delectatione ſenſualitatis. Alio modo, ſicut actus exterior eſt materialis reſpectu interioris actus, qui eſt formale in peccato mortali; cùm actus interior, & exterior ſint unum peccatum: & per hunc modum actus ſenſualitatis poteſt ſe habere materialiter in peccato mortali. Tertiò modo, materiale in peccato mortali eſt converſio ad bonum commutabile, ſicut ad finem; formale verò averſio à bono incommutabili: & ſic id, quod eſt materiale in peccato mortali non poteſt eſſe in ſenſualitate. Nec ſequitur: ſi peccatum mortale non poteſt ibi eſſe, quòd non ſit ibi veniale.*

XXXIV. Opponitur contra quartum aſſertum. Actio eodem modo dicitur mala, quo libera: ſed actus intellectus ſolùm extrinſeca denominatione ab actu voluntatis dicuntur liberi; ergo ſolùm hoc modo dicuntur mali.

XXXV. Reſpondeo primò, neg maj. Aliquid enim poteſt eſſe directè peccatum, quod indirectè tantùm voluntarium, & liberum eſt. Et Peccatum originale eſt cuique intrinſecum, & proprium, quamvis ſolùm ſit (ut multi putant) voluntarium ſolùm extrinſecè, voluntate nimirùm Adami.

Reſp. ſecundò, neg. min. Nam in actu practico intellectus, puta, imperii adeſt intrinſecè libertas ex motione voluntatis participata.

DU-

DUBIUM II.

An in Senſualitate poſſit eſſe Peccatum ſinè ulla dependentia à Voluntate: ſeu an omnes Motus Senſualitatis etiam primò Primi, qui prorſus involuntariè exurgunt contra Rationem, ſint Peccata?

§. I.

Error Proteſtantium.

I. Peccata eſſe ſentiunt, poſt Lutherum, omnes Sectarii. Calvinus l. 3. Inſt. c. 3. §. 12. *Omnes* (inquit) *hominum cupiditates malas eſſe docemus; & peccati reas peragimus, non quatenus ſunt naturales, ſed quia inordinatæ: inordinatas autem eſſe; quia ex natura corruptâ, & pollutâ nihil puri, & ſinceri prodire poteſt*. Et hanc fuiſſe S. Auguſtini mentem contendit: quamvis invidiam, quâ eum gravare ſtudebant Pelagiani, plùs æquo reformidans, à peccati nomine abſtinuerit.

II. Idem ſentit Gomarus in c. 7. ad Rom. *Tract. de Concupiſcentia:* ubi arguit Pontificios (ita hæretici vocant Catholicos) quòd dicunt, decimo præcepto *Non concupiſces* vetari concupiſcentiam ſenſitivam cum voluntatis conſenſu: cùm ipſe velit, eo præcepto vetari non ſolum primos affectuum, & voluntatis motus, & appetitus malos; ſed etiam primas intellectus adversùs proximi amorem, & bonum cogitationes. Quia tamen iſtorum error ex eo procedit, quòd exiſtimant, concupiſcentiam ipſam eſſe formaliter peccatum, quod reprobavimus *Tom. 6. Tract. de Pecc. Origin. Qu.* 8. *Dub.* 2. unde ibi dicta, huc revocanda ſunt.

III. Doctores tamen Catholici omnes conſtanter docent, primos tàm intellectus, quàm appetitus motus prorſus indeliberatos, ac involuntarios peccatum nec eſſe, nec eſſe poſſe. Iſtis ergo ſubſcribens

IV. Adverto: inordinatos appetitus, ſeu concupiſcentiæ motus triplicis eſſe generis. Aliqui dicuntur primò primi; qui, nempe, omnem rationis advertentiam præcedunt, & naturaliter in appetitu ſenſitivo excitantur. Alii vocantur ſecundò primi; qui fiunt cum aliquali, & ſemiplenâ advertentiâ, & deliberatione: ideoque aliquam libertatem, eſtò imperfectam, participant. Alii denique plenè deliberati nuncupantur; quibus, ſcilicet, poſitâ jam plenâ rationis advertentiâ, voluntas conſentit. De motibus ſecundi, & tertii generis dicam infra. Nunc de motibus primi generis, qui, ſcilicet, omnem rationis advertentiam præveniunt, ſermo erit.

§. II.

Catholica Aſſertio.

V. Dico. Motus appetitus omnem rationis advertentiam prævenientes, & qui naturaliter in appetitu excitantur, peccata non ſunt, nec mortalia, nec venialia: adeoque motus pravi ſenſualitatis, vel concupiſcentiæ, qui omnem rationis advertentiam præveniunt, vel quos inviti patimur, non ſunt peccata neque venialia.

VI. Prob. primò. Illa ſola coinquinant hominem, quæ de corde exeunt, ut patet ex Matth. 15. v. 19. & 20. *De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia.... Hæc ſunt, quæ coinquinant hominem:* ſed pravi motus concupiſcentiæ, qui omnino præveniunt rationem, & quos inviti patimur, non exeunt de corde, hoc eſt, de libera hominis voluntate, & conſenſu; ergo coinquinare non poſſunt. Quæ pulchrè exponens Auguſt. *l. de Continentia c.* 2. ait: *Poſito igitur oſtio continentiæ in ore cordis, unde cuncta exeunt, quæ coinquinant hominem; ſi nil tale unde permittatur exire, ſequitur munditia,*

Digitized by Google

ditia, quâ poſſit jam gaudere conſcientia, quamvis nondum ſit illa perfectio, ubi non lucrabitur cum vitio continentia; Nunc autem quamdiu concupiſcit caro adversùs ſpiritum, ſat eſt nobis, non conſentire malis, quæ ſentimus in nobis.

VII. Hinc Eccleſiaſtici 18. *v.* 30. dicitur: *Poſt concupiſcentias tuas non eas.* Ubi cùm præcipiatur, non quidem, ne ullos habeamus, aut ſentiamus in nobis concupiſcentiæ motus; ſed dumtaxat, ne eos ſequamur, illis conſentiendo: apertè ſupponitur, poſſe tales motus abſque ulla culpâ in nobis inſurgere; alioquin præciperemur potiùs, non habere illos, quàm illos non ſequi, ſi eos habere non poſſemus ſinè peccato. Hoc animadvertens S. Auguſtinus l. 5. contra Julian. c. 3. *Fruſtra* (inquit) *dictum eſt:* Poſt concupiſcentias tuas non eas; *ſi jam quiſque reus eſt, quòd tumultuantes, & ad mala trahere nitentes, ſentit eas, nec eas ſequitur.* Propterea Paulus ad Rom. 6. *v.* 12. ait: *Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis ejus.* Ubi idem S. Auguſt. *l.* 2. *Oper. imperf. c.* 225. Julianum ſic interrogat: *Tu dic nobis: cur non ait:* non ſit *peccatum in veſtro mortali corpore, ſed ait:* non regnet? *Niſi quia iſta concupiſcentia, quæ non poteſt niſi eſſe in carne mortali, in eis regnat, qui deſideriis ejus ad mala perpetranda conſentiunt... in eis autem qui, Deo donante, faciunt, quod præceptum eſt, ideſt, commota, atque inſtanti, non obediunt, nec ei arma exhibent membra, ineſt quidem, ſed non regnat. Probatur autem ineſſe, dum concupiſcuntur mala: & probatur non regnare, dum juſtitiæ delectatione vincente non fiunt.*

VIII. Hoc idem Paulus confirmat *Roman.* 8. Cùm enim *c.* 7. de motibus involuntariis concupiſcentiæ diſſeruiſſet, *v.* 1. ſic infert: *Nihil ergo nunc damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu, qui non ſecundùm carnem ambulant:* ubi damnationis nomine, vel pœnam peccato debitam, vel potiùs ipſum peccatum intelligit. Quaſi diceret, inquit Auguſt. Serm. modò 152. *Etſi habent deſideria carnis, quibus non conſentiunt, etſi lex in membris eorum repugnet legi mentis eorum, & captivare vult mentem: tamen quia per gratiam Baptiſmatis, & lavacri regenerationis ſolutus eſt, & ipſe reatus, cum quo eras natus, & quidquid antea conſenſiſti malæ concupiſcentiæ, ſive quolibet flagitio, ſive quolibet facinore... omnia deleta ſunt in illo fonte, quo ſervus intraſti, unde liber exiſti: Quia ergo hæc ita ſunt;* Nulla nunc condemnatio eſt his, qui ſunt in Chriſto Jeſu. *Nulla eſt nunc, antea fuit &c.*

Et *Serm.* 155. (aliàs 6. de verb. Apoſt.) *cap.* 1. ad illa Pauli verba Rom. 7. v. 17. *Jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum;* ait: *Quia non mente operabatur conſentiendo, ſed carne concupiſcendo. Hoc enim peccati nomine appellat, unde oriuntur cuncta peccata, ideſt, ex carnali concupiſcentia... Huic ergo illicitæ delectationi ſi reſiſtamus, ſi non conſentiamus, ſi membra velut arma non miniſtremus, non regnat peccatum in noſtro mortali corpore. Peccatum enim ante regnum perdit, & ſic perit.*

IX. Præterire non poſſum hujus rei pulcherrimum ejuſdem S. Doctoris exemplum *l.* 2. *de Geneſ. contra Manichæos cap.* 14. ubi docens, non aliter agi in nobis, dum ad peccandum incitamur, quàm actum fuit in primis Parentibus: objectum, vel quodcumque externum alliciens comparat ſerpenti; concupiſcentiam, quæ ab objecto movetur, Hævæ; & voluntatem dum conſentit concupiſcentiæ, Adamo: & ſicut Hevâ ſolâ motâ, non conſentiente Adamo, peccatum in nobis non fuiſſet; ita ſolâ concupiſcentiâ excitatâ, renitente voluntate, peccatum in nobis non eſt. Verba ejus ſunt: *Etiam nunc in unoquoque noſtrum nihil aliud agitur, cùm ad peccatum quiſque delabitur, quàm tunc actum eſt in illis tribus, Serpente, Muliere,*

& Vi-

Digitized by Google

& Viro. Nam primò ſit ſuggeſtio, ſive per cogitationem, ſive per ſenſus corporis, vel videndo, vel tangendo, vel audiendo, vel guſtando, vel olfaciendo: quæ ſuggeſtio cùm facta fuerit, ſi cupiditas noſtra non movebitur ad peccandum, excludetur Serpentis aſtutia; ſi autem mota fuerit, quaſi mulieri jam perſuaſum erit. Sed aliquando ratio viriliter etiam commotam cupiditatem refrenat, atque compeſcit. Quod cum ſit, non labimur in peccatum, ſed cùm aliquanta luctatione coronamur. Si autem ratio conſentiat, & quod libido commoverit, faciendum eſſe decernat; ab omni vita beatâ, tamquam de Paradiſo, expellitur homo. Jam enim peccatum imputatur, etiamſi non ſubſequatur factum: quoniam rea tenetur in conſenſione conſcientia. Pulcherrima, & aptiſſima ſanè comparatio!

X. Omnia confirmat S. Jacobus *c.* 1. *ſuæ Epiſt. v.* 14. *&* 15. dicens: *Unuſquiſque verò tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus* (hoc fit cum concupiſcentia excitat in homine pravos motus) *Deinde concupiſcentia cùm conceperit, parit peccatum.* Prius ergo eſt concupiſcentiam tentare; & hic nondum eſt peccatum: deinde concipere delectationem, per conſenſum aliquem rationis, ſicut mulier concipit ex acceſſu viri; ex hoc ſequitur partus, nempe, peccatum. Super quæ S. Auguſt. lib. 6. contra Jul. cap. 15. *Profectò* (inquit) *in his verbis partus à pariente diſcernitur. Pariens enim eſt concupiſcentia, partus peccatum. Sed concupiſcentia non parit, niſi conceperit, nec concipit, niſi illexerit; hoc eſt ad malum perpetrandum obtinuerit voluntatis aſſenſum. Quòd ergo adversùs eam dimicatur, hoc agitur, ne concipiat, pariatque peccatum.* Et *l.* 1. *de Civit. Dei cap.* 25. idem confirmans, ait: *Si illa concupiſcentialis inobedientia, quæ adhuc in membris moribundis habitat, præter noſtræ voluntatis legem, quaſi lege ſua movetur; quantò magis abſque culpa eſt in corpore non conſentientis, ſi abſque culpa eſt in corpore dormientis.* Mitto innumera alia Sancti Auguſtini loca, quibus conſtanter aſſerit, concupiſcentiæ motus non eſſe peccata; niſi conſenſio voluntatis acceſſerit; & conſequenter motus eiuſdem primò primos omnem deliberationem rationis, & voluntatis actum prævenientes, nullo modo eſſe peccata. Loca enim allata ſufficienter demonſtrant, quàm impudenter Calvinus, ſupra relatus, Auguſtino impoſuerit, ſui erroris eſſe Patronum.

XI. Hanc eamdem eſſe S. Thomæ ſententiam, conſtat primò ex hâc 1. 2. *qu.* 80. *art.* 3. *ad* 3. ubi reſpondens objectioni petitæ ex S. Auguſt. *lib.* 19. *de Civit. Dei cap.* 4. nempe: *Nonnullum peccatum eſt, cùm caro concupiſcit adversùs ſpiritum,* ait: *Dicendum, quòd concupiſcentia carnis contra ſpiritum, quando ratio ei actualiter reſiſtit, non eſt peccatum, ſed materia exercendæ virtutis.* Quam veritatem confirmavit Trident. Synodus *Seſſ.* 5. *Can.* 5. dum ait: *Manere autem in baptizatis concupiſcentiam, vel fomitem, hæc S. Synodus fatetur, & ſentit; quæ cùm ad agonem relicta ſit, nocere non conſentientibus, & viriliter per Chriſti Jeſu gratiam repugnantibus non valet.* Et hoc cohærenter ad Articulos à Leone X. in Luthero prædamnatos, quorum ſecundus erat: *In puero poſt Baptiſmum negare remanens peccatum, eſt Paulum ſimul, & Chriſtum conculcare.* Et tertius: *Fomes peccati, etſi nullum adſit actuale peccatum, moratur exeuntem à corpore animam ab ingreſſu Cœli.*

XII. Secundò. 1. 2. *qu.* 154. *a.* 5. ubi de pollutione, quæ contingit in ſomnis, ait: quòd ſecundùm ſe *non habet rationem peccati. Omne enim peccatum pendet ex judicio rationis; quia etiam primus motus ſenſualitatis non habet, quòd ſit peccatum, niſi inquantùm judicio rationis reprimi poteſt: & ideo ſublato judicio rationis tollitur ratio peccati.*

XIII. Item Qu. 3. de Malo a. 3. ad 8. *Si motus* (inquit) *ſenſualitatis inſur-*

inſurgat ex aliqua tranſmutatione corporali, ratione actualiter reſiſtente, quod eſt in arbitrio voluntatis, nullum eſt ibi peccatum. Rurſus Qu. 7. de Malo a. 6. ad 6. *Quando motus illicitus eſt in ſenſualitate, tripliciter ſe poteſt ad ipſum habere ratio. Uno modo ſicut reſiſtens; & tunc nullum eſt peccatum, ſed eſt meritum corona*. Et in reſponſ. ad 8. concludit: *Quia ergo peccatum eſt in ſenſualitate, ſecundùm quod poteſt obedire rationi, primus motus ſenſualitatis, qui eſt ex diſpoſitione corporali, non eſt peccatum; & hunc appellant aliqui primò primum*.

XIV. Ratio autem præcipua eſt: quia omne peccatum debet eſſe, aliquo ſaltem modo, voluntarium, & liberum. Nam, ut ex Auguſtino diximus, nemo niſi voluntate peccat, & nemo peccat in eo, quod vitare non poteſt: ſed motus primò primi naturaliter inſurgentes involuntarii ſunt, cùm omnem rationis advertentiam, & voluntatem præveniant, inſuper ita inſurgunt, ut vitari non poſſint; ergo &c.

XV. Confirmatur. Lex Dei non obligat ad impoſſibilia: ſed juxta legem ordinariam impoſſibile eſt, motus primò primos concupiſcentiæ aliquando non experiri; cùm nobis, nec cogitantibus, imò dormientibus. ex nulla cauſa voluntariâ præcedente, frequenter inſurgant; ergo nulla eſt lex, quæ eos prohibeat.

XVI. Neque dicas: motus illos, eſtò in ſeipſis involuntarios, eſſe tamen voluntarios voluntate capitis, Adami nempe, utpote effectus, & pœnæ peccati originalis.

XVII. Nam contra eſt. Etenim eſtò effectus, & pœna peccati originalis. ſaltem in non renatis ſint; ut tamen nobis ad peccatum imputentur, debet noſtræ voluntatis accedere conſenſus: nam eſtò ad peccatum originale, quod eſt peccatum naturæ, contrahendum ſufficiat voluntas capitis; ad peccatum tamen perſonale committendum requiritur voluntas propria perſonæ. Ita D. Tho. *in 2. diſt.* 30. *qu. 1. a. 2.* his verbis: *Oportet, quòd ſecundùm hoc, quòd aliquid rationem culpæ habet, ſecundùm hoc ratio voluntarii in ipſo reperiatur. Sicut autem eſt quoddam bonum, quod reſpicit naturam, & quoddam, quod reſpicit perſonam: ita etiam eſt quædam culpa naturæ, & quædam perſonæ: unde ad culpam perſonæ requiritur voluntas perſonæ; ſicut patet in culpa actuali, quæ per actum perſonæ committitur; ad culpam verò naturæ* (qualis eſt originalis) *non requiritur, niſi voluntas in naturâ illa*. Cùm igitur motus primò primi, ex rebellione concupiſcentiæ procedentes, non ſint voluntarii voluntate perſonæ (eſtò ſint voluntarii voluntate naturæ in Adamo) non erunt peccata actualia perſonæ, quæ nos reos damnationis conſtituant. Aliàs phrænesis, inſania, cæcitas corporalis, aliæque humani generis miſeriæ, quæ ſunt effectus, & pœnæ peccati originalis, eſſent peccata. Unde ſi homo à nativitate cæcus volens canem abigere, hominem graviter percuteret, ignorans invincibiliter, hominem ibi eſſe, mortaliter peccaret.

XVIII. Probatur etiam. Nam fidei doctrina eſt, actum conjugalem poſſe fieri abſque peccato; dicente Paulo 1. Cor. 7. v. 28. *Si nupſerit virgo, non peccavit*. Et 1. ad Timoth. 5. v. 14. *Volo ergo juniores nubere, filios procreare &c.* Imò actus matrimonialis eſt in præcepto 1. Cor. 7. v. 3. *Uxori vir debitum reddat*. Nullum autem peccatum eſt in præcepto: ſed actus conjugii ſinè motu concupiſcentiæ fieri nequit; ergo non omnis motus concupiſcentiæ eſt peccatum. Et rationem dat D. Tho. *q. 41. Supplem. a. 3. ad 3.* Quia *Turpitudo illa concupiſcentiæ, quæ actum matrimonialem ſemper concomitatur, non eſt turpitudo culpæ, ſed pœna, ex peccato primo proveniens; ut ſcilicet inferiores vires, & membra corporis non obediant rationi*.

§. III.

Digitized by Google

§. III.

Proteſtantium Momenta.

XIX. Objiciunt primò. Motus concupiſcentiæ primò primi, & involuntarii prohibentur *Exodi* 20. decimo Decalogi præcepto: *Non concupiſces:* ſed quod prohibetur, eſt peccatum; ergo &c. Majorem probant. Diverſa enim materia eſt decimi præcepti à materia ſexti: *Non mæchaberis*; & ſeptimi: *Non furtum facies:* ſed in his prohibentur motus concupiſcentiæ deliberati, & confirmati; ergo in Decimo prohibentur motus primò primi, & involuntarii. Ita diſcurrit Gomarus citato loco ſuperiùs.

XX. Reſpondeo tamen, neg. maj. Ad prob. diſt. min. Actus deliberati opere conſummati, conc. min. Corde tantùm concepti, neg. min Differentia ergo inter ſextum, & ſeptimum præcepta: *Non Mœchaberis; Non furtum facies*; & nonum, ac decimum; *Non concupiſces* alienam, ſive uxorem, ſive rem, non ſtat in eo; quòd in prioribus prohibeantur motus concupiſcentiæ voluntarii, & deliberati, in poſterioribus verò motus etiam primi, & prorſus indeliberati: ſed in eo, quòd licèt in omnibus prohibeantur motus deliberati, & voluntarii; in prioribus tamen prohibentur, ut opere conſummati, in poſtremis vero etiam ut corde ſolùm concepti: ne populus ille, cui lex dabatur, falsò exiſtimaret, ſibi quidem prohibitam eſſe externam mæchiam, & furtum, non autem deſiderium, & concupiſcentiam deliberatam mæcandi, & furandi. Hoc autem neceſſarium fuit diſtinctis præceptis exprimere: futuri enim erant qui dicerent, concupiſcentiam, & flagitia interna, ſolo corde concepta, non eſſe peccata: quales tempore Chriſti erant Phariſæi. Contra quos Matth. 5. *v.* 27. 28. ait: *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis: Non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mæchatus eſt eam in corde ſuo.* Super quæ S. Aug. l. 1. de Serm. Domini in Monte c. 12. *Sanè* (inquit) *conſiderandum eſt, quòd non dixit:* Omnis, qui concupiverit mulierem; *ſed* qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam; *ideſt, hoc fine, & hoc animo adtenderit, ut eam concupiſcat: quod jam non eſt titillari delectatione carnis, ſed plenè conſentire libidini: ita ut non refranetur illicitus appetitus, ſed ſi facultas data fuerit, ſatietur.* Ecce quid, exponente Auguſtino, Chriſtus ipſe prohibitum intellexit præcepto *Non concupiſces:* nimirum, non quemcumque motum concupiſcentiæ ſubitò inſurgentem; ſed motum deliberatum, & ex animo libidinem ſatiandi opere, ſi facultas data fuerit, conceptum. Meritò igitur S. Pius V. & Gregorius XIII. inter Propoſitiones Baii, hanc, ordine 50. proſcripſerunt: *Prava deſideria, quibus ratio non conſentit, & quæ homo invitus patitur, ſunt prohibita præcepto: Non concupiſces.* Et hanc aliam, ordine 75. *Motus pravi concupiſcentiæ ſunt pro ſtatu hominis vitiati prohibiti præcepto:* Non concupiſces. *Unde homo eos ſentiens, & non conſentiens tranſgreditur præceptum:* Non concupiſces; *quamvis tranſgreſſio in peccatum non deputetur.*

XXI. Objicere ſolent, concupiſcentiam à D. Paulo paſſim appellari peccatum — Sed quo ſenſu eam D. Paulus appellet peccatum, abundè oſtendimus, *Tomo 6. in 1. p. Quæſt. 8. de Peccato Origin. Dub. 2. §. 3.* Quia nimirùm ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat. Ubi etiam oſtendimus, quòd etſi peccatum formaliter non ſit; quia tamen ad peccatum movet, à Deo non cauſari, nec ejus motus, etſi involuntarii, ac proinde in ſe non ſint peccata, à Deo eſſe. Quæ huc revocanda ſunt.

XXII. Sed dices: ſi motus deliberati concupiſcentiæ, quamvis antecedentibus præceptis prohibiti, adhuc tamen, per nos, diſtincto præcepto prohiben-

hibentur: cur non etiam motus deliberati iraſcibilis, qui præcepto non occidendi prohibentur, ſpeciali præcepto prohibentur: non deſiderabis proximi tui mortem; ſicut dicitur: non concupiſces uxorem, aut rem proximi tui?

XXIII. Peto primò ad Adverſariis. Nunquid motus indeliberati iraſcibilis, & inordinati ſunt peccata, & prohibita, æquè, ac motus indeliberati, & primò primi concupiſcentiæ? Certè omnis motus inordinatus, ſive iraſcibilis, ſive concupiſcibilis ex eodem corruptionis fonte procedit: cur ergo pro inordinatis motibus iraſcibilis primò primis, ſpeciale præceptum non datur?

XXIV. Secundò. Reſpondeo cum S. Thoma hàc 1. 2. q. 100. a. 5. ad 5. diſcrimen eſſe: *Quòd delectatio adulterii, & utilitas divitiarum ſunt propter ſeipſa appetibilia; inquantùm habens rationem boni delectabilis, vel utilis: & propter hoc oportuit, in eis prohiberi non ſolùm opus, ſed etiam concupiſcentiam: ſed homicidium, & falſitas ſunt ſecundùm ſeipſa horribilia (quia proximus, & veritas naturaliter amantur) & non deſiderantur, niſi propter aliud. Et ideo non oportuit circa peccatum homicidii, & falſi teſtimonii prohibere peccatum cordis, ſed ſolùm operis.*

XXV. Objiciunt ſecundò S. Auguſtinum. Primò. *L. de Spiritu & litt. c. ultimo*, ubi docet, eum ſolùm non concupiſcere ad ſenſum præcepti *Non concupiſces*; qui nullos patitur motus concupiſcentiæ, ne quidem involuntarios. Unde dicit, iſtud *Non concupiſces* pertinere ad vitam immortalem; ad hanc verò mortalem iſtud: *Poſt concupiſcentias tuas non eas*; ergo ſentit, omnes ejuſmodi etiam involuntarios motus præcepto, *Non concupiſces*, eſſe prohibitos.

Similiter *L. 1. de Nupt. & concup. c. 23.* ait, eos, qui ad illicita opera non conſentiunt, non facere id, quod ſcriptum eſt: *Non concupiſces*; etſi faciant illud, quod *Eccleſiaſtici* 18. legitur: *Poſt concupiſcentias tuas non eas* — Et *c. 27.* addit, motus involuntarios eſſe lege Dei prohibitos, dicens: *Si autem quod nolo, inquit, hoc facio, conſentio legi, quoniam bona, quia & hoc illa non vult, quod & ego nolo. Non vult enim, ut concupiſcam, quæ dicit:* Non concupiſces: *& ego nolo concupiſcere.*

Quod clariùs exprimit *Serm. 5. de Verb. Apoſt.* modò *Serm. 154. c. 6.* his verbis: *Si autem concupiſcis quidem, quod lex vetat, cum dicit:* Non concupiſces; *Servas tamen aliud, quod item lex jubet:* Poſt concupiſcentias tuas non eas; *mente ſpiritalis es, carne carnalis.* Et *c. 7.* in perſona ejus, qui concupiſcit nolens, ait: *Non implet legem infirmitas mea: ſed legem laudat voluntas mea.* Sentit ergo Auguſtinus, præcepto, *Non concupiſces*, prohiberi motus concupiſcentiæ involuntarios.

Inſuper *l. 4. contra Julian. c. 2.* dicit, quòd concupiſcentia inquantum ineſt, nocet, etſi ei non conſentiatur. Et *Lib. 5. c. 3. Concupiſcentia* (inquit) *carnis, contra quam bonus concupiſcit ſpiritus, & peccatum eſt, quia ineſt illi inobedientia contra dominatum mentis, & pœna peccati eſt, quia reddita eſt meritis inobedientis; & cauſa peccati eſt, defectione conſentientis, vel contagione naſcentis.*

Similia habet l. 14. de Civit. Dei c. 10. *Neque enim nullum peccatum eſt, ea, quæ lex Dei prohibet, concupiſcere. Et l. 19. c. 4.* ait; *Neque enim nullum eſt vitium, cum, ſicut dicit Apoſtolus, caro concupiſcit adversùs ſpiritum.*

XXVI. Reſpondeo, quænam fuerit S. Auguſtini mens in hac materiâ, abundè conſtare ex iis, quæ §. *præcedente* ex ipſo attulimus. Ad id ergo, quod opponitur ex *l. de Spiritu, & litt.* patet, S. Doctorem non loqui de concupiſcentiæ actibus prorsùs involuntariis, ſed voluntariis; levibus tamen, & quæ ad crimina nos non perducunt. Ait enim: *His conſtitutis peccatum erit hominis ex fide viven-*

viventis, aliquando alicui delectationi illicitæ conſentire: non tantùm in illis horrendis facinoribus, & flagitiis perpetrandis, verùm etiam in levioribus; ut vel aurem alicui voci, quæ audienda non eſſet; vel linguam alicui voci, quæ dicenda non eſſet, accommodet: vel in ipſo corde aliquid ita cogitet, ut mallet licitum, quod malè delectat, &c. Hoc certè concupiſcere non erit in vita immortali.

Quod opponitur ex *l. de Nupt. & concupiſc. c.* 23. nobis non obeſt, imò favet. Ibi enim dicit: *Ipſa quidem concupiſcentia jam non eſt peccatum in regeneratis, quando illi ad illicita opera non conſentitur; atque, ut ea perpetrent, à regina mente membra non dantur: ut ſi non fit, quod ſcriptum eſt:* Non concupiſces; *fiat ſaltem, quod alibi legitur:* Poſt concupiſcentias tuas non eas. *Sed quia, modo quodam loquendi, peccatum vocatur; quòd & peccato facta eſt, & peccatum, ſi vicerit, facit; reatus ejus valet ingenerato &c.* ubi vides, quomodo concupiſcere, ſi involuntarium ſit, vocetur ab Auguſtino peccatum: non quia revera ſit, ſed quia ex peccato eſt. & peccatum, ſi ei non reſiſtatur, facit. Quod verò dicit ibidem *c.* 27. nobis favet. Nam dum ait, conſentio legi, quia nolo concupiſcere; indicat, legem ſolùm prohibere velle concupiſcere.

Ad ea, quæ opponuntur ex *Serm.* 5. *de Verb. Apoſt.* ſi benè perpendantur, conſtabit, S. Auguſt. non velle, quòd lege: *Non concupiſces*, vetetur omnis concupiſcentiæ motus, tanquam res præcepta; & cujus tranſgreſſio ſit formaliter, & moraliter peccatum, etſi illi non conſentiatur: ſed ſolùm, quòd qui tales concupiſcentiæ motus, licèt invitus patitur, nondum pervenerit ad illum perfectionis ſtatum, quo nullos ampliùs patiatur concupiſcentiæ motus, & ampliùs non ſit *carne carnalis*, ſed totus, nempe, mente, & carne ſpiritalis: quod regulariter ſolum in vita immortali continget. Hanc ſuam fuiſſe mentem, prodidit etiam *Ep.* 200. *modò* 196. *ad Aſellicum c.* 2. his verbis: *In qua juſtitiâ* (reſiſtendo deſideriis carnis) *nondum conſummatâ perſeveranter proficientes, ad ejus conſummationem quandoque veniemus, ubi peccati concupiſcentia non cohibenda, atque frænanda, ſed nulla ſit. Hoc enim lex poſuit dicendo:* Non concupiſces; *non quòd hic valeamus, ſed ad quod proficiendo tendamus.* Itaque præcepto: *Non concupiſces*, dum in hac vita ſumus, præcipimur pugnare contra concupiſcentiam, ejuſque motus comprimere; non tamen illam ſic vincere, ut non ampliùs exurgat: hoc enim non eſt res præcepta, ſed finis præcepti: ad quem, ſtrenuè pugnando in hac vitâ, tandem juvante gratiâ perveniemus.

Dum verò *l.* 4. *contra Jul. c.* 2. dicit, quòd concupiſcentia, *inquantùm ineſt, nocet, ſi non ei conſentiatur*; non vult, quòd noceat, faciendo hominem peccati reum: ait enim, quòd nocet, *non ad perdendum de ſorte Sanctorum*; ſed minuendo ſpiritalem delectationem mentis. Dum enim *Ad oppugnandam carnalis concupiſcentiam voluntatis, bellantis animus occupatur . . . à delectatione intelligibilis pulchritudinis ipſis certaminibus avocatur.* — Cum autem *l.* 5. *contra Julian. c.* 3. dicit, quòd concupiſcentia *peccatum eſt*; ſumit peccatum *objectivè*, quia tendit ad objectum concupiſcibile contra dominatum mentis: non verò ſumit peccatum formaliter, & rigoroſè tale, ut eſt malum malitiâ formali, niſi accedat advertentia rationis, & liber conſenſus voluntatis. Et hoc illi ſatis erat, cùm ageret contra Julianum, qui concupiſcentiam, non ſolum non vituperandam, ſed laudandam eſſe, putabat.

Eodem modo ſumit *peccatum*, & *vitium* in *lib. de Civit. Dei*, citatis locis; nempe, pro peccato, & vitio objectivè, quatenus eſt aliquid defectuoſum, & vitioſum inclinans ad objectum rationi diſſonum: quo pacto diſtinguitur à peccato formali, & morali,

rali, quod noſtra conſenſione perpetratur. Cætera videri poterunt *Tomo 6. De pecc. Origin.* Q. 8. *Dub.* 2. §. 3.

XXVII. Objicitur tertiò. S. Thomas videtur velle, quòd motus primò primi concupiſcentiæ ſint ſaltem peccata venialia. Nam hîc *qu.* 74. *a.* 3. *ad* 3. generaliter ſcribit, quòd *Motus ſenſualitatis rationem præveniens, eſt peccatum veniale.* Rurſus in 2. *diſt.* 21. *q.* 1. *a.* 2. diſtinguit tentationem carnis à tentatione Mundi, & Diaboli; quòd, quæ eſt à carne, *eſt peccatum in eo, qui tentatur;* quæ verò eſt à Mundo, & Diabolo, non eſt peccatum, *Niſi per delectationem conſenſus: quia tunc tentatus incipit cooperari tentanti.* Quod repetit 3. *p. q.* 41. *a.* 1. *ad* 3. aſſerens, Chriſtum voluiſſe tentari à Diabolo, non à carne; quia *Tentatio, quæ eſt ab hoſte, poteſt eſſe ſinè peccato. Tentatio autem, quæ eſt à carne, non poteſt eſſe ſinè peccato.*

XXVIII. Confirmatur. Nam Q. 7. *de Malo a.* 6. *ad* 8. docet, quòd homo poteſt vitare ſingulos motus ſenſualitatis, qui ex apprehenſione oriuntur, etſi non poſſit vitare omnes; quia *dum avertit cogitationem ſuam ab uno, incurrit in aliud, ex quo poteſt inſurgere motus illicitus.*

XXIX. Reſpondeo, S. Thomam in loco adducto ex hâc 1. 2. loqui de illo motu, qui etſi præveniat rationem, ſeu rationis plenum, ac perfectum judicium; non ſic tamen prævenit imperfectam ejus advertentiam; quia à ratione præveniri, & impediri potuiſſet, ſi ipſa benè vigilaſſet. Et propterea concedit, eum motum eſſe *actum humanum, ſed imperfectum;* quod de motu, prorſus præveniente rationem, non dixiſſet.

XXX. Ad id, quod affertur ex 2. *Sent.* & ex 3. *p.* Dico, S. Doctorem ſtatuere diſcrimen inter tentationem quæ eſt à carne, & eam, quæ eſt à Mundo, vel Diabolo; non quòd illa ſemper, & in motibus primò primis ſit peccatum: ſed in hoc, quòd tentatio, quæ eſt à Mundo, vel Diabolo, quia tota eſt ab extrinſeco, non eſt peccatum in eo, qui tentatur, niſi accedat delectationis conſenſus; quia tunc incipit cooperari tentanti. Tentatio verò, quæ eſt à carne, quia eſt à principio intrinſeco, poteſt eſſe peccatum, etiam præviè ad conſenſum; quia plerumque ſupponitur potuiſſe vitari, ſi ratio benè vigilaſſet, & ſenſualitatem meliùs gubernaſſet: ex quo infertur aliquis tacitus, & imperfectus conſenſus, quo permiſſa eſt exurgere. Quapropter loco citato ex 3. *p. qu.* 41. *art.* 1. *ad* 3. poſt prælaudata verba, reddens rationem, quare tentatio carnis nequeat eſſe ſinè peccato, ſubdit: *Quia hujuſmodi tentatio fit per delectationem, & concupiſcentiam. Et ſicut Auguſt. dicit* (lib. 19. de Civit. Dei cap. 4.) *nonnullum peccatum eſt, quando caro concupiſcit adversùs ſpiritum.* Et in 2. *diſt.* 21. *q.* 1. *a.* 2. *citato ad* 5. poſtquam dixit, quòd motus concupiſcibilis conſurgens *ex qualitate organi, ſinè aliquâ imagine,* & hic eſt purè naturalis, nec rationem peccati habens; ſubjungit: *Alius motus concupiſcibilis eſt, qui inſurgit ex apprehenſione delectabilis; & ex parte illa appetitus concupiſcibilis habet quandam libertatem, ad minùs in homine, ſecundùm quòd poteſt obedire imperio rationis prohibentis: & ſic in concupiſcibili poteſt eſſe peccatum.* Illum ergo ſolum concupiſcentiæ motum ſentit eſſe aliqualiter peccatum, cui aliquid libertatis ineſt, & conſequenter, qui non eſt primò primus.

XXXI. Ad confirm. nego S. Thomam ibi velle, quòd homo, aut ſimpliciter, aut ſemper poſſit evitare ſingulos ejuſmodi motus, efficiendo, ne oriantur; ſed ſolùm eos, quos ratio poteſt prævenire, & impedire. De his docet, hominem poſſe impedire ſingulos, etſi, propter corruptionem fomitis, non poſſit impedire omnes. Duo ergo illo in loco docet S. Præceptor. Unum; quòd motus inordinati, qui non ſubjacent imperio rationis, quales ſunt, qui ex naturali

corpo-

corporis diſpoſitione excitantur, & vocantur motus primò primi, nullo modo peccatum ſunt: & hos ratio nullo modo vitare poteſt; Alterum quòd motus inordinati, qui ſubjacent imperio rationis, quales ſunt illi, qui ex aliqua apprehenſione excitantur, ſi eis ſtatim non reſiſtatur, peccatum ſunt, veniale ſaltem: quia ratio licèt non poſſit vitare omnes, poteſt tamen vitare ſingulos. Semper tamen apud D. Thom. fixum manet, quòd motus primò primi, qui non ſunt in ſenſualitate, ſecundùm quòd poteſt obedire rationi, nullo modo eſſe peccatum.

XXXII. Ex dictis ſequitur, non omnem tentationem etiam carnis eſſe peccatum; ſive eam, ad quam ex diſpoſitione naturali corporis excitamur; ſive quam in nobis excitat concupiſcentia; niſi motus fiant aliquo modo ſaltem imperfectè voluntarii: vel qui eos patitur, potens, ac debens reprimere, vel ab objecto, ſeu causâ excitante ſe avertere, id negligat. Dixi *potens*. Sæpè enim in hominis poteſtate non eſt, ut ex repentino adſpectu, auditu, rei delectabilis contactu, vel etiam ex interna corporis vitiati diſpoſitione, nullus in ſenſualitate motus non exurgat. Dixi etiam *debens*. Quia interdum eſt in hominis poteſtate cauſas, & occaſiones, ex quibus oriuntur avertere; & tamen non tenetur: ut cum juſta ratio ſubeſt eas non tollendi: ut in conjugatis, in iis, qui confeſſionibus audiendis occupantur, vel alteri rei juſtæ, ac licitæ, vel ex neceſſitate, vel profeſſione vacant.

DUBIUM III.

Nonnulla Quæſita ex D. Thoma expediuntur.

§. I.

De Moroſa Delectatione.

AD peccandum mortaliter requiri conſenſum, vidimus ſuperiùs *Qu. 1. Dub. 4. §. 2. à num. 6.* & inſuper advertentiam, ibidem §. 3. quæ ad memoriam revocanda ſunt. Nunc ad præſens.

I. Quæritur primò: An peccatum moroſæ delectationis ſit in ratione?

Delectatio dicitur moroſa non à mora temporis; cùm peccatum, etiam mortale, uno quaſi temporis momento perfici poſſit: ſed à mora ſeu deliberatione rationis, quatenus, poſt advertentiam, non curat ratio eam repellere; ſed vel expreſsè in ea ſibi complacet, vel diſſimulanter agit, eam non cohibendo, ſicut poteſt, ac debet: ſicut ille dicitur in mora, per quem ſtat, ne faciat officium ſuum, ſive qui non facit, quando poteſt, ac debet. Ita S. Thomas hâc q. 74. a. 6. ad 3. *Delectatio* (inquit) *dicitur moroſa, non ex mora temporis; ſed ex eo, quòd ratio deliberans, circa eam immoratur, nec tamen eam repellit: tenens, & volvens libenter, quæ ſtatim, ut attigerunt animum, reſpui debuerunt, ut Auguſtinus dicit 12. de Trinit. c. 12.* Quare delectatio moroſa tunc eſt, quando quis ſuggeſtione, vel cogitatione alicujus peccati advertenter oblectatur, etiamſi in ipſum peccati opus non conſentiat. Unde totius progreſſus, qui in peccatis contingit (ait D. Thom. q. 15. de Verit. a. 4.) *Prima radix eſt ille conſenſus, quo delectationem acceptavit. Unde ibi peccatum mortale incboatur.*

II. Quamvis autem peccatum delectationis moroſæ frequentiùs accidat circa cogitationes venereorum, & ex

his

his delectatio moroſa nomen accepiſſe videatur; non tamen in horum ſolâ cogitatione evenit: ſed etiam in voluntaria cujuslibet alterius peccati cogitatione, & delectatione; ut furti, homicidii, & aliorum. His præmiſſis

III. Reſpondeo. Peccatum delectationis moroſæ eſt in ratione, quatenus poſt advertentiam non reprimit illicitum paſſionis motum. Ita S. Thom. hâc *q.* 74. *a.* 6. cujus ratione ſic probo. In eo eſt peccatum, quod primò deficit in moderatione paſſionum; vel poſitivè imperando illicitas, ſicut cùm ex deliberatione provocat motum iræ, vel concupiſcentiæ; vel privativè, cum non reprimit illicitum paſſionis motum, quem advertit, ſed circa ipſum immoratur: ſed paſſiones dirigere, ac moderari pertinet ad rationem, quæ eſt directiva actuum humanorum non ſolùm exteriorum, ſed etiam interiorum paſſionum; ergo defectus in illis moderandis rationi attribuitur: ſicut Nauclero, cui incumbit gubernatio navis, tribuitur navis ſubmerſio. Sic igitur ſi ratio poſtquam advertit, motum aliquem paſſionis eſſe inordinatum, eum, ut poteſt, ac debet, non reprimit, aut expellit, ſed voluntariè circa ipſum immoratur; peccat peccato moroſæ delectationis.

IV. Sed inquies. Delectatio eſt in appetitu, cùm ſit actus ab eo elicitus: quomodo igitur delectatio moroſa poterit eſſe in ratione?

Prævidit hanc inſtantiam S. Thom. hìc; & propterea in reſponſ. *ad* 1. docet: quòd *delectatio quidem eſt in vi appetitiva, ſicut in proximo principio; ſed in ratione eſt, ſicut in primo motivo*. Quibus indicat, ſe non ponere peccatum moroſæ delectationis in ratione, ſicut in principio immediato, & proximo, & proinde ut in ſubjecto; ſed, ut in primo motivo, & directivo: & ſecundùm hunc modum eſſe in ratione. Quare ibi *ad* 2. dicit: *Quòd ratio actum proprium elicitum habet circa proprium objectum; ſed directionem habet circa omnia objecta inferiorum virium, quæ per rationem dirigi poſſunt. Et ſecundùm hoc etiam delectatio circa ſenſibilia objecta pertinet ad rationem.*

V. Dici etiam poteſt, delectationem moroſam, quantùm ad formale, quod facit, ipſam eſſe moroſam, hoc eſt, ipſam moroſitatem, eſſe in ratione; eo modo, quo negligentia, & privatio eſt in aliquo: delectationem verò appetitus ſenſitivi, vel complacentiam voluntatis non eſſe in ratione.

§. II.

De Peccato Conſenſus in Actum.

VI. Quia, ut docet S. Thom. in 2. diſt. 24. q. 3. a. 4. *Si poſt deliberationem rationis inferioris, adhuc delectatio illa* (de re illicita) *placeat, moroſa delectatio dicitur; & tunc erit in delectationem conſenſus*. Ideo ſtatim de peccato conſenſus quæſita ponit idem S. Doct.

VII. Quæritur ergo primò: An peccatum conſenſus ſit in ratione ſuperiori?

Supponit D. Tho. hoc *a.* 7. & 1. *p. q.* 79. *a.* 9. rationem ſuperiorem eſſe illam, quæ intendit rebus æternis; & conſultat, & judicat ſecundùm regulam legis divinæ: rationem verò inferiorem eſſe illam, quæ intendit temporalibus rebus, & conſultat, ac judicat ſecundùm regulam rationis humanæ; quæ ſumitur ex rebus creatis, quas homo naturaliter cognoſcit. Utrâque autem hâc regulâ actus humani regulantur; & ſecundùm utramque ratio judicare poteſt. Verùm cùm regula legis divinæ ſit ſuperior; ſit, ut judicium ſecundùm eam formatum ſit ultimum, & ultima ſententia, per quam judicium finaliter terminatur. Quemadmodum enim in ſpeculativis *Ultima ſententia de aliqua propoſitione datur per reſolutionem ad prima principia: quamdiu enim remanet aliquod principium altius, adhuc per ipſum poteſt examinari, de quo quæritur. Unde*

adhuc

Digitized by Google

adhuc eſt ſuſpenſum judicium, quaſi nondum datâ finali ſententiâ: ita cùm *regula legis divina ſit ſuperior; conſequens eſt, ut ultima ſententia, per quam judicium finaliter terminatur, pertineat ad rationem ſuperiorem, qua intendit rationibus aternis.* Ita S. Tho. hoc *art.* 7. qui ſubdit: *Cum autem de pluribus occurrit judicandum, finale judicium eſt de eo, quod ultimò occurrit. In actibus autem humanis, ultimò occurrit ipſe actus; praambulum autem eſt ipſa delectatio, qua inducit ad actum.* Unde concludit: *Et ideo ad rationem ſuperiorem propriè pertinet conſenſus in actum: ad rationem verò inferiorem, qua habet inferius judicium, pertinet judicium praambulum, quod eſt de delectatione. Quamvis etiam de delectatione ſuperior ratio judicare poſſit: quia quidquid judicio ſubditur inferioris, ſubditur etiam judicio ſuperioris; ſed non convertitur.* Ex quibus

VIII. Reſpondetur ad quæſitum. Peccatum conſenſus in actum pertinet ad rationem ſuperiorem; peccatum verò conſenſus in delectationem pertinet ad rationem inferiorem. Et ratio eſt aſſignata à D. Tho: quia ferre ultimum judicium, proprium eſt ſupremi Judicis: ſed ratio ſuperior eſt quaſi ultimus, ac ſupremus Judex humanorum actuum; ultimum verò, quod in actibus humanis occurrit, eſt ipſe actus: delectatio autem, quæ ad actum inducit, eſt quoddam præambulum; ergo judicium de actu pertinet ad rationem ſuperiorem, judicium verò de delectatione, ad rationem inferiorem; ergo ad illam pertinet conſenſus in actum, ad iſtam verò conſenſus in delectationem.

IX. Sed dices. *Ratio ſuperior* (teſte Auguſt. 12. de Trinit. c. 7.) *intendit rationibus aternis inſpiciendis, & conſulendis:* ſed quandoque conſentitur in actum, non conſultis rationibus æternis: non enim ſemper homo cogitat de rebus divinis, quando conſentit in aliquem actum; ergo peccatum conſenſus in actum non ſemper eſt in ratione ſuperiori.

X. Reſpondet S. Tho. hoc a. 7. ad 2. *Quòd ex hoc ipſo, quòd ratio ſuperior non dirigit actus humanos ſecundùm legem divinam, impediens actum peccati; dicitur ipſa conſentire, ſive cogitet de lege aterna, ſive non. Cum enim cogitat de lege Dei, actu eam contemnit; cum verò non cogitat, eam negligit per modum omiſſionis cujuſdam. Unde omnibus modis conſenſus in actum peccati procedit ex ſuperiori ratione. Quia, ut Auguſtin. dicit* 12. *de Trinit. cap.* 12 Non poteſt peccatum efficaciter perpetrandum mente decerni; niſi illa mentis intentio, penes quam ſumma poteſtas eſt, membra in opus movendi, vel ab opere cohibendi, malæ actioni cedat, aut ſerviat.

XI. Si iterùm dicas. Conſenſus eſt actus appetitivæ virtutis, ut docet D. Tho. hâc 1. 2. *q.* 15. *a.* 1. ergo non poteſt eſſe in ratione ſuperiori, quæ eſt vis apprehenſiva.

Reſpondeo, conſenſum eſſe quidem actus appetitivæ virtutis elicitivè, eſſe tamen etiam rationis regulativè. Quia ut docet D. Tho. hìc ad 1. *Conſentire eſt actus appetitiva virtutis, non abſolutè, ſed conſequens ad actum rationis deliberantis, & judicantis; ut ſupra dictum eſt* (qu. 15. a. 3.) *In hoc enim terminatur conſenſus, quia voluntas tendit in id, quod eſt jam ratione judicatum. Unde conſenſus poteſt attribui & voluntati, & rationi:* nempe, voluntati ut elicienti, ſed ſecundùm quòd à ratione judicatum eſt. Et propterea D. Tho. non dicit, quòd conſenſus ſit judicium; ſed *importat judicium quoddam de eo, in quod conſentitur.*

XII. Nota tamen, quòd dum D. Th. dicit, conſenſum in actum pertinere ad rationem ſuperiorem; non excludit, quin ad eam pertinere etiam poſſit conſenſus in delectationem. Quia (inquit hoc a. 7. ad 3.) *Ratio ſuperior per conſiderationem legis aterna, ſicut poteſt dirigere, vel cohibere actum exteriorem, ita etiam delectationem interiorem. Sed tamen antequam ad ju-*

dicium

Digitized by Google

dicium ſuperioris rationis deveniatur; ſtatim, ut ſenſualitas proponit delectationem, inferior ratio per rationes temporales deliberans, quandoque hujuſmodi delectationem acceptat: & tunc conſenſus in delectationem pertinet ad inferiorem rationem. Si verò etiam conſideratis rationibus æternis, homo in eodem conſenſu perſeveret; jam talis conſenſus ad ſuperiorem rationem pertinebit.

§. III.

De Conſenſu in Delectationem.

XIII. Quæritur: An conſenſus in delectationem, ideſt, an delectatio moroſa, quâ quiſpiam de re illicitâ delectatur, ſinè animo perficiendi opus, ſit peccatum mortale?

Circa hoc noto cum S. Thoma hîc *a.* 8. dupliciter poſſe contingere, aliquem in cogitatione rei malæ, puta, fornicationis, delectari. Uno modo; quòd ſolùm delectetur de cogitatione, & non de re cogitatâ: quandoque enim delectamur in cogitatione, propter cognitionem, quam ex cogitatione aquirimus, quamvis cogitata nobis diſpliceant: ſicut ſi Juſtus cogitet de peccatis diſputando, & conferendo de eis, & in iſtius veritatis cogitatione delectetur; cùm tamen peccata ipſi diſpliceant. Alio; quòd delecterur, non de cogitatione ſolùm, ſed etiam de ipsâ re cogitatâ: & hoc tunc contingit, quando res cogitata affectum movet, & allicit. Hoc autem intereſt inter hos duos modos: quòd priori modo immediatum delectationis objectum ſit ipſa rei notitia, quæ ſola tunc apprehenditur, ut aliquid delectabile; quatenus apprehendimus; ut delectabile audire, vel intelligere res, etſi earum executionem deteſtemur: poſteriori verò modo immediatum delectationis objectum eſt res ipſa, quæ apprehenditur, & quæ apprehenſa, ſeu cogitata delectationem cauſat: cognitio autem, ſeu cogitatio ſolùm ſe habet ut proponens objectum. His ergo ex S. Doctore prænotatis

XIV. Reſpondeo primò cum eodem hoc *a.* 8. quòd conſenſus in delectationem, ſeu voluntaria delectatio de ſola cogitatione non eſt ſecundùm ſe peccatum mortale; etiamſi cogitatio ſit de re mortaliter mala: ſed aliquando eſt peccatum veniale, aliquando verò nullum. Prior pars probatur. Delectatio de ſola cogitatione habet ſolam cogitationem pro objecto, & fine: *Inquantùm ſcilicet vis appetitiva, cujus eſt delectari, reflectitur in ipſam operationem, ſicut in quoddam bonum; puta cum aliquis cogitat, & delectatur de hoc ipſo, quod cogitat, inquantùm ſua cogitatio placet....* Tunc enim *delectatio de cogitatione ipsâ ſequitur inclinationem affectus in cogitationem ipſam:* ſed cogitatio ipſa ſecundùm ſe non eſt peccatum mortale, cùm ſcientia malorum ſit etiam in Deo; ergo &c.

XV. Secunda pars prob. Aliquando enim aliquis in hujuſmodi cogitatione inutiliter ſiſtit; ſed ſinè causâ in cogitationem rerum inutilium ſe occupare, eſt peccatum veniale curioſitatis; ergo &c. Intellige tamen, ſi perſeverantia in tali cogitatione ſinè causâ, non afferat periculum conſentiendi, vel delectandi de re malâ cogitatâ; aliàs enim peccaret mortaliter: niſi fortè periculum eſſet adeò parvum, ut à mortali excuſaret.

XVI. Tertia verò pars ſuadetur. Quia dum id, quod non eſt per ſe malum, aſſumitur in aliquem bonum finem, ipſum eſt bonum laudabile, modò nullâ circumſtantiâ pravâ vitietur; ergo ſi cogitatio de rebus illicitis aſſumatur in bonum finem, ſicut cum quis vult de eis prædicare, vel diſputare, per conſequens delectatio illam comitans erit bona, modò nulla addatur prava circumſtantia. Hinc Theologi, Confeſſarii, Prædicatores poſſunt in ſtudio rerum venerearum occupari, de iis cogitare, & in tali ſtudio ſibi complacere, ad inſtruendum, & docen-

docendum, vel, dum ab aliis conſuluntur, reſpondendum. Quo pacto quidam oblectantur lectione, aut narratione malorum præteritorum; non ſibi complacendo in iſtis malis, ſed in eorum tantùm cognitione: aliàs non licitè quis oblectaretur lectione S. Scripturæ, in qua varia hominum flagitia recenſentur.

XVII. Reſpondeo ſecundò. Conſenſus in delectationem, ſeu voluntaria delectatio de re cogitatâ, eſt mortale peccatum, ſi res illa, quæ cogitatur, ſit mortaliter mala; etiamſi nulla adſit voluntas operis perficiendi: ac proinde is, qui de fornicatione, quam animo volvit, voluntariè delectatur, nolens quidem eam committere, ſed tamen in ea cogitatâ ſibi complacens, peccat mortaliter. Ita D. Thom. hìc *a.* 8.

Probatur. Qui volvens in animo rem illicitam, puta fornicationem, advertente, & conſentiente ratione, de ea delectatur, convincitur eam amare; etſi proponat, eam opere non exequi: *Quòd* enim (inquit S. Doct.) *aliquis cogitans de fornicatione delectetur de ipſo actu cogitato; hoc contingit ex hoc, quòd affectio ejus eſt inclinata in hunc actum.... Nullus enim delectatur, niſi in eo, quod eſt conforme appetitui ejus:* ideſt, nullus delectatur, niſi de eo, quod amat, & cui tanquam bono delectabili afficitur. Atqui quòd *aliquis ex deliberatione eligat, quod affectus ſuus conformetur his, quæ ſecundùm ſe ſunt peccata mortalia, eſt peccatum mortale;* ergo &c.

XVIII. Confirmatur ex iis, quæ docet Q. 15. de Verit. a. 4. *Delectatio, quæ ſequitur cogitationem ex parte rei cogitatæ, in idem genus coincidit cum delectatione exterioris actus:* ſic ad juſtitiam pertinet operari juſta, & delectari de juſtis operationibus; ergo eâdem inordinatione, quâ eſt inordinata delectatio exterior, erit inordinata delectatio interior de eadem re. Si ergo *Delectatio exterior eſt delectatio peccati mortalis, & tunc etiam interior delectatio in ſe, & abſolutè conſiderata, de genere peccati mortalis erit.* Quandocumque enim *Ratio ſe ſubjicit peccato mortali, per approbationem, tunc eſt peccatum mortale.... Tunc autem ſe ſubjicit huic delectationi perverſæ, quando in eam conſentit.* Idem docet Q. 15. *de Malo a.* 2. *ad* 16. in 2. *diſt.* 24. *q.* 3. *a.* 4.

XIX. Sed dices primò. Jacobi 1. *v.* 15. dicitur: *Peccatum, cùm conſummatum fuerit, generat mortem:* ſed non conſummatur peccatum, niſi ipſo opere, vel ſaltem voluntate illud committendi; ergo delectatio voluntaria de actu non eſt peccatum mortalè, quamdiu abeſt voluntas illum perpetrandi.

XX. Reſpondetur, neg. min. Neque enim D. Jacobus dicit: *Peccatum, cùm conſummatum fuerit* opere, *generat mortem;* ſed *cum conſummatum fuerit.* Conſummatur autem non ſolùm opere, ſed etiam animo, delectatione, & complacentiâ in illo cum advertentia, & deliberatione. Unde Chriſtus Matth. 5. v. 28. *Omnis* (inquit) *qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Tres ergo ſunt motus concupiſcentiæ. Primus. Omnino involuntarius, quem fomes, ſeu concupiſcentia in nobis excitat, abſque noſtræ voluntatis conſenſu: & hic nullatenus peccatum eſt. Secundus. Cùm aliquem conſenſum extorquet, ſed imperfectum: & hic eſt peccatum veniale. Tertius. Quando pleno conſenſu de re mortaliter malâ delectatur: & hic eſt peccatum mortale, tanquam primus peccati mortalis partus. Quia, ut dicebamus cum D. Tho. Q. 15. *de Verit. a.* 4. tunc primò ſe ſubjicit delectationi perverſæ, ex quo omnes aliæ inordinationes conſequuntur.

XXI. Dices ſecundò. Conſenſus in peccatum veniale non eſt, niſi venialis: ſed conſenſus in delectationem de re illicitâ, præciſus à voluntate exequendi eam, eſt venialis, cùm præcepta dentur ſolùm de opere, & voluntate ea exequendi; ergo &c.

XXII. Reſpondeo cum D. Tho. citatâ Q. 15. *de Verit. a. 4. ad 9.* neg. min. Nam *Conſenſus in delectationem prohibetur præcepto illo :* Non concupiſces. *Non enim ſinè cauſa de actu interiori, & exteriori concupiſcentia diverſa præcepta dantur in lege.* Addit præterea : *Nihilominus tamen ſi in nullo præcepto ſpeciali prohiberetur ; ex hoc ipſo, quòd fornicatio prohibetur, prohibentur omnia conſequentia, quæ ad idem genus pertinent.* Quia, ut ait ibi ad 12. *Converſio, qua quis poſt deliberationem ad aliquid de genere mali convertitur, ſufficit ad rationem peccati mortalis; quamvis poſt hanc completionem aliqua alia completio addi poſſit.* Videatur etiam in 2. *diſt. 24. q. 3. a. 4. ad 4.*

XXIII. Dices tertiò. Deus pronior eſt ad præmiandum, quàm ad puniendum: ſed ſi aliquis in meditatione divinorum præceptorum delectaretur, & in talem delectationem conſentiret, nec tamen haberet voluntatem ea opere implendi, non mereretur præmium; ergo nec ille meretur pœnam, qni in delectationem peccati conſentit, ſi non proponat, illud committere.

XXIV. Reſpondeo cum D. Thoma Q. 15. de Verit. a. 4. ad 13. *Quòd ſicut dicit Dionyſ. cap. 4. de Divin. Nomin. Bonum cauſatur ex una tota, & perfectâ cauſâ, ſed malum ex ſingularibus defectibus: & ita plura requiruntur ad hoc, quòd aliquid ſit bonum meritorium, quàm ad hoc, quòd ſit malum demeritorium; quamvis* (Deus) *ſit pronior ad remunerandum bona, quàm ad uniendum mala. Unde conſenſus delectationis, ſinè conſenſu operis, non ſufficit ad merendum; ſufficit autem ad demerendum.*

XXV. Dices quartò. Quando conſenſus fertur in ſolam delectationem, perinde eſt, ac ſi cibum vetitum ſola mulier comederet, ut tradit Auguſt. *l. 12. de Trinit. c. 12.* ſed ſolâ muliere comedente, vir non fuiſſet mortuus; ergo per conſenſum in ſolam delectationem non peccatur ad mortem.

XXVI. Reſpondeo, diſparem eſſe rationem. Nam mulier, & vir erant diſtinctæ perſonæ, quarum una potuiſſet damnari ſinè altera. Ratio autem inferior, quæ mulieri, & ratio ſuperior, quæ viro comparatur, ad unam, eamdemque perſonam pertinent. Unde S. Auguſt. citato capite: *Neque enim* (inquit) *ſicut in illis duobus primis hominibus perſonam ſuam quiſque portabat: & ideo ſi ſola mulier cibum ediſſet illicitum, ſola utique mortis ſupplicio plecteretur: ita dici poteſt in homine uno, ſi delectationibus illicitis, à quibus ſe continuò deberet avertere cogitatio, libenter ſola paſcatur, nec facienda decernantur mala, ſed tantùm ſuaviter in recordatione teneantur, quaſi mulierem ſinè viro poſſe damnari: abſit hoc credere. Hæc quippe una perſona eſt, unus homo eſt, totuſque damnabitur; niſi hæc, quæ ſinè voluntate operandi, ſed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi, ſolius cogitationis ſentientur eſſe peccata, per Mediatoris gratiam remittantur.* Quibus nihil apertius pro noſtra aſtruendâ ſententiâ

XXVII. Dices quintò. Oratio Dominica quotidie dicitur pro remiſſione venialium, teſte Auguſt. *in Enchirid. c. 78.* ſed conſenſum in delectationem eſſe abolendum, per orationem Dominicam, docet *lib. 12. de Trinitate cap. 12.* citato, dicens: quòd hoc eſt peccatum *longè minus, quàm ſi ſtatuatur opere implendum; & ideo de talibus quoque cogitationibus venia petenda eſt, pectuſque tundendum, atque dicendum :* Dimitte nobis debita noſtra &c.

XXVIII. Reſpondetur, neg. maj. cum D. Tho. hoc a. 8 ad 5. *Oratio* enim *Dominica non ſolùm contra peccata venialia dicenda eſt, ſed etiam contra mortalia.* Et idem S. Auguſt. in Enchirid. c. 71. *Debet* (inquit) *omnino hæc oratio minima, & quotidiana peccata: debet & illa, à quibus vita Fidelium ſceleratè etiam geſta, ſed pœnitendo in melius mutata diſcedit.* Quòd verò

Digitized by Google

verò peccata ſolius delectationis longè ſint minora peccatis operis, non arguit, ea eſſe ſolùm venialia. Nam etiam inter peccata mortalia peccata operis graviora ſunt in malitia peccatis ſolius delectationis.

QUÆSTIO VI.

De Cauſis Peccatorum Actualium.

DE cauſis peccatorum agit D. Th. hàc 1. 2. *à qu.* 75. uſque ad 80. Dixi actualium: quia de peccato originali jam egimus *Tom. 6. in 1. p.* Cauſæ ergo peccati actualis, aliæ ſunt internæ, quæ intra hominem exiſtunt: aliæ externæ, quæ extra ipſum exiſtunt. Primi generis ſunt tres: ignorantia ex parte intellectus; concupiſcentia ex parte appetitus; & malitia ex parte voluntatis. Secundi generis tres quoque excogitari poſſunt: nempe, Deus unâ cum voluntate ad actum peccaminoſum concurrens; Diabolus, ipſum perſuadens; & primus parens peccatum propagatione traducens. De hac ultimâ causâ egimus. Modò de duabus prioribus agendum eſt.

DUBIUM I.

De Cauſis Interioribus Peccatorum.

§. I.

Quædam Præmittuntur.

I. PRæmittit S. Thom. hàc *q.* 75. *a.* 1. quòd cùm in peccato ſit actus, & ſit inordinatio; eſt enim actus inordinatus; ex parte actus habet cauſam efficientem per ſe, ſicut quilibet alius actus: ex parte inordinationis habet cauſam ſolùm per accidens, ſicut quælibet privatio, vel negatio. Porro, quia omnis cauſa per accidens reducitur in aliquam cauſam per ſe; & quia cauſa per ſe actus, ad quem ſequitur inordinatio, eſt creata voluntas, concludit: *Sic igitur voluntas carens directione regulæ rationis, & legis divinæ, intendens aliquod bonum commutabile, cauſat actum quidem peccati per ſe; ſed inordinationem actus per accidens, & præter intentionem: provenit enim defectus ordinis in actu ex defectu directionis in voluntate.*

II. Doctrinam hanc indicavit S. Auguſt. *L.* 12. *de Civit. Dei c.* 6. ubi cum præmiſiſſet, voluntatem ſuâ naturâ bonam eſſe; res etiam, ad quas convertitur, bonas eſſe: *Quomodo* (inquit) *res bona efficiens eſt voluntatis malæ?* Cui reſpondet: *Cum enim ſe voluntas, relicto ſuperiore, ad inferiora convertit, efficitur mala: non quia malum eſt, quò ſe convertit; ſed quia perverſa eſt iſta converſio.* Hoc eſt: non quia mala ſit in eſſe naturæ res, ad quam convertitur; ſed quia inordinatè ad eam convertitur, hoc eſt, relicto ſuperiore. Et ponit exemplum in duobus eamdem mulieris pulchritudinem intuentibus, animo æqualiter affectis; quorum unus pudicè eam conſpicit, alter impudicè eam concupiſcit: cujus cauſa non eſt ipſa pulchritudo, quæ eadem præſentatur utrique; nec natura voluntatis, vel animi, quæ æqualis eſt in utroque: ſed quia unus ad eam inordinatè convertitur, alter non.

III. Hinc infert idem S. Doct. ibi c. 7. *Nemo igitur quærat efficientem cauſam malæ voluntatis: non enim eſt efficiens, ſed deficiens; quia nec illa effectio eſt, ſed defectio. Deficere namque ab eo, quod ſummè eſt, ad id, quod minus eſt, hoc eſt incipere habere voluntatem malam. Cauſas porrò defectionum iſtarum, cùm efficientes non ſint, ut dixi, ſed deficientes; velle invenire, tale eſt, ac ſi quiſquam velit videre tenebras, vel audire ſilentium. Quod tamen utrumque nobis notum eſt: neque illud niſi per oculos, neque hoc niſi per aures; non ſanè in ſpecie, ſed in ſpeciei privatione.*

IV. Quòd ſi quæratur: Unde habeat voluntas creata, quòd ſit cauſa

P 2 defi-

deficiens? — Reſpondet idem S. Auguſt. citato *l. 12. de Civit. Dei c. 6.* & *l. 14. c. 13.* id propterea eſſe, quia de nihilo facta eſt: *Ut natura ſit* (inquit) *ex eo habet, quòd à Deo facta eſt: ut autem ab eo, quod eſt, deficiat, ex hoc, quòd de nihilo facta eſt.*

V. Præmittit ſecundò S. Thomas hac *q. 75. a. 2.* cauſam interiorem hujus defectus eſſe duplicem: unam mediatam, & remotam; & hanc eſſe apprehenſionem ſenſitivæ partis, & appetitum ſenſitivum: alteram immediatam, ſeu proximam; & hanc eſſe intellectum, & voluntatem: ita ut in univerſum ſint quatuor cauſæ peccati; quæ tamen non omnes ſemper ad omne peccatum concurrunt, ſed interdum omnes, interdum aliquæ. Quando ergo omnes interveniunt, hoc ordine concurrunt. Primò ſenſus proponit objectum delectabile appetitui: deinde appetitus, dum in illud inclinatur, quodammodo tradit, movens rationem, ut & ipſa approbet id, cui ipſe afficitur: tùm ratio ceſſans à conſideratione regulæ debitæ, illud approbat, ac voluntati præſentat; voluntas verò conſentiendo perficit, ſeu complet rationem peccati.

§. II.

An Ignorantia ſit Cauſa Peccati &c.

VI. IGnorantiam eſſe unum ex effectibus peccati originalis, oſtendimus Tomo 6. *in 1. P. Q. 10. de Effectibus Peccati Origin. Dub. 1. §. 2.* Quænam inſuper ignorantia excuſet à peccato actuali, quænam verò non, abundè expoſuimus Tomo præcedente *Tract. de Actibus humanis Q. 1. de Voluntario. Dub. 7.* Modò cùm D. Tho. *1. 2. q. 76. a. 1.* quærendum eſt: an ſit cauſa peccati; & cum eodem *a. 2.* an ſit peccatum; & *a. 3. & 4.* an excuſet, vel ſaltem diminuat peccatum.

VII. Circa primum. Ignorantiam eſſe cauſam peccati, docere videtur S. Auguſt. *lib. de Nat. & Gratiâ c. 67.* & apertè teſtantur Scripturæ. Actorum enim 3. *v. 17.* dicit S. Petrus: *Scio, quia per ignorantiam feciſtis, ſicut & Principes veſtri.* Et 1.*Cor.* 2. *v.* 8. Paulus ait: *Si enim cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* Ad Epheſ. 4. v. 18. *Alienati à vita Dei per ignorantiam.*

VIII. Quia tamen ignorantia eſt quædam privatio, nimirùm, defectus cognitionis, docet D. Thomas hìc *a. 1.* ignorantiam non poſſe eſſe cauſam peccati, niſi per accidens; quatenus, ſcilicet, removet ſcientiam, quæ ſi adeſſet, peccatum prohibuiſſet: *Unde patet* (inquit S. D.) *quòd non qualibet ignorantia peccantis eſt cauſa peccati; ſed illa tantùm quæ tollit ſcientiam prohibentem actum peccati. Unde ſi voluntas eſſet ſic diſpoſita, quòd non prohiberetur ab actu parricidii, etiamſi patrem agnoſceret; ignorantia patris non eſt huic cauſa peccati, ſed concomitanter ſe habet ad peccatum: & ideo talis non peccat propter ignorantiam, ſed peccat ignorans.* Ignorantia ergo, quæ eſt cauſa peccati, eſt, quæ ſi non eſſet, actus ille non fieret: ſive ſit ignorantia antecedens, & prorſus involuntaria; Sive ſit conſequens voluntatem, & proinde voluntaria; ſive ſit ignorantia principii univerſalis, ſive ſingularis. *Homo* enim (ait D. Tho.) *prohibetur ab actu parricidii per hoc, quòd ſcit, patrem non eſſe occidendum, & per hoc, quòd ſcit, hunc eſſe patrem.* Et concludit: *Utriuſque ergo ignorantia poteſt cauſare parricidii actum: ſcilicet, & univerſalis principii, quod eſt quædam regula rationis; & ſingularis circumſtantia.* Aliter tamen cauſa eſt ignorantia antecedens, aliter conſequens. Nam antecedens eſt cauſa peccati materialiter; inquantùm eſt cauſa talis actus, qui peccatum eſſet, niſi per ignorantiam tolleretur ab eo ratio peccati. Ignorantia verò conſequens, quæ nimirùm voluntatem conſequitur, & voluntaria eſt, cauſa eſt peccati propriè, & formaliter;

Digitized by Google

ter; quia actus, qui ex ea ſequitur, ſimpliciter voluntarius eſt, & proinde propriè peccatum, quamvis ſit ſecundùm quid involuntarius; quia ſi ſcientia adfuiſſet, ejuſmodi actus non fuiſſet ſecutus: quia tamen ſcientiam, uti poterat, & debebat, acquirere neglexit; ideo ignorantia, & actus ex illa ſecutus imputatur ipſi.

IX. Circa ſecundum. An ignorantia ſit peccatum, reſolvit D. Thom. hìc a. 3. *Quòd nulla ignorantia invincibilis eſt peccatum: ignorantia autem vincibilis eſt peccatum, ſi ſit eorum, quæ aliquis ſcire tenetur; non autem ſit eorum, quæ quis ſcire non tenetur.* Prior pars à nobis fuit abundè ſtabilita contra Janſenium *Tract. de Voluntario Q.* 1. *Dub.* 7. §. 4. 5. *&c.* utramque verò partem probat hìc S. D. ſic. Ignorantia tunc imputatur homini ad culpam, quando negligit ſcire ea, quæ poteſt, ac tenetur ſcire: ſed ignorantia invincibilis eſt eorum, quæ quis non poteſt ſcire; ergo tunc ſolùm ei imputatur, quando ignorat id, quod poteſt, ac tenetur ſcire, ſeu quando negligit ſcire, quod poteſt, & debet ſcire: quæ eſt ignorantia vincibilis.

Ea autem homo ſcire tenetur (inquit S. D.) *ſinè quorum ſcientiâ non poteſt debitum actum rectè exercere. Unde omnes tenentur ſcire ea, quæ ſunt fidei, & univerſalia juris præcepta: ſinguli autem ea, quæ ad eorum ſtatum, vel officium ſpectant. Quædam verò ſunt, quæ etſi aliquis natus eſt ſcire, non tamen ea ſcire tenetur; ſicut theoremata geometriæ, & contingentia particularia, niſi in caſu.* Hinc ignorantia culpabilis eſt in Chriſtiano, qui neſciat myſteria fidei, qui ignoret præcepta juris naturalis ad benè componendos mores; & in homine ad aliquod officium deſtinato, ſi neſciat, quæ ſui officii ſunt: ut in Parocho, ſi neſciat, quæ Parochi ſunt, in Epiſcopo, quæ ſunt Epiſcopi. Alia namque tenetur ſcire Parochus, quàm parochiani, & alia Epiſcopus, quàm Parochus. Idem docet Q. 3. *de Malo a.* 7. Unde ait hìc S. D. *Manifeſtum eſt ... quòd quicumque negligit habere, vel facere id, quod tenetur habere, vel facere, peccat peccato omiſſionis.*

X. Advertendum propterea eſt cum eodem Q. 3. citatâ de Malo a. 7. *Quòd ignorantia poteſt conſiderari tripliciter. Uno modo ſecundùm ſe; & ſic non habet rationem culpæ, ſed pœnæ.... Alio modo poteſt conſiderari talis ignorantia per comparationem ad cauſam; ſicut enim cauſa ſcientiæ eſt applicatio animi ad ſciendum; ita cauſa ignorantiæ eſt, animum ad ſciendum non applicare: & hoc ipſum, quod eſt non applicare animum ad ſciendum id, quod quis debet ſcire, eſt peccatum omiſſionis. Unde ſi talis privatio cum cauſa præcedente accipiatur, erit peccatum actuale per modum, quo omiſſio peccatum dicitur. Tertio modo poteſt conſiderari talis ignorantia per comparationem ad id, quod ex cauſa ſequitur; & ſic quandoque eſt cauſa peccati.*

XI. Advertendum eſt etiam: quòd cùm cauſa, cur ignorantia eſt peccatum, ſit negligentia applicandi animum ad ſciendum ea, quæ quis ſcire tenetur, quæ negligentia eſſe debet aliquo modo voluntaria; ideo, ut ignorantia ſit imputabilis, debet eſſe aliquomodo conjuncta cum voluntate negligentia: ita ut ex negligentia, & ignorantiâ unum peccatum conſtituatur; ſicut ex actu imperante, & imperato unum peccatum fit: juxta celebre Auguſtini dictum lib. 1. de lib. Arb. c. 19. *Non tibi imputatur ad culpam, quòd invitus ignoras, ſed quòd negligis quærere, quod ignoras.* Quapropter *L. de Gratia, & libero arbitrio cap.* 3. non abſolvit eos à culpa, qui dicunt, ſe non credidiſſe, quia non audierunt: quia in eis voluntariam aliquam negligentiam cauſam fuiſſe, cur non audierint, ſupponit.

XII. Nec tamen ſequitur, quòd toto eo tempore homo peccet, quo in eo manet talis negligentia ſciendi ea, quæ ſcire tenetur: ſed ſolùm pro eo tem-

tempore, quo urget præceptum ſciendi. Ut enim docet S. Thom. Q. 3. *de Malo a. 7. ad* 12. & hoc a. 2. ad 5. *Sicut in aliis peccatis omiſſionis ſolo illo tempore homo actu peccat, pro quo præceptum affirmativum obligat: ita eſt etiam de peccato ignorantiæ. Non enim continuò ignorans actu peccat; ſed ſolùm quando eſt tempus acquirendi ſcientiam, quam habere tenetur.*

XIII. Circa tertium. An ignorantia ex toto à peccato excuſet, reſolvit S. Thom. hâc *q. 76. a.* 3. primò. Quòd ignorantia, quæ eſt cauſa actus peccati, ſi ſit prorſus involuntaria, ſive quia eſt invincibilis; ſive quia eſt ejus, quod quis ſcire non tenetur, omnino excuſat à peccato: quia tunc homo ſic facit talem actum ex ignorantia; ut ſi ſciret, eum eſſe prohibitum, nullo modo faceret. Quo pacto Theologi excuſant Noè inebriatum *Gen.* 9. & Jacob cognoſcentem Liam *Gen.* 29. Si tamen ignorantia, quæ eſt cauſa actus, ſit ſolùm de circumſtantia actus; excuſat quidem, ſi ſit invincibilis, totaliter à malitia, quæ eſt ex circumſtantia, non à malitia, quæ eſt ex ſubſtantia actus. Sic Judas *Gen.* 38. accedens ad mulierem, quam ignorabat, eſſe ſuam nurum Thamar, non ignorabat tamen, quòd non eſſet ſua uxor, eſtò non fuerit reus inceſtus, ſi ejus ignorantia fuit invincibilis, ut ſupponitur; fuit tamen reus fornicationis. Sic etiam (eſt exemplum D. Th. hìc) ſi quis injuſtè percutiat, & occidat eum, quem ſcit quidem, eſſe hominem, ſed invincibiliter ignorat, eſſe ſuum patrem, quod eſt circumſtantia conſtituens novam ſpeciem peccati, eſtò excuſetur à culpa parricidii; à peccato tamen homicidii non excuſatur: quia adhuc occidit hominem, ſciens, eum eſſe hominem.

XIV. Secundò. Reſolvit, quòd ſi ignorantia, quæ eſt cauſa peccati, ſit voluntaria: *vel directè, ſicut cum aliquis ſtudiosè vult neſcire aliqua, ut liberiùs peccet: vel indirectè, ſicut cum aliquis propter laborem, vel propter alias occupationes negligit addiſcere id, per quod à peccato retraheretur: talis enim negligentia facit, ignorantiam ipſam eſſe voluntariam, & peccatum; dummodo ſit eorum, quæ quis ſcire tenetur, & poteſt.* Hæc tamen ignorantia indirectè ſolùm voluntaria, ſicut non nihil diminuit de voluntario; ita aliquid diminuit de gravitate peccati, intra tamen idem genus: unde ſi actus eſt ex genere peccatum mortale, non facit, ut ſit veniale; ſed ſolùm, ut in genere mortalis non ſit ita grave. Ignorantia verò directè volita non ſolùm non minuit, ſed auget potiùs peccatum. Quare D. Thom. Q. 3. de Malo a. 8. *Cum ergo* (inquit) *aliquis directè vult ignorare, ut à peccato per ſcientiam non retrahatur; talis ignorantia non excuſat peccatum, nec in toto, nec in parte, ſed magis auget: ex magno enim amore peccandi videtur contingere, quòd aliquis detrimentum ſcientiæ pati velit, ad hoc, quòd liberè peccato inhæreat.*

§. III.

An Concupiſcentia, ſeu Paſſio ſit Cauſa Peccati?

XV. Concupiſcentiam eſſe cauſam peccati, oſtenſum eſt *T. 6. q. 8. de Peccato origin. quoad eſſentiam Dub.* 2. §. 3. ubi eam non eſſe formaliter peccatum originale, ſed à peccato eſſe, & ad peccandum incitare, contra Acatholicos modernos, probavimus, Et quidem hoc Scriptura teſtatur: tùm Daniel. 13. v. 56. *Concupiſcentia ſubvertit cor tuum*: tùm Jacobi 1. v. 14 *Unuſquiſque verò tentatur à concupiſcentia ſuâ abſtractus, & illectus*: & v. 15. *Deinde concupiſcentia, cùm conceperit, parit peccatum.* Quod teſtatur experientia pugnæ carnis contra ſpiritum; de qua Paulus *Roman. 7. & Galat.* 5.

XVI. Hoc idem docet S. Thom. hìc *q. 77. a.* 1. ubi dicit, paſſionem appetitus ſenſitivi, eſtò non directè,

indi-

indirectè tamen poſſe movere voluntatem ad peccandum duobus modis. Primò. Abſtrahendo mentem à conſideratione ejus, quod recta ratio dictat; præſertim quando motus ejus ſunt vehementiores: per illam enim vehementiam contingit, quòd ratio circa proprium objectum vel ceſſet operari, vel languidè operetur: quia, cùm *omnes potentiæ animæ in una eſſentia animæ radicentur; neceſſe eſt, quòd quando una potentia intenditur in ſuo actu, altera in ſuo actu remittatur; vel etiam totaliter in ſuo actu impediatur*: Proinde fit, ut homo paulatim impetum paſſionis ſequatur, ac tandem formet judicium practicum paſſioni conſentaneum; ex cujus dictamine poſtea voluntas operetur: ut manifeſtum eſt in iis, qui vel irâ, vel concupiſcentiâ ardent. — Secundò. Quia paſſionem appetitus ſenſitivi ſequitur vehemens apprehenſio in imaginativa: *ſicut etiam diſpoſitionem linguæ ſequitur judicium guſtus; unde videmus, quòd homines in aliqua paſſione exiſtentes non facilè imaginationem avertunt ab his, circa quæ afficiuntur*, eumque judicium rationis, & ſubinde motus voluntatis plerumque ſequatur judicium appetitus ſenſitivi; fit, ut inordinatio imaginationis ex paſſione, cauſet inordinatum judicium in ratione, & motum inordinatum in voluntate, quæ nata eſt ſequi judicium rationis.

XVII. Inde fit etiam, ut ait D. Th. hoc *art.* 2. quòd *ille, qui eſt in paſſione conſtitutus, non conſiderat in particulari id, quod ſcit in univerſali, inquantùm paſſio impedit talem conſiderationem*: ſive quia per paſſionem mens diſtrahitur, ut dictum eſt: ſive quia paſſio plerumque inclinat in contrarium ejus, quod ſcientia univerſalis habet; ſive per quamdam immutationem corporalem, *ex qua ratio aliquomodo ligatur, ne liberè in actum exeat: ſicut etiam ſomnus, vel ebrietas, quadam corporali tranſmutatione factâ, ligat uſum rationis. Et quòd hoc contingat in paſſionibus, patet ex hoc, quòd aliquando cum paſſiones multùm intenduntur, homo amittit totaliter uſum rationis.*

XVIII. Quomodo autem is, qui habet ſcientiam in univerſali, puta, non eſſe fornicandum, poſſit in particulari concludere, eſſe fornicandum; exponit S. Thomas *art.* 2. *citato ad* 4. dicens: *Quòd ille, qui habet ſcientiam in univerſali, propter paſſionem impeditur, ne poſſit ſub illa univerſali ſumere, & ad concluſionem pervenire: ſed aſſumit ſub alia univerſali, quam ſuggerit inclinatio paſſionis, & ſub ea concludit. Unde Philoſoph. dicit in* 7. *Ethic.* (cap. 3.) *quòd ſyllogiſmus incontinentis habet quatuor propoſitiones, duas particulares, & duas univerſales: quarum una eſt rationis, puta: nullam fornicationem eſſe committendam; alia eſt paſſionis, puta: delectationem eſſe ſectandam. Paſſio igitur ligat rationem, ne aſſumat, & concludat ſub prima: unde eâ durante aſſumit, & concludit ſub ſecunda.* Hoc teſtatur Paulus *Rom.* 7. *v.* 22. & 23. dum ait: *Condelector enim legi Dei ſecundùm interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis.*

XIX. Ne tamen hinc inferas, quòd ſi paſſio taliter ligat rationem, jam actio ſequens non imputabitur ad peccatum, ſaltem mortale, quia neceſſaria, non libera; monet D. Tho. Q. 3. de Malo a. 10. *Quòd neceſſitas, quæ eſt ex ſuppoſitione alicujus, quod ſubjacet voluntati, non tollit rationem peccati mortalis: ſicut ſi gladius infigatur alicui in membris vitalibus, neceſſe eſt, quòd moriatur; ſed infixio cultelli eſt voluntaria. Unde mors illius, qui cultello percutitur, imputatur percutienti ad culpam mortalem. Similiter dicendum eſt in propoſito. Poſito enim, quòd ratio ſit ligata per paſſionem, neceſſe eſt, quòd ſequatur perverſa electio: ſed in poteſtate voluntatis eſt, hoc ligamen rationis repellere. Dictum eſt enim, quòd*

ratio ligatur ex hoc, quòd intentio animæ applicatur vehementer ad actum appetitus ſenſitivi: unde avertitur à conſiderando in particulari id, quod habitualiter in univerſali cognoſcit. Applicare autem intentionem ad aliquid, vel non applicare, in poteſtate voluntatis exiſtit. Unde in poteſtate voluntatis eſt, quòd ligamen rationis excludat. Actus ergo commiſſus, qui ex tali ligamine procedit, eſt voluntarius; unde non excuſatur à culpa etiam mortali (hoc idem repetit ibi *ad* 1. *&* 2.) Addit tamen, quòd *ſi ligatio rationis per paſſionem intantùm procederet, quòd non eſſet in poteſtate voluntatis hujuſmodi ligamen removere; puta, ſi per aliquam animæ paſſionem aliquis in inſaniam verteretur, quidquid committeret, non imputaretur ei ad culpam, ſicut nec alii inſano; niſi fortè quantùm ad principium talis paſſionis, quod fuit voluntarium: poterat enim voluntas à principio impedire, ne paſſio intantùm procederet. Sicut homicidium, per ebrietatem commiſſum, imputatur homini ad culpam; quia principium ebrietatis fuit voluntarium.*

XX. Ex his omnibus conſtat, quòd paſſio tunc ſolùm à peccato excuſat, quando eſt prorſus involuntaria, tàm in ſe, quàm in cauſa. Ita idem S. Doct. hàc *q.* 77. *a.* 7. non verò ſi ſit voluntaria, ſive in ſe, ſive in cauſa. An verò peccatum aliquomodo allevietur per paſſionem: reſpondet S. Doct. laudato loco *a.* 6. quòd paſſio, quæ eſt motus appetitus ſenſitivi, poteſt ſe habere ad rationem, & liberum arbitrium; vel antecedenter, nimirum, ſecundùm quòd trahit, vel inclinat rationem, & voluntatem: vel conſequenter *ſecundùm quòd motus ſuperiorum virium, ſi ſint vehementes, redundant in inferiores.* Paſſio ergo antecedenter ſe habens, diminuit rationem peccati; quia diminuit rationem voluntarii: *Paſſio* verò *conſequens non diminuit peccatum, ſed magis auget, vel potiùs eſt ſignum magnitudinis ejus; inquantùm ſcilicet demonſtrat intenſionem voluntatis ad actum peccati. Et ſic verum eſt, quòd quantò aliquis majori libidine, vel concupiſcentiâ peccat, tantò magis peccat.*

§. IV.

An Malitia ſit Cauſa Peccati?

XXI. PEccare ex malitia, ſeu ex induſtria, eſt ſcienter malum eligere, ait D. Tho. hìc *q.* 68. *a.* 1. non quia eligat malum ſub ratione mali; ſed quia etſi ſciat, ei bono commutabili, quod eligit, conjunctam eſſe rationem mali, nempe, averſionem à Deo, ac propterea quòd deberet ab eo abſtinere; motu tamen proprio mavult illud eligere. Unde D. Tho. Q. 3. de Malo a. 12. *Si ergo* (inquit) *contingat, quòd aliquis intantùm velit aliqua delectatione frui, puta, adulterii, vel quocumque ejuſmodi appetibili; ut non refugiat incurrere deformitatem peccati, quam percipit eſſe conjunctam ei, quod vult: non ſolùm dicetur velle illud bonum, quod principaliter vult; ſed etiam deformitatem, quam pati eligit, ne bono cupito privetur. Unde adulter, & delectationem vult quidem principaliter, & ſecundariò vult deformitatem..... ſed ad hoc, quòd aliquis intantùm velit aliquod bonum commutabile, quòd non refugiat averti à Deo bono incommutabili, poteſt contingere dupliciter. Uno modo, ex eo, quòd neſcit, illi bono commutabili talem averſionem eſſe conjunctam; & tunc dicitur ex ignorantia peccare. Alio modo, ex aliquo interiùs inclinante voluntatem in bonum illud. Invenitur autem aliquid in alterum inclinari dupliciter. Uno modo, quaſi ab alio paſſum; ſicut cum lapis projicitur ſurſum. Alio modo, ſecundùm formam propriam; ſicut cum lapis cadit deorſum. Et ſimiliter voluntas inclinatur ad bonum commutabile, cui adjungitur deformitas peccati: quandoque quidem ex aliqua paſſione; & tunc dicitur ex infirmitate peccare..... Aliquando autem ex aliquo habitu; quan-*

do

Digitized by Google

do per conſuetudinem inclinari in tale bonum, eſt ei jam verſum quaſi in habitum, & naturam: & tunc ex proprio motu, abſque aliqua paſſione, inclinatur ad illud. Et hoc eſt peccare ex electione, ſive ex induſtria, aut ex certa ſcientiâ, aut etiam ex malitia.

XXII. Ex qua D. Thom. doctrinâ apparet, quid interſit inter peccare ex infirmitate, & ex malitia: nimirum, quòd tunc peccatur ex infirmitate, quando voluntas movetur à paſſione: tunc verò peccatur ex malitia, quando voluntas à ſeipſa, ſeu ex prava ſui inclinatione movetur. Quod explicavit S. Doct. citato loco *ad* 5. dicens: *Cum dicitur aliquis peccare ex aliquo, datur intelligi, quòd illud ſit primum principium peccati. In eo autem qui peccat ex infirmitate, voluntas mali non eſt primum principium peccati, ſed cauſatur ex paſſione. Sed in eo, qui peccat ex malitia, voluntas mali eſt primum principium peccati: quia ex ſeipſa, & per habitum proprium inclinatur in voluntatem mali, non ex aliquo exteriori principio.*

XXIII. Dicit autem S. Doctor, eum, qui peccat ex habitu, nempe, eum, qui peccat, utens habitu vitioſo, peccare ex malitia; quia operatur quaſi connaturaliter, & delectabiliter: unicuique enim eſt per ſe diligibile id, quod eſt ei conveniens ſecundùm habitum proprium, ex quo agit. Id autem, quod eſt conveniens ſecundùm habitum vitioſum, eſt id, quod excludit bonum ſpirituale; ergo dum homo agit ſecundùm habitum vitioſum, eligit malum ſpirituale, ut adipiſcatur bonum, quod eſt ei conveniens ſecundùm habitum. Et ideo dicit Sanctus Doctor: qui peccat ex habitu, peccat ex malitia. Qui enim habet habitum vitioſum, non omnia operatur ex pravo habitu; ſed ſicut pravè habituatus poteſt non uti habitu pravo, & facere opus moraliter bonum: ita interdum peccare poteſt ex ignorantia, vel paſſione. Dicuntur autem ea, quæ ex habitu, vel conſuetudine fiunt, connaturaliter fieri, non quia liberè non fiant; ſed quia ſicut natura vehementer inclinat in id, quod eſt naturæ conveniens: ita habitus vehementer inclinat in ea, quæ ſunt ipſi convenientia. Quia tamen habitus recipitur in anima ſecundùm conditionem ejus, quæ libera eſt; ideo liberè utitur habitu, qui eſt in ipſa.

XXIV. Non eſt tamen neceſſe, ut qui peccat ex certa malitia, ſemper peccet ex habitu. Ita D. Tho. hìc *a.* 3. Et probatur primò. Sicut ſe habet habitus bonus ad electionem boni, ita habitus malus ad electionem mali: ſed quandoque aliquis, non habens habitum virtutis, eligit id, quod eſt bonum ſecundùm virtutem: ut manifeſtum eſt in pœnitentibus, qui priuſquam juſtificentur, & habitum caritatis recipiant, Deum tamquam juſtitiæ fontem diligere incipiunt; ergo etiam quandoque aliquis, non habens habitum vitioſum, poteſt eligere malum, quod eſt ex certa malitiâ peccare.

XXV. Confirmatur. Tunc aliquis ex certa malitiâ peccat, quando ejus voluntas ex ſeipſa primò deordinat, & movetur ad malum: ſed voluntas ejus, qui nullum pravum habitum habet, ex ſe, hoc eſt, non ex paſſione, vel ignorantiâ moveri poteſt ad malum; ergo &c. Et conſtat in Angelis, quorum primum peccatum non fuit ex ignorantia, aut paſſione, ſed ex certa malitia: & tamen in eis nullus habitus pravus præceſſerat.

XXVI. Ex dictis infertur, peccata, quæ ex certa malitiâ, & certâ ſcientiâ committuntur, cæteris paribus, eſſe graviora, quàm ea, quæ committuntur ex ignorantia, vel paſſione. Ita S. Tho. hâc *q.* 78. *a.* 4. & Q. 3. *de Malo a.* 13. Et probatur primò. Quia ſunt magis voluntaria: quantò autem motus peccati eſt magis proprius voluntati, ſeu magis habet de voluntario, tantò gravius eſt. — Secundò. Quia paſſio, quæ inclinat ad peccandum, cito tranſit; & ſic

& ſic homo cito redit ad bonum propoſitum, pœnitens de peccato: ſed habitus, quo homo ex malitia peccat, eſt qualitas permanens: & ideo qui ex malitia peccat, diuturniùs peccat. — Tertiò. Quia *qui peccat ex infirmitate, habet voluntatem ordinatam in bonum finem: bonum enim proponit, & quærit; ſed interdum recedit à propoſito propter paſſionem. Sed ille, qui peccat ex malitia, habet voluntatem ordinatam in malum finem: habet enim firmatum propoſitum ad peccandum. Manifeſtum eſt autem, quòd finis in appetibilibus, & operabilibus ſe habet, ſicut principium in ſpeculativis, ut Philoſ. dicit in 2. Phyſ. Ille autem graviſſimè ignorat, & periculoſiſſimè, qui errat circa principia: quia talis non poteſt reduci per aliqua principia priora. Ille autem, qui errat tantùm circa concluſiones, poteſt reduci per principia, in quibus non errat. Sic ergo graviſſimè, & periculoſè peccat, qui peccat ex malitia, & non poteſt de facili revocari; ſicut revocatur ille, qui peccat ex infirmitate, in quo ad minus manet bonum propoſitum.* Ita S. Tho. qu. 3. citata de Malo.

XXVII. Nec refert, quòd peccans ex paſſione, peccet eligendo, & quandoque ex majori impulſu procedat, quàm qui peccat ex habitu; & proinde ex malitia.

Nam, ut ait D. Tho. hâc q. 78. a. 4. ad 3. *Aliud eſt peccare eligentem, & aliud peccare ex electione. Ille enim, qui peccat ex paſſione, peccat quidem eligens, non tamen ex electione; quia electio non eſt in eo primum peccati principium: ſed inducitur ex paſſione ad eligendum id, quod extra paſſionem exiſtens non eligeret. Sed ille, qui peccat ex certa malitiâ, ſecundùm ſe eligit malum.... Et ideo electio, quæ eſt in ipſo, eſt principium peccati: & propter hoc dicitur ex electione peccare.* Quòd verò impulſio ex paſſione interdum ſit vehementior, non auget peccatum: quia, ut ait S. Doct. citatus ad 2. *Impulſio, quæ eſt ex paſſione, eſt quaſi ab exteriori reſpectu voluntatis; ſed per habitum inclinatur voluntas, quaſi ab interiori.* Quod docet etiam citata Q. 3. *de Malo a. 13. ad 5.*

DUBIUM II.

An Deus ſit Cauſa Peccati?

§. I.

Aliqua Præmittuntur.

I. IN peccato actuali commiſſionis duo ſunt; materiale, nempe, actio; & formale, nempe, deformitas. De hoc ſecundo, in quo formaliter ſiſtit peccatum, agit D. Tho. hìc *qu. 79. a. 1.* & *Qu. 3. de Malo a. 1.* De priori verò citatâ *q. 79. a. 2.* & *Qu. 3. de Malo a. 2.* In hoc Dubio agemus de peccato pro formali: an ejus cauſa, vel auctor ſit Deus. Et de peccato pro materiali, idest, an Deus ſit cauſa actionis peccati, agemus in ſequenti.

II. Primum, qui omnium malorum Deum cauſam eſſe aſſeruit, fuiſſe Simonem Magum, teſtatur Lirinenſis *Commonitorio adversùs prophanas vocum novitates:* ait enim: *Quis ante Magum Simonem Apoſtolicâ diſtrictione percuſſum, à quo vetus ille turpitudinis gurges uſque ad noviſſimum Priſcillianum continuâ, & occultâ ſucceſſione manavit, auctorem malorum, ideſt ſcelerum, impietatum, flagitiorumque noſtrorum auſus eſt dicere Creatorem Deum?* Verùm, præter Lirinenſem, nullus Patrum, nec S. Aug. *Lib. de Hæreſ. cap. 1.* hunc errorem Simoni impingit. Imò cùm Simon negaret, Mundum eſſe creatum à Deo, ſed ab Angelis, vel aliis virtutibus; credere par eſt, eum potiùs mala refudiſſe in has creatrices virtutes: ſicque præluſiſſe errori, quem poſtea amplexati ſunt Manichæi, & alii, duos Deos ſomniantes, unum bonum, & bonorum omnium effectorem, alterum malum, & malorum omnium cauſam.

III.

Digitized by Google

III. Florinus tamen, & Blaſtus hæretici ſecundi ſeculi, contra quos ſcripſit Irenæus, Deum cauſam, & auctorem peccati eſſe dixerunt; nullâ factâ diſtinctione Dei boni, & mali. Ita refert Euſebius *Lib. 5. Hiſt. c. 20.* his verbis: *Adversùs autem illos, qui ſinceram Eccleſiæ legem adulterabant, Irenæus varias conſcripſit Epiſtolas. Alteram ad Blaſtum, quam inſcripſit de Schiſmate: alteram ad Florinum, de Monarchia, ſeu quòd Deus non ſit Conditor malorum. Eam enim opinionem hic defendere videbatur.*

IV. Ex recentioribus autem hæreticis, qui omnes antiquos errores extumularunt, Calvinus, Deum peccati cauſam, & auctorem facit: quod quamvis ipſe verbis negare videatur alicubi, alibi tamen fatetur; ut oſtendi in *Vera Eccleſia Tom. 1. c. 12. §. 2. & 3.* Affirmat enim Calvinus, Deum eſſe peccatorum cauſam principalem, homines verò, & Diabolum eſſe ſuos miniſtros *Lib. 1. Inſtit. cap. 18. §. 1.* ubi loquens de Diabolo, & ſceleſtis hominibus, qui Job afflixerunt: *Molitur* (inquit) *Satan ſanctum virum deſperatione adigere in furorem. Sabæi crudeliter, & impiè in aliena bona prædando involant... ergo quidquid agunt homines, vel Satan ipſe, Deus tamen clavum tenet, ut ad exequenda ſua judicia convertat eorum conatus.* Inde enumeratis aliis flagitiis, ad inceſtum Abſalonis veniens, ait: *Abſalon inceſto coitu patris torum polluens, deteſtabile ſcelus perpetrat; Deus tamen hoc opus ſuum eſſe pronunciat.* Et §. 3. ſupradictâ Theologorum diſtinctione, Deum ſcilicet, peccata quidem permittere, ſed poſitivè non velle, aut efficere, ait: *Et jam ſatis oſtendi, Deum vocari omnium eorum auctorem, quæ iſti cenſores volunt, otioſo tantùm ejus permiſſu contingere.* Tantæ tamen blaſphæmiæ horrore deterritus, vel potiùs Libertinorum convitia, eam ipſi exprobrantium, declinare volens Calvinus, in *Admonitione* contra ipſos, & in *Præfat. libri de Æterna prædeſt.* maculam iſtam à ſe avertere conatur. Sed is eſt hæreticorum mos, affirmare, & negare, prout libet. Quando Calvinus egit contra Catholicos, contra puram Dei permiſſionem apertè aſſeruit, non otioſo tantum permiſſu, ſed Dei voluntate, & decreto fieri peccata; Deum eſſe auctorem omnium flagitiorum, non nudum permiſſorem. Cùm verò poſtea Libertini (Lutheri partim, & Calvini ſoboles) hanc ejus doctrinam evulgare cœperunt; ſentiens, eam omnium deteſtatione, velut impiam, ac blaſphemam reprobari, verſis velis, eam, ac ſeipſum cæpit oppugnare.

V. Quidquid tamen obſtrepant ejus gregales, Calvinum ſenſiſſe Deum auctorem, & cauſam eſſe peccatorum, oſtenditur. Primò, ex verbis ejuſdem ſupra recitatis. Secundò, rationibus, quæ in doctrina ejus fundantur. Nam ipſe primò docet, Deum ab æterno prædeſtinaſſe peccata Adæ, & aliorum hominum æterno ſuo conſilio, ac voluntate. Secundò: Deum in tempore Diabolum impellere, ut nos inducat ad peccandum; imò etiam occultâ vi nos movere, ac neceſſitare ad peccandum. Tertiò: Peccata nobiſcum ita effectivè, ac phyſicè producere, ut dici poſſint opera Dei; & ipſe Deus ſit principalis cauſa, Diabolus autem, & homines miniſterialis. Sed qui primò decernit, efficaciter impellit, movet, neceſſitat, ac efficit aliquod opus ut cauſa principalis, præcipuus eſt auctor illius operis; ergo hac doctrinâ poſitâ, negari non poteſt, quin Deus ſit auctor peccati. Videndus eſt Calvinus *Lib. 1. Inſt. cap. 18. §. 1. 2. & 3.* citatis.

VI. Qui verò ex ſchola Societatis communiter volunt, Deum præparare, ac nobis exhibere ſuam omnipotentiam per decretum indifferens, tàm ad actum bonum, quàm ad actum malum; quâ propoſitione ſuppoſitâ, relinquitur in arbitrio libertatis creatæ determinare tàm ſeipſam, quàm omnipotentiam, & reliqua comprincipia

Digitized by Google

ad partem, quam ipſa maluerit, nempe, vel ad actum bonum, vel ad actum malum: dicunt, omnipotentiam determinatam ad actum malum concurrere cum voluntate ad actum malum, etiam ad malitiam, concurſu phyſico, cum hac tamen differentiâ; quòd non influit ex propria, ſed ex aliena determinatione; ſic, ut malitia ſit quidem à Deo influxivè, ſed à voluntate creata determinativè. Ex quo inferunt, exiſtentiam actus mali præ bono, vel è contra, non eſſe immediatè liberam Deo, ſed ſolùm mediatè; ratione decreti præparativi indifferenter omnipotentiam. Quia verò tam ex parte decreti præparativi omnipotentiæ, quàm ex parte concurſus immediati nulla apparet diſparitas in influxu phyſico Dei ad actum bonum, & ad malum; ideò ut ſtatuant, concurſum Dei ad peccatum eſſe purè permiſſivum, dicunt, tale decretum applicativum omnipotentiæ nullum identificare amorem adhuc inefficacem ex parte Dei de exiſtentia peccati: imò potiùs Deum præparare omnipotentiam ex intentione ſaltem inefficaci exiſtentiæ actus boni, cum nolitione, & diſplicentiâ, quòd à voluntate creata determinetur ad actum malum. Quare dicunt, Deum concurrere ad malitiam peccati, quaſi invitum, & tractum à creatura, & contra ſuam inclinationem; & hoc ab extrinſeco, nempe, à determinatione creaturæ. Quid de hac opinione ſentiamus, dicemus infra

§. I I.

Aſſertio Catholica.

VII. DIco. Deus nec eſſe poteſt cauſa, ſeu auctor peccati. Hæc veritas adeo certa fuit antiquis Philoſophis, etſi lumine fidei deſtitutis; ut nemo eorum poſuerit, Deum malorum cauſam eſſe. Unde Plato de Republica versùs finem, poſtquam probavit, quòd Deus, ex quo bonus, nihil mali facit, ac nullius mali eſt cauſa, ſubdit: *Non igitur vel Homerum, vel alium Poetam quempiam probo, qui hoc circa Deos peccatum ſtultè committat.* Quæ Marſilius Ficinus interpretatur, dicens: „Deteſtatur mox „poeticam impietatem turpia de Diis „fingentem: atque hujuſmodi audiri „fabulas prohibet. Subjungit geminas Theologiæ figuras: primam, „Deum omnino bonum eſſe, bonorumque dumtaxat cauſam; mali verò nullius cauſam eſſe Deum. Inſuper apud Theodoretum *Orat. 6. contra Græcos* idem Plato ſcribit: *Culpa eſt eligentis: Deus culpâ caret: Deus enim malorum cauſa non eſt.* Quare Saluſtius l. de Diis, & Mundo c. 12. *Sed quanam ratione* (inquit) *Dii, cùm boni ſint, omniaque ipſi faciant, mala ſunt in Mundo? An primum dici iſtud oportet, cùm Dii boni ſint, & omnia faciant, mali nullam eſſe naturam; ſed ex boni abſentia fieri, quemadmodum tenebræ ex ſeipſa non ſunt, ſed ex abſentia luminis oriuntur.* In quo Philoſophi omnes concordes fuerunt. Videbant, mala eſſe in Mundo; ſed videbant, ea à Deo ſummo bono eſſe non poſſe: unde quærentes cauſam, vel nullam eſſe dicebant, ſed abſentiam boni: vel ad hoc devenerunt, ut dicerent, vel materiam primam, vel alterum Deum malum eſſe malorum cauſam.

VIII. Hoc indicavit Moyſes *Gen. 1. v. 31.* dum ait: *Viditque Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Cui conſonant illud Eccleſiaſtæ 3. v. 11. *Cuncta fecit bona in tempore ſuo:* & illud 1. ad Timoth. 4. v. 4. *Omnis creatura Dei bona eſt.* Quòd ſi aliqua animalia homini ſunt mala, quia nociva; non perinde in ſe mala ſunt: ſed quæ Deus fecit bona, homo peccando fecit ſibi mala. Unde S. Aug. l. 1. de Geneſ. contra Manich. c. 16. *Ego verò* (inquit) *fateor, me neſcire, mures, & rana quare creata ſunt, aut muſcæ, aut vermiculi. Video tamen, omnia in ſuo genere pulchra eſſe: quamvis*

vis, propter peccata noſtra, multa videantur nobis adverſa. Et Theodoretus *Q. 18. in Geneſ.* ait: *Qui in virtute educati ſunt, beſtiarum incurſus minimè formidant*. Ideo Adæ ante peccatum animalia omnia erant ad obſequium incluſa cum Noe in arca, nec ipſi, nec familiæ ejus læſionem afferre auſa ſunt. Danieli leones pepercerunt, nec Paulo vipera nocuit: *Nos ergo* (concludit Theodoretus) ideo beſtias *formidamus, quia virtute, ac moribus præditi non ſumus*.

IX. Malorum verò culpæ Deum cauſam, & auctorem non eſſe, clamant ubique Scripturæ. *Non Deus volens iniquitatem tu es* (dicit David Pſalm. 1. v. 5.) *Mundi ſunt oculi tui, ne videas* (ſcientiâ nimirùm approbationis) *malum; & reſpicere ad iniquitatem non poteris* (inquit Habacuc 1. v. 13.) Sap. 11. v. 25. dicitur: *Nihil odiſti eorum, quæ feciſti*: atqui Deus odit impium, & impietatem, Sap. 14. v. 9. *Odio ſunt Deo impius, & impietas ejus*; ergo Deus nec facit peccata, nec peccatores inquantùm tales. Proinde & Paulus *ad Rom. 3. à v. 5.* probat, in Deo nullam eſſe iniquitatem, nec noſtram malitiam in Deum eſſe refundendam; ex eo, quòd Deus præmiat, & punit, & in futuro judicio ſecundùm cujuſque opera judicabit Mundum: *Si autem* (ait Paulus) *iniquitas noſtra juſtitiam Dei commendat, quid dicemus? Numquid iniquus eſt Deus, qui infert iram? (ſecundùm hominem dico) Abſit. Alioquin quomodo judicabit Deus hunc Mundum?* Ideſt, quomodo Deus juſtè puniret homines in judicio, ob ea peccata, quorum Deus auctor fuiſſet; & quæ ſua voluntate, & impulſu, ut ejus miniſtri, commiſiſſent? Ex hoc principio arguebat Origenes *lib. 6. contra Celſum*, ſic: *At nos dicimus, quòd malum, hoc eſt vitium, ejuſque opera Deus non facit; alioquin quomodo conſiſteret prædicatio futuri judicii .... ſi Deus malorum eſſet auctor?*

X. Neque Valentinus, quantumvis impius, in hanc dementiam deſcendere potuit, ut Deum faceret malorum auctorem: quin potiùs hoc apertè negat apud Origenem *Dialog. 3. contra Marinum*, ubi ſic ait: *Deum autem dicere horum auctorem, & molitorem non audere potui; neque judicabam, hoſce ab illo ſuam hauſiſſe ſubſtantiam, vel conſtitutionem, ut in rerum natura ſubſiſterent. Qui enim de Deo iſta cogitari poſſent; quum bonus rerum meliorum procurator, & effector ſit, malorum verò in eo nihil inſit: qui tantum abeſt, ut illiuſmodi gaudeat, ut univerſum illud genus, & propaginem averſetur; eoſque, qui illis delectantur, exterminat, qui autem ea fugiunt, recipit? Quomodo enim abſurdum non ſit, Deum illorum architectum dicere, qui ea reſpuit, ac renuit?* Hactenus Valentinus. In hoc Calvino ſenior, quia hominum flagitia, degladationes, cædes &c. maluit tribuere materiæ primæ; quàm illis Dei ſanctitatem, qui ea reſpuit, ac exterminat, inquinare

XI. Scio, Calviniſtas, ut hæc, & alia inferiùs dicenda, effugiant, conari eludere ſic: nempe, Deum eſſe quidem auctorem furti, ſtupri, adulterii, ſed non eſſe auctorem peccatorum; quia ejuſmodi, ut ſunt à Deo, peccata non ſunt

XII. Verùm quæro ab ipſis. Quare furtum, ſtuprum, adulterium, ut fiunt ab homine, qui eſt tantùm inſtrumentum, & miniſter, ſunt peccata; non ſunt autem, quatenus ſunt à Deo, qui eſt agens, & cauſa principalis, cujus voluntatem homo peccando exequitur? — Dicent: quia voluntas Dei bona eſt, hominis mala. — Sed iterum quæro: cur voluntas Dei in eodem opere bona eſt, & hominis mala?

XIII. Reſpondent: hoc eſſe, quatuor ex cauſis. Prima. Quia tota natura humana vitio primi Parentis corrupta eſt. — Secunda. Quia Deus non vult peccatum, ut culpam, ſed ut pœnam alterius peccati. — Tertia. Quia Deus habet bonum finem propoſitum,

homo

Digitized by Google

homo malum. Deus enim vult, homines peccare; ut habeat quos juſtè damnet, & quorum liberaliter miſereatur: ut eâ ratione, juſtitiæ, ac miſericordiæ ſuæ gloriam manifeſtet; homo autem peccat, ut libidinem ſuam expleat, non ut gloriæ Dei ſerviat. — Quarta. Ideo voluntas hominis in opere malo mala eſt, non autem voluntas Dei; quia homini poſita eſt lex, non autem Deo: ac propterea in eodem opere homo peccat, quia legem tranſgreditur, non autem Deus.

XIV. Sed prima cauſa non ſubſiſtit. Eſtò enim haberet locum in peccatis hominum; in primo tamen peccato Adami, & Luciferi locum habere non potuit. Nam ſi quæram: quare voluntas Adami, & Luciferi fuerit mala in primo peccato, non autem voluntas Dei? Non poterit certò reſponderi: quia natura humana, & Angelica erat corrupta.

XV. Nec ſecunda cauſa ſubſiſtit eâdem ratione. Nam primum peccatum Adami, & Luciferi non potuit eſſe à Deo volitum in pœnam alicujus peccati præcedentis; cùm ante primum peccatum nullum aliud peccatum præceſſerit.

XVI. Neque ſubſiſtit tertia cauſa, quam reddunt Zuvinglius *lib. de Providentia c. 6.* Calvinus *lib. 1. Inſtit. cap. 17. §. 5.* & *in lib. de æterna Dei Prædeſtinat.* & *in Inſtruct adversùs Libertinos.* Et Beza *in Reſponſ. ad Sebaſtianum Caſtalionem in refut. ſecunda calumniæ.* Nam hæc reſponſio ex ipſo Calvino refutari poteſt. Quia ex ejus principiis, Deus eſt cauſa non ſolùm mali operis, ſed etiam malæ intentionis, & voluntatis, quâ ab homine fit. Si enim Deus ab æterno decrevit, ac prædeſtinavit peccatum, quod poſſet juſtè punire, aut liberaliter condonare; & peccatum non eſt peccatum, niſi malâ intentione fiat: neceſſe eſt dicere, Deum prædeſtinaſſe, ac decreviſſe, ut homo malâ intentione operaretur; ergo mala intentio eſt effectus divinæ prædeſtinationis; ergo etiam peccatum, ut peccatum, eſt effectus Dei; & Deus eſt cauſa, & auctor peccati, ut peccatum eſt, & ut ab homine fit.

XVII. Quarta cauſa (quæ à Zuvinglio aſſignatur) etiam rejicitur ab eodem Calvino *lib. 3. Inſt. c. 23. §. 2.* ubi ait: *Non fingimus Deum exlegem &c.* Et meritò: quia etſi Deo non ſit poſita lex ab aliquo ſuperiori (quia ſuperiorem ſe non habet) tamen ipſa bonitas, & natura Dei eſt ipſi regula, & lex. Sicut ergo furtum, adulterium, mendacium, & quodvis aliud peccatum contra legem naturæ repugnat bonitati Dei: ita repugnat legi, quæ eſt ipſe Deus, & quam naturâ ſuâ ſervare tenetur. Igitur ſi voluntas Dei, ſicut voluntas hominis, eligeret mendacium, adulterium &c. non minus tranſgrederetur legem ſibi connaturalem, quàm homo legem ſibi impoſitam: & proinde, vel ambæ eſſent bonæ, vel ambæ malæ.

XVIII. Hinc confici poſſunt aliæ duæ inſtantiæ. Prima. Deus non poteſt id velle, quod ejus naturæ contrarium eſt: ſed peccatum eſt contrarium naturæ Dei; quia peccatum eſt malitia, Deus autem eſt ſumma bonitas — Secunda. Si Deus vellet, homines peccare; ſequeretur, eos, qui peccant, non peccare: nam illi non peccant, qui ſuam voluntatem conformant voluntati divinæ. Sequeretur etiam, nos quotidie, dum dicimus: *Fiat voluntas tua*, orare, ut fiant peccata; & fruſtra dicere: *Ne nos inducas in tentationem.*

XIX. Hæc veritas adeo certa eſt apud Patres, ut ſuperfluum ſit eos afferre. Nonnulla tamen eorum teſtimonia exhibebimus. S. Irenæus (referente Euſebio *l. 5. Hiſt. c. 20.* & S. Hieronym. *l. de Scriptoribus Eccleſiaſticis*) ſcripſit contra Florinum librum de Monarchia: *Quòd Deus non ſit conditor malorum.* In idem argumentum ſcripſit S. Baſilius *Homiliâ* inter alias 9. & Damaſcenus *l. 4. de Fide* hoc titulo inſcripſit *Caput* 19. S. Ambroſius l. 1. *Haexaemeron* c. 8, *Num-*

quid

quid (inquit) *ſimul malitiam Deus creavit? Sed ea ex nobis orta, non à Creatore Deo condita, morum levitate generatur. Non ullam creaturæ habens prærogativam, nec auctoritatem ſubſtantiæ naturalis; ſed mutabilitatis vitium, & errorem prolapſionis. Eradicari hanc Deus vult de animis ſingulorum. Quomodo eam ipſe generaret, cum clamet Propheta:* Deſinite à malitiis veſtris? Inde converſus ad hæreticos Marcionitas, Valentinianos, & Manichæos, pergit, dicens: *Tu ipſe tibi es cauſa improbitatis: tu ipſe dux flagitiorum tuorum, atque incentor criminum. Quid alienam naturam acceſſis ad excuſationem tuorum lapſuum? &c.*

Et S. Hieronymus *in C. 1. ad Epheſ.* exponens illa verba: *Qui univerſa operatur ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ*, ait: *Non quò omnia, quæ in Mundo fiunt, Dei voluntate, & conſilio peragantur; alioquin & mala Deo poterunt imputari: ſed quò univerſa, quæ facit, conſilio faciat, & voluntate.*

XX. Præ cæteris tamen audiendus eſt Auguſtinus, quem, licèt inaniter, ſibi propitium jactant Calviniſtæ. Is enim *l. de Prædeſt. SS. c.* 10. expreſsè negat, Deum prædeſtinare ea, quæ non facit, nempe, peccata: *Prædeſtinatio* (inquit) *ſinè præſcientiâ eſſe non poteſt: poteſt autem eſſe ſinè prædeſtinatione præſcientia. Prædeſtinatione quippe Deus ea præſcivit, quæ fuerat ipſe facturus .... præſcire autem potens eſt etiam, quæ ipſe non facit, ſicut quæcumque peccata.* Et l. 1. de Anima, & ejus orig. c. 7. *Peccatores* (inquit) *Deus prænoſcit, non facit.* Idem docet *l. 3. de Lib. arb. c. 4.* dicens: *Deus omnia, quorum ipſe auctor eſt, præſcit; nec tamen omnium, quæ præſcit, ipſe auctor eſt. Quorum autem non eſt malus auctor, juſtus eſt ultor.* Auguſtino ſubſcribunt S. Proſper in reſponſ. ad Cap. Gallorum c. 14. *Infidelitas non credentium, non ad conſtitutionem Dei, ſed ad præſcientiam referenda eſt ..... Tam ergo in errore eſt, qui infidelitatem impiorum ad Dei conſtitutionem refert, quàm qui fidei, juſtitiæque Sanctorum non Deum profitetur auctorem.* Sanctus item Fulgentius tùm l. 1. de Verit. Prædeſt. *Iniquis verò* (inquit) *& impiis nec præparare Dominus potuit aliquando, nec dare mala opera, quibus damnabiliter ſervirent; neque malas eis voluntates inſeruit.... mala ergo voluntas non eſt ex Deo: & ideo eam juſtus judex in hominibus punit; quia non in ea Creator bonus ordinem ſuæ creationis agnoſcit.* Et lib. 2. ad Monimum cap. 23. *Proinde Fidelibus congruit credere, & fateri, Deum præſciviſſe quidem peccaturos homines; quia nihil eum latere potuit futurorum: non tamen prædeſtinaſſe quemlibet hominem ad peccatum; quia ſi ad peccatum aliquod hominem Deus prædeſtinaret, pro peccatis hominem non puniret.* Hæc eſt ſincere Scholæ S. Auguſtini doctrina, cui directè contradicit doctrina Calvini; qui *lib. 1. Inſt. cap.* 18. & alibi dicit, omnia, etiam peccata, Dei decreto, & conſilio fieri ex illo Pſalmi intellecto: *Omnia, quæcumque voluit, Dominus fecit.*

XXI. Ulteriùs: voluntatem malam nullo modo eſſe à Deo, docet idem S. Auguſtinus *lib. de Spiritu, & litt. c.* 31. acutè obſervans: *Nuſquam autem legimus in Scripturis:* Non eſt voluntas, niſi à Deo. *Et certò non ſcriptum eſt, quia verum non eſt: alioquin etiam peccatorum, quod abſit, auctor eſt Deus, ſi non eſt voluntas, niſi ab illo: quoniam mala voluntas jam ſola peccatum eſt, etiamſi deſit effectus, ideſt, ſi non habeat poteſtatem.* Et lib. 5. de Civit. Dei cap. 9. *Sicut omnium naturarum Creator eſt* (Deus) *ita omnium poteſtatum dator, non voluntatum. Malæ quippe voluntates ab illo non ſunt; quoniam contra naturam ſunt, quæ ab illo eſt.*

XXII. Patribus Concilia accedunt. Arauſicanum II. C. 23. (anno 529.) *Suam* (inquit) *voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt, quod Deo diſplicet,* & Can. 25. *Aliquos ad malum divinâ poteſtate prædeſtinatos*

ſtinatos

Digitized by Google

ſtinatos eſſe, non ſolùm non credimus; ſed etiamſi ſunt, qui tantum malum credere volunt, cum omni deteſtatione illis anathema dicimus. Cui ſubſcribit Concilium Valentinum III. anno 855. *Cap.* 3. & Tridentinum *Seſs.* 6. *Can.* 15.

XXIII. Ratio autem D. Thom. hâc *qu.* 79. *a.* 1. eſt: Deus nullo modo poteſt eſſe cauſa peccati. Non directè inclinando voluntatem ad peccatum: quia omne peccatum eſt per receſſum ab ordine, qui eſt in Deum ſicut in finem: ſed Deus omnia, quæ facit, inclinat, & ordinat in ſeipſum, ut ultimum finem; ergo &c. Eorum enim, quorum Deus non poteſt eſſe ultimus finis, nec poteſt eſſe prima cauſa: quia in ipſo ratio ultimi finis, & primæ cauſæ prorſus adæquantur — Nec etiam indirectè eo modo, quo gubernator navis eſt cauſa ſubmerſionis; quia non retrahit navem à ſubmerſione, cum poſſit. Nam intantùm gubernator navis dicitur cauſa indirecta ſubmerſionis navis, non ſolùm quia poteſt, ſed quia debet, ac tenetur, eam à ſubmerſione retrahere; quòd ſi, aut non poſſit, aut non debeat, ei non imputatur: atqui Deus, etſi poſſit conferre homini auxilium, quo retraheretur à peccando, non tamen debet; ſed ſi non confert, hoc facit ſecundùm ordinem ſuæ ſapientiæ, & juſtitiæ; ergo quòd homo peccet, non imputatur ei, ut cauſæ peccati.

Aliâ ſimili ratione utitur *Q.* 3. *de Malo a.* 1. ſic: Deus nec peccare poteſt ipſe, nec facere, quòd alius peccet. Non primum: quia vitium, ſeu peccatum contingit per receſſum à debito fine, & regulâ; ut in artefactis apparet, in generatione monſtruoſa, & vitioſâ: cum autem Deus ſit ipſe ultimus finis, & prima regula moralitatis, non poteſt à regula morum, &, ultimo fine deficere; aliàs deficeret à ſeipſo. Non ſecundum: quia peccatum, ut nunc loquimur, conſiſtit in averſione voluntatis creatæ ab ultimo fine: impoſſibile autem eſt, quòd Deus, qui eſt ultimus finis, faciat, voluntatem alicuius averti ab ultimo fine. Omne enim agens dat alteri quantùm poteſt, ſuam ſimilitudinem; vel imprimendo in eo formam ſuam, ut cum calidum calefacit; vel convertendo alia ad finem ſuum, ſicut homo per præceptum convertit alios ad finem, quem intendit. Cùm ergo cauſæ creatæ hoc faciant ex imitatione cauſæ primæ; ſi calidum, ſubjectum, in quo agit, ità quantùm poteſt movet ad calorem, ut ad receſſum à calore movere nequeat; & homo præcipiens, ita ſtudet convertere ad finem, quem intendit, ut nequeat movere ad receſſum ab eo fine: multò magis Deus, qui eſſentialiter eſt ſummum bonum, & ultimus finis, movet, & convertit voluntates creatas ad bonum, & ultimum finem; ut nequeat eas movere, aut inclinare ad receſſum à ſummò bono, & ultimo fine. Ita S. Thò. & quidem acutè

§. III.

Hæreticorum Fundamenta everſa.

XXIV. OPponit Calvinus primò. Scriptura dicit, Deum aliquando per ſeipſum, aliquando per malos Angelos hortari, & inſtigare homines ad peccatum; ut 2. Reg. 16. v. 10. *Dominus præcepit ei (Semei) ut malediceret David.* 2. Reg. 24. v. 1. *Et addidit furor Domini iraſci contra Iſrael, commovitque David in eis dicentem: Vade, numera Iſrael, & Judam.* In quo certè David peccavit, cùm ob hanc numerationem pœnam meruerit. Item 3. *Reg.* 22. *v.* 22. Spiritui mendacii *Dixit Dominus: Decipies, & prævalebis: egredere, & fac ità:* & v. 23. *Dedit Dominus ſpiritum mendacii in ore omnium Prophetarum.* Ezechielis 14. v. 9. *Ego Dominus decepi Prophetam illum.* Et 2. Theſſalonic. 2. v. 11. *Ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio.*

His accedunt alia ſimilia: ut Pſalm. 43. v. 19. *Declinaſti ſemitas noſtras à*

via

Digitized by Google

via tua. Pſalm. 104. v. 25. *Convertit cor eorum, ut odirent populum ejus*. Et Pſalm. 118. v. 36. *Inclina cor meum in teſtimonia tua, & non in avaritiam*.

XXV. Deum quoque re ipsâ operari, & efficere, quæ mala ſunt, habetur 2. Reg. 12. v. 11. *Hac dicit Dominus: Ego ſuſcitabo ſuper te malum de domo tua, & tollam uxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum uxoribus tuis in oculis Solis hujus. Tu enim feciſti abſconditè: Ego autem faciam verbum iſtud in conſpectu omnis Iſrael, & in conſpectu Solis hujus*. Quæ de inceſtu Abſalon cum uxoribus David patris ſui dicuntur. Super quibus Calvinus l. 1. Inſt. c. 18. §. 1. *Abſalon* (inquit) *inceſto coitu patris torum polluens, deteſtabile ſcelus perpetrat: Deus tamen hoc opus ſuum eſſe pronuntiat*. Et de Chriſti interfectoribus, ibidem, ait: *Pilatus, & milites rabioſa eorum libidini morem gerunt; fatentur tamen in ſolemni precatione diſcipuli* (Act. 4. v. 28.) *nihil feciſſe omnes impios, niſi quod manus, & conſilium Dei decreverant: ſicut jam ante concionatus fuerat Petrus* (Act. 2. v. 15.) *definito conſilio, & praſcientiâ Dei traditum fuiſſe, ut interficeretur*. Hæc, aliaque ſimilia exempla, affert Calvinus in ſui erroris patrocinium.

XXVI. Reſpondeo tamen, ex ſupra allatis Scripturæ textibus apertè conſtare, Deum nec conſilio, nec voluntate, nec imperio, nec phyſico influxu ad peccata concurrere, aut movere. Si tamen oppoſitum alicubi dicere videatur, præoculis habenda eſt doctrina D. Thom. *in C. 9. ad Roman. lect.*3 ubi ſic ait: *Dicitur etiam* (Deus) *ſuſcitare aliquos ad malum faciendum, ſecundùm illud Iſaia* 13. Suſcitabo Medos, qui ſagittis parvulos interficiant: *Aliter tamen ad bona, aliter ad mala. Nam ad bona inclinat hominum voluntates directè, & per ſe, tanquam auctor bonorum: ad malum autem dicitur inclinare, vel ſuſcitare homines occaſionaliter; inquantùm ſcilicet Deus homini aliquid proponit vel interiùs, vel exteriùs, quod, quantùm eſt de ſe, eſt inductivum ad bonum; ſed homo propter ſuam malitiam perversè utitur ad malum* (*Roman.* 2.) Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit, ſecundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ. *Et Job.* 24. Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in ſuperbia. *Et ſimiliter Deus, quantùm eſt de ſe, interiùs inſtigat hominem ad bonum; puta, Regem ad defendendum jura regni ſui, vel ad puniendum rebelles. Sed hoc inſtinctu bono malus homo abutitur ſecundùm malitiam cordis ſui*. Et ponit exemplum in Rege Aſſur, & Pharaone, quos Deus excitavit ad bonum, ipſi autem abuſi ſunt ad crudelitatem. *Secundò* (pergit S. Doct.) *oportet conſiderare, quo fine Deus iſta partim faciat, partim permittat*. Cùm enim Deus omnia operetur in creaturis ad manifeſtationem gloriæ ſuæ, permittit in creatura malum, illud ad gloriam ſuam ordinando; unde concludit: *Et in hoc eodem ſenſu poteſt exponi, ſi dicatur* poſui te, *ideſt, ordinavi malitiam tuam ad gloriam meam: Deus enim malitiam ordinat, ſed non cauſat*.

XXVII. Hoc docuerat S. Auguſtinus, variis in locis oſtendens, mala fieri quidem contra voluntatem Dei; ſed ea permittere, ut de malis faciat bona, Ita in Enchirid. c. 27. *Meliùs enim judicavit de malis benè facere, quàm mala nulla eſſe, permittere*. Et c. 100. *Propterea namque* magna opera Dei exquiſita in omnes voluntates ejus: *Ut miro, & ineffabili modo non fiat præter ejus voluntatem, quod etiam contra ejus fit voluntatem. Quia non fieret, ſi non ſineret: nec utique nolens ſinit, ſed volens: nec ſineret bonus fieri mala, niſi omnipotens & de malo facere poſſet benè*. Item l. 5. Oper. imperf. contra Julian. c. 11. *Sic autem novit Deus, benè operari homines de ſubſtantia peccato vitiata, quemadmodum novit, benè operari de ipſis peccatis hominum*,

quorum ſunt vitia voluntaria . Videmus enim quanta bona operatus eſt de peccato fratrum , qui fratrem per invidentiam vendiderunt ; & alia multa , quibus Sacra Littera plena ſunt . Vult ergo Deus permittere peccata, non vult peccata: ex ipſis tamen peccatis ab homine poſitis, bona multa operatur. His prænotatis, ad ſingula reſpondendum eſt.

XXVIII. Ad primum, de Semei, reſpondeo ex D. Thom. Q. 1. de Potentia a. 6. ad 4. *Dicitur Deus dupliciter præcipere. Uno modo loquendo ſpiritualiter, vel corporaliter per ſubſtantiam creatam; & ſic præcepit Abraha, & Prophetis. Alio modo inclinando; ſicut dicitur, præcepiſſe vermi, ut comederet hederam, Jonæ primò. Et per hunc modum præcepit Semei, ut malediceret David, inquantùm cor ejus inclinavit; & hoc, ſecundùm modum, qui infra dicetur.* Modum autem exponit ibi ad 6. nimirùm; *Quòd Deus non dicitur, inclinare homines in malum, immittendo malitiam, vel ad malitiam commovendo, ſed permittendo, & ordinando; ut videlicet, qui crudelitatem exercere conſentiunt, in illos exerceant, quos dignos Deus judicat.* Cùm ergo Deus noſſet animum Semei paratum ad maledicendum David, permiſit ipſum pravam ſuam voluntatem exercere in ipſum: quia judicavit dignum, ut ſuorum peccatorum, ex tali improperio, ſentiret vindictam, & magis, magiſque humiliaretur. Eo modo, quo Venator, qui videns canem inhiantem lepori, ſolvit funem, quo detinebatur, dicitur canem immittere in leporem; cùm tamen ſolùm permittat cani, ut leporem aggrediatur.

XXIX. Ad ſecundum, dico primò: verbum illud *commovit* facere ſenſum, quòd Deus indignatus contra peccata Iſrael, in ejus juſtam vindictam permiſerit, David incitari, & commoveri à Satan, ut numeraret populum. Quòd enim non ipſe Deus incitaverit ad hoc Davidem, ſed ipſe Satan, permittente Deo, manifeſtum eſt ex l. 1. Paralip. C. 21. v. 1. ubi præſens hiſtoria ſic refertur: *Conſurrexit autem Satan contra Iſrael, & concitavit David, ut numeraret Iſrael.* Unde

Dico ſecundò: alium ſenſum eſſe, ut ly *furor Domini* non deſignet Deum, ſed Satan, qui divini furoris ad vindictam miniſter eſt. Ideoque laudato loco ex 2. *Regum* non dicitur: Addidit Deus iraſci contra Iſrael, ſed *Addidit furor Domini.* Qui ſenſus concordat cum citatis verbis ex 1. Paralip. *Conſurrexit Satan contra Iſrael.* Qui proinde furor Domini, ſeu miniſter furoris Domini nuncupatur, eo modo, quo Iſaiæ 10. v. 5. Aſſyrii vocantur à Deo *Virga furoris mei.* Hanc expoſitionem refert, & probat S. Hieronymus in C. 2. *ad Ephaſ.*

XXX. Ad tertiùm, ex 3. *Reg.* 22. *v.* 22. reſpondeo cum D. Thom. Qu. 3. de Malo a. 1. ad 17. *Quòd id, quod dicitur:* Egredere, & fac, *non eſt intelligendum per modum præcepti, ſed per modum permiſſionis; ſicut & quod dicitur ad Judam:* Quod facis, fac citiùs, *eo modo loquendi, quo permiſſio Dei dicitur ejus voluntas* (nimirum ſigni, non beneplaciti, ut docet 1. *p. q.* 19. *a.* 12.) Eodem modo reſpondeo ad id, quod ſequitur ibi *v.* 23. Dedit ergo Deus ſpiritum mendacii in ore omnium Prophetarum, non infundendo mendacium, ſed permittendo, ut agerentur ſpiritu mendacii: & hoc in pœnam, quòd Achab maluerit credere falſis Prophetis, quàm Micheæ Prophetæ Domini. Similiter illud *Ezech.* 14. *v.* 9. exponendum eſt, ut Deus deceperit, ideſt, ut deſeruerit, & ſuæ deceptioni reliquerit Prophetam illum; & hoc, ut populus ſciret, ejus deceptionem eſſe effectum iræ Dei. Unde S. Hieron. in dictum Caput: *Hoc autem* (inquit) *totum dicitur, ne Pſeudoprophetarum fortitudini reputetur, quòd decipitur populus, & magis vult audire mendacium, quàm veritati aurem accommodare: ſed quòd Dei ira ſit, ut perverſus populus, & incredulus magis Pſeudoprophetas audiat,*

diat ,

Digitized by Google

diat , quàm Prophetas. — Ad illud etiam , quod affertur ex ſecunda ad Theſſalonic. 2. *Ideò mittet &c.* reſpondet D. Thom. ibi *lect.* 3. Mittet , *ideſt permittet, illis venire operationem erroris.* Et hoc ideo, ideſt in pœnam; quia noluerunt recipere caritatem veritatis, ideſt veritatem Evangelii. Unum enim peccatum pœna eſt alterius peccati præcedentis , ut ibi S. Tho. docet, & S. Auguſt. paſſim.

XXXI. Id verò, quod ex *Pſal.* 43. affertur , dupliciter exponi poteſt . Uno modo, ut negatio, quæ in priori parte exprimitur, continuetur in poſteriori, & fiat ſenſus: *Non receſſit retrò cor noſtrum , nec declinaſti ſemitas noſtras à via tuâ.* Et ita vertit Sanctus Hieron. ex hebræo; & S. Chryſoſt. in eum Pſalmum ſcribens teſtatur , aliam lectionem ſic habere : *Non averſum eſt retrò cor noſtrum , nec declinaverunt greſſus noſtri à via tuâ.* Alio modo, ut affirmativè exponatur, nimirùm : *& declinaſti &c. à via tua.* Et ſic per viam Dei intelligi poteſt miſericordia , juxta illud Pſalm. 24. v. 10. *Univerſæ viæ Domini miſericordia , & veritas ;* ut fiat ſenſus : Non receſſit retrò cor noſtrum ; & tamen declinaſti ſemitas noſtras à via miſericordiæ, & favoris tui , non eripiendo nos è tribulationibus , quæ nos affligunt. Unde mox ſequitur : *Quoniam humiliaſti nos in loco afflictionis , & cooperuit nos umbra mortis.* In hanc expoſitionem conſentit S. Auguſt. in præfatum Pſalmum.

XXXII. Ad verſiculum *Pſalm.* 104. reſpondeo , Deum dici convertiſſe corda Ægyptiorum , ut odirent populum Iſrael , & dolum facerent &c. non quòd in eorum cordibus inferuerit malam voluntatem ; neque quòd eos ad odium , & dolum incitarit: ſed quia fœcunditatem dando Iſraelitis, eoſque beneficiis cumulando, ea poſuit , ex quibus Ægyptii , jam voluntate ſuâ mali , occaſionem acceperunt odio habendi Iſraelitas : *Non itaque* (inquit S. Auguſtinus in hunc Pſalm.) *cor illorum malum faciendo ; ſed populo ſuo benefaciendo cor illorum ſponte malum convertit ad odium. Non enim rectum cor pervertit ; ſed ſponte perverſum ad odium populi , ubi eo malo benè uteretur , convertit : non illos malos faciendo ; ſed iſtis bona , quibus mali facillimè poſſent invidere , largiendo.*

XXXIII. Locus autem ex *Pſal.* 118. eſt oratio petentis, ut Deus per gratiam ſuam inclinet eum ad cuſtodiam mandatorum ſuorum; & non ſinat, eum labi in avaritiam : ſimili nimirum ſenſu , quo in oratione dominica dicimus : *Ne nos inducas* , ſeu induci ſinas , *in tentationem.* Unde S. Auguſt. Epiſt. 121. modò 130. ad Probam, cap. 11. *Cum dicimus* (inquit) *ne nos inferas in tentationem , nos admonemus , hoc petere ; ne deſerti ejus adjutorio , alicui tentationi , vel conſentiamus decepti , vel cedamus afflicti.*

XXXIV. Verbis autem illis 2. *Reg.* 12. quibus Deus dicit David : *Suſcitabo ſuper te malum ;* malum pœnæ intelligendum eſt : loquitur enim de peccato David puniendo. Cùm addit : *Tollam uxores tuas , & dabo proximo tuo ;* indicat , ſe Abſaloni permiſſurum , eique daturum poteſtatem (non quidem juris , ſed facti) tollendi uxores patris , eiſque abutendi. Quamvis enim Abſalon , audito conſilio Achitofel , promtiſſimam habuerit voluntatem hanc faciendi; illam tamen exequi non potuiſſet , niſi Deus permiſiſſet , & poteſtatem facti dediſſet. Quod additur : *Tu feciſti abſconditè , ego autem faciam verbum iſtud in conſpectu omnis Iſrael* , ſenſum facit : Tu quidem ſecretò adulterium patraſti , & ſtudiosè egiſti , ut celaretur ; ego autem faciam , ut filius tuus in publico tuis uxoribus abutatur : faciam verò, non ipſum ad facinus iſtud incitando, aut ipſi ad hoc cooperando; ſed tùm permittendo , tùm poteſtatem ei dando. Quare inſanè Calvinus, ex eo, quòd Deus Abſalonis inceſtum opus ſuum eſſe, videatur pronunciare, inR 2 fert,

ſert, Deum fuiſſe illius ſceleris auctorem. In opere enim illo, quo Abſalon uxores patris ſui cognovit, duo ſunt inſpicienda; & mala voluntas Abſalonis agentis quod erat illicitum, & facinus, & pœna, nempe, infamia, ac triſtitia, quæ inde Davidi reſultabat. Primum Deus non fecit, neque illud facienti cooperatus eſt: ſecundum Deus fecit, & juſto judicio ſuo voluit: *A' Deo* enim *non fit malum, quando fit de malo bonum*, ait Auguſt. *l. 5. Oper. imperf. contra Julian. c. 12.*

XXXV. Idem de Chriſti interfectoribus dicendum eſt. Eorum enim voluntas mala de Chriſti occiſione, Dei quidem permiſſu ſecuta eſt. Non Dei voluntate patrata: bonum tamen, quod toti humano generi inde provenit, Dei conſilio, & voluntate decretum fuit: & hoc intendunt Petrus, & Diſcipuli in Act. Apoſt. Hinc S. Auguſt. in Enchirid. c. 101. *Tantum* (inquit) *intereſt, quid velle homini, quid Deo congruat, & ad quem finem ſuam quiſque referat voluntatem; ut aut probetur, aut improbetur. Nam Deus quaſdam voluntates ſuas, utique bonas, implet per malorum hominum voluntates malas; ſicut per Judæos malevolos, bonâ voluntate Patris, Chriſtus occiſus eſt: quod tantum bonum factum eſt, ut Apoſtolus Petrus, quando id fieri nolebat, Satanas ab ipſo, qui occidi venerat, diceretur.*

XXXVI. In hanc eamdem doctrinam conſpirat S. Tho. 3. *p. q.* 47. *a.* 3. *ad* 3. dicens: *Eadem actio diverſimodè judicatur in bono, vel in malo, ſecundùm quòd ex diverſa radice procedit. Pater enim tradidit Chriſtum, & ipſe ſemetipſum ex caritate; & ideo laudantur. Judas autem tradidit ipſum ex cupiditate; Judæi autem ex invidia, Pilatus ex timore mundano, quo timuit Cæſarem: & ideo ipſi vituperantur.* Aliâ quoque intentione Satan à Deo mittitur; alià Satan Dei voluntatem exequitur; ut docet 1. *p. q.* 114. *a.* 1. *ad* 1. his verbis: *Mali Angeli impugnant homines dupliciter. Uno modo, inſtigando ad peccatum: & ſic non mittuntur à Deo ad impugnandum; ſed aliquando permittuntur ſecundùm Dei juſta judicia. Aliquando autem impugnant homines puniendo: & ſic mittuntur à Deo. Sicut miſſus eſt ſpiritus mendax ad puniendum Achab Regem Iſrael, ut dicitur 3. Reg. ultimo. Pœna enim refertur in Deum, ſicut in primum actorem: & tamen mali Angeli ad puniendum miſſi aliâ intentione puniunt, quàm mittuntur. Nam ipſi puniunt ex odio, vel invidiâ; mittuntur autem à Deo propter ejus juſtitiam.*

XXXVII. Objicitur ſecundò. Rom. 1. *v.* 28. De quibuſdam dicitur: *Tradidit eos Deus in reprobum ſenſum, ut faciant ea, quæ non conveniunt.* Et Auguſt. l. de Grat. & lib. arb. *Deus* (inquit) *operatur in cordibus hominum, inclinando voluntates eorum in quodcumque, ſive in bonum, ſive in malum:* ſed facere, quæ non conveniunt, & inclinari ſecundùm voluntatem ad malum, eſt peccatum; ergo &c.

Confirm. Qui excæcat mentem, ne videat divina, qui aggravat aures, ne ea audiant, qui obdurat cor, ne ad ea per affectum tendat, eſt cauſa inducens ad peccata ſequentia: ſed Deus excæcat, & aggravat; Iſaiæ 6. v. 10. *Excæca cor populi, & aures ejus aggrava;* Rom. 11. v. 8. *Dedit eis Deus ſpiritum compunctionis, oculos, ut non videant, aures ut non audiant:* Indurat etiam; Exodi 10. v. 1. *& dixit Dominus ad Moyſen ingredere ad Pharaonem: ego enim induravi cor ejus* & v. 20. *& induravit Dominus cor Pharaonis.* Item Rom. 9. v. 15. *Cujus vult miſeretur, & quem vult, indurat.*

XXXVIII. Reſpondeo cum S. Thoma hâc q. 70. a. 1. ad 1. *Quòd quantùm ad verba Apoſtoli, ex ipſo textu patet ſolutio. Si enim Deus tradit aliquos in reprobum ſenſum, jam ergo reprobum ſenſum habent ad faciendum ea, quæ non conveniunt. Dicitur ergo tradere eos in reprobum ſenſum, inquan-*

tùm

Digitized by Google

tùm non prohibet eos, quin ſuum ſenſum reprobum ſequantur; ſicut dicimur, exponere illos, quos non tuemur. Quod autem Auguſtinus dicit in lib. de Grat. & lib. arbitr. Unde ſumta eſt Gloſſa, quòd Deus inclinat voluntates hominum in bonum, & malum, *ſic intelligendum eſt: quòd in bonum quidem directè inclinat voluntatem, in malum autem, inquantùm non prohibet..... Et tamen hoc etiam contingit ex merito præcedentis peccati.* Idem docet *Q. 3. de Malo a. 1. ad 1.* his verbis: *Deus dicitur, tradere aliquos in reprobum ſenſum, vel inclinare voluntates in malum; non quidem agendo, vel movendo, ſed potiùs deſerendo, vel non impediendo: ſicut ſi aliquis non daret manum cadenti, diceretur eſſe cauſa caſus illius. Hoc autem Deus ex juſto judicio facit, quòd aliquibus auxilium non præſtat, ne cadant.*

XXXIX. Ad confirm. diſtin. maj. Qui excæcat mentem &c. faciendo, ut animus humanus inhæreat malo, & avertatur à divino lumine, eſt cauſa &c. co. maj. Qui excæcat &c. ſubtrahendo gratiam, eſt cauſa &c. nego mag. & ſimiliter, diſt. min. nego conſeq. *Excæcatio, & obduratio* (inquit S. Tho. hàc q. 79. a. 3.) *duo important. Quorum unum eſt motus animi humani inhærentis malo, & averſi à divino lumine; & quantùm ad hoc Deus non eſt cauſa excæcationis, & obdurationis, ſicut non eſt cauſa peccati. Aliud autem eſt ſubtractio gratiæ, ex qua ſequitur, quòd mens divinitùs non illuminetur ad rectè videndum, & cor hominis non emolliatur ad rectè vivendum: & quantùm ad hoc Deus eſt cauſa excæcationis, & obdurationis.* Deus enim eſt cauſa univerſalis illuminationis animarum, ſicut Sol eſt cauſa univerſalis illuminationis corporum: *Aliter tamen, & aliter. Nam Sol agit illuminando per neceſſitatem naturæ: Deus agit voluntariè per ordinem ſuæ ſapientiæ. Sol autem licèt, quantùm eſt de ſe, omnia corpora illuminet; ſi quod tamen impedimentum inveniat in aliquo corpore, relinquit illud tenebroſum; ſicut patet de domo, cujus feneſtræ ſunt clauſæ: ſed tamen illius obſcurationis nullo modo cauſa eſt Sol: non enim ſuo judicio agit, ut lumen interiùs non immittat: ſed cauſa ejus eſt ſolùm ille, qui claudit feneſtram. Deus autem proprio judicio lumen gratiæ non immittit illis, in quibus obſtaculum invenit. Unde cauſa ſubtractionis gratiæ eſt, non ſolùm ille, qui ponit obſtaculum; ſed etiam Deus, qui ſuo judicio gratiam non apponit. Et per hunc modum Deus eſt cauſa excæcationis, & aggravationis aurium, & obdurationis cordis.* Hæc S. Doctor. Quibus conſonat S. Auguſtinus *Tract. 53. in Joann.* dicens: *Sic enim excæcat, ſic obdurat Deus deſerendo, & non adjuvando; quod occulto judicio facere poteſt, iniquo non poteſt.* Et *Epiſt. 105. modò 194. ad Sixtum cap. 3.* ait: *Nec obdurat Deus impertiendo malitiam; ſed non impertiendo miſericordiam.*

XL. In quo autem differant excæcatio, aggravatio, & obduratio, exponit S. Thomas citato loco, dicens: *Quæ quidem diſtinguuntur ſecundùm effectus gratiæ, quæ perficit intellectum Dono ſapientiæ, & affectum emollit igne caritatis. Et quia ad cognitionem intellectus maximè deſerviunt duo ſenſus, ſcilicet, viſus, & auditus; quorum unus deſervit inventioni, ſcilicet, viſus, alius diſciplinæ, ſcilicet, auditus: ideo quantùm ad viſum ponitur excæcatio; quantùm ad auditum, aurium aggravatio; quantùm ad affectum obduratio.* Propterea ille dicitur obcæcatus, qui ita à Deo deſeritur; ut non aperiat oculos ad divina: ille aggravatus, qui claudit ad ea aures; ille verò obduratus, qui per affectum ad ea non flectitur.

XLI. Porro licèt omne peccatum etiam ex infirmitate, vel ignorantiâ arguat, ei, qui peccat, deeſſe gratiam ad evitandum peccatum; non tamen quicumque peccat, dicitur excæcatus, aut obduratus: ſed ille ſolus, cui denegatur ulterior gratia, & lumen in pœnam precedentium peccato-

cato-

catorum, vel etiam unius peccati; ut contigit Pharaoni, Sauli, Judæis &c. Unde S. Thom. hìc *ad* 1. ut oſtendat, quòd eſtò homo per excæcationem, & indurationem fiat deterior, hujus tamen Deus non eſt cauſa, ait: *Quòd cùm excæcatio, & induratio ex parte ſubtractionis gratiæ, ſint quadam pœna; ex hac parte homo non fit deterior, ſed deterior factus per culpam, hæc incurrit, ſicut & cæteras pœnas.*

XLII. Objicitur tertiò. Quidquid eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa effectus: ſed Deus eſt cauſa liberi arbitrii, quod eſt cauſa peccati; ergo Deus eſt cauſa peccati.

XLIII. Reſpondeo cum D. Tho. hâc *qu.* 79. *art.* 1. *ad* 3. diſt. min. Liberi arbitrii, ut ordinabilis ad Deum, co. min. Ut defectibilis ab ordine ad ipſum, nego min. *Effectus* (inquit S. D.) *cauſa media procedens ab ea, ſecundùm quòd ſubditur ordini cauſæ primæ, reducitur etiam in cauſam primam: ſed ſi procedat à cauſa media, ſecundùm quòd exit ordinem cauſæ primæ, non reducitur in cauſam primam: ſicut ſi miniſter faciat aliquid contra mandatum Domini, hoc non reducitur in Dominum, ſicut in cauſam. Et ſimiliter peccatum, quod liberum arbitrium committit contra præceptum Dei, non reducitur in Deum, ſicut in cauſam.*

Simili modo reſpondet Q. 3. *de Malo a.* 1. *ad* 4. dicens: *Effectus cauſati, inquantùm eſt cauſatum, reducitur in cauſam. Si autem aliquid procedat à cauſato, ſecundùm quòd eſt cauſatum, hoc non oportet in cauſam reduci. Sicut motus tibiæ cauſatur à virtute motiva animalis, quæ tibiam movet; ſed obliquitas ambulationis non procedit à tibia, ſecundùm quòd eſt mota à virtute motiva, ſed ſecundùm quòd deficit à ſuſcipiendo influxum motivæ virtutis per ſuum defectum: & Ideo claudicatio non cauſatur à virtute motiva. Sic ergo peccatum cauſatur à libero arbitrio, ſecundùm quòd deficit à Deo: unde non oportet, quòd Deus ſit cauſa peccati, licèt ſit cauſa liberi arbitrii.*

XLIV. Ex his infertur, nec potentiam peccandi, ut potentia peccandi eſt, eſſe à Deo; quemadmodum docet D. Tho. in 2. *diſt.* 44. *q.* 1. *a.* 1. Nam in potentia peccandi duo conſideranda ſunt. Unum eſt potentia, ſeu facultas naturalis, quæ eſt principium actus, ſive boni, ſive mali: alterum eſt defectibilitas, ſeu potentia deficiendi ab ordine divino. Quoad prius, potentia peccandi eſt à Deo, cùm illa potentia ſit liberum arbitrium: omnis enim poteſtas, ut poteſtas, à Deo eſt. Quoad poſterius, non eſt à Deo, ſed ex ipſius creaturæ imperfectione; quæ, inquantùm eſt ex nihilo, habet, ut poſſit deficere nedum in eſſe phyſico, ſed morali: ſicut enim, ex quo non eſt ſuum eſſe, poteſt deficere ab eſſe: ita ex eo, quòd non eſt ſüa regula, poteſt à regula deficere. Quare potentia peccandi potiùs eſt defectus potentiæ, quàm potentia. Cum enim, ut nôtat D. Tho. citatus, potentia voluntatis humanæ ſit per ſe ordinata ad bonum; quòd poſſit deficere à bono in actu ſuo, non habet à cauſa dante illi naturam: ſed *oportet, quòd cauſetur ex aliquo defectu in ipſa, per quem ab alio vinci poteſt, vel delectatione, vel ſuggeſtione, vel quocumque alio; ut ab eo, quod eſt naturale ſibi, ad id, quod eſt innaturale, trahatur.* Unde poſſe peccare, non eſt pars, nec eſſentia, ſed defectus potiùs libertatis.

XLV. Huic veritati patrocinatur S. Auguſtinus: tùm *lib.* 14. *de Civit. Dei cap.* 13. ubi ſic loquitur: *Ut natura ſit, ex eo habet, quòd à Deo facta eſt: ut autem ab eo, à quo facta eſt, deficiat, ex hoc, quòd de nihilo facta eſt.* Tùm lib. 1. contra Jul. cap. 8. *Quapropter bonorum auctor Deus, dum auctor eſt naturarum: quarum ſpontaneus defectus à bono, non indicat, à quo factæ ſunt, ſed unde factæ ſunt. Et hoc non eſt aliquid, quoniam penitus nihil eſt; & ideo non poteſt auctorem habere, quod nihil eſt.* Et quæſt. 21. libri 83. Quæſtionum: *Ille* (inquit)

Digitized by Google

quit) *ad quem non eſſe non pertinet, non eſt cauſa deficiendi*. Quibus conformiter B. Fulgentius *lib. de Fide ad Petrum c.* 3 ita ſcribit : *Ideo natura à Deo facta proficere poſſunt, quia eſſe caperunt : ideo deficere, quia ex nihilo facta ſunt ; ad defectum eas ducit conditio originis, ad profectum verò provebit operatio Creatoris*.

XLVI. Infertur quoque ex dictis, Deum multò minus cauſare poſſe, ſeu infundere ſe ſolo habitum vitioſum. Nam habitus vitioſus eſſentialiter eſt proxima inclinatio, & propenſio ad peccandum; ſicut habitus honeſtus eſt inclinatio ad rectè operandum: ſed, teſte D. Tho. hâc *qu.* 79. *a.* 1. repugnat, quòd Deus inclinet voluntatem hominis ad peccandum; ergo &c. Et ſanè: pejor enim eſt habitus vitioſus, quàm ſit potentia peccandi formaliter ſumta, ut docet D. Tho. hâc 1. 2. *q.* 71. *a.* 3. habitus enim medium locum tenet inter potentiam, & actum; unde habitus bonus, vel malus, ſicut in bonitate, & malitia cedit actui, ita præeminet potentiæ: ſed, ut diximus, potentia peccandi formaliter ſumta, ſecundùm id, quod dicit de defectibilitate, ſeu flexibilitate ad malum, non eſt à Deo; ergo multò minus habitus vitioſus.

XLVII. Objicitur quartò. Omne malum opponitur bono: ſed non repugnat divinæ bonitati, quòd ſit cauſa mali pœnæ; ergo nec repugnabit, quòd ſit cauſa mali culpæ.

XLVIII. Reſpondeo cum D. Thom. hâc q. 79. a. 1. ad 4. *Quòd pœna opponitur bono ejus, qui punitur, qui privatur quocumque bono: ſed culpa opponitur bono ordinis, qui eſt in Deum; unde directè opponitur bonitati divinæ: & propter hoc non eſt ſimilis ratio de culpa, & de pœna*. Et *Q.* 3. *de Malo a.* 1. *ad* 3. addit: *Quòd pœna opponitur cuidam particulari bono. Non eſt autem contra rationem ſummi boni auferre aliquod particulare bonum; cùm particulare bonum auferatur per appoſitionem alterius boni, quod interdum eſt melius: ſicut forma aquæ aufertur per appoſitionem formæ ignis. Et ſimiliter bonum naturæ particularis aufertur per pœnam per appoſitionem majoris boni, per hoc ſcilicet, quòd Deus ordinem juſtitiæ in rebus ſtatuit: ſed malum culpæ eſt per averſionem à ſummmo bono, à quo ſummum bonum avertere non poteſt. Unde Deus poteſt eſſe cauſa pœnæ, ſed non culpæ*.

XLIX. Eodem modo reſpondet Tertullianus *L.* 2. *adv. Marcionem c.* 14. Marcionem enim confundentem mala culpæ cum malis pœnæ, & utrorumque Deum eſſe auctorem, aſſerentem, ſic alloquitur: *Nos autem adhibitâ diſtinctione utriuſque formæ; ſeparatis malis delicti, & malis ſupplicii, malis culpæ, & malis pœnæ, ſuum cuique parti definimus auctorem; malorum quidem peccati, & culpæ, Diabolum: malorum verò ſupplicii, & pœnæ Deum creatorem: ut illa pars malitiæ deputetur, iſta juſtitiæ mala condentis judicia adverſùs mala delicta. De his ergo Creator profitetur malis, quæ congruunt judici: quæ quidem illis mala ſunt, quibus rependuntur; cæterùm ſuo nomine bona, quà juſta, & bonorum defenſoria, & delictorum inimica, atque in hoc ordine Deo digna*. Et c. 16. *Quid enim ſi medicum quidem dicas eſſe debere, ferramenta verò ejus accuſes, quòd ſecent, & inurant, & amputent, & conſtringant; quando ſinè inſtrumento artis medicus eſſe non poſſit? Sed accuſa malè ſecantem, importunè amputantem, temerè inure inurentem: atque ita ferramenta quoque ejus, ut mala miniſteria, reprehende*. Ita Marcionem perſtringit Tertullianus, ut videret quàm ineptè Deum pœnarum inflictorem, Deum malum eſſe, contenderet.

L. Sed dices. Omnis pœna eſt à Deo: aliquod peccatum eſt pœna; ergo aliquod peccatum eſt à Deo.

Nego tamen conſequ. Cùm varietur appellatio: ſiquidem illud peccatum, quod eſt pœna alterius, non eſt pœna, ſecundùm quòd eſt peccatum, ſed ſecundùm aliquid aliud; nempe, propter

ter ſubtractionem gratiæ, quæ poſſet impedire ulterius peccatum: *Unde cum ipſa ſubtractio gratia ſit quedam pœna, & à Deo; ſequitur, quòd per accidens etiam peccatum, quod ex hoc ſequitur, pœna dicatur. Et hoc modo loquitur Apoſtolus Rom. 1. dicens:* Propter quod tradidit eos Deus in deſideria cordis eorum, *qua ſunt animæ paſſiones: quia, ſcilicet, deſerti homines ab auxilio divina gratia, vincuntur à paſſionibus. Et hoc modo ſemper peccatum dicitur eſſe pœna præcedentis peccati. Alio modo ex parte ſubſtantia actus, qui afflictionem inducit; ſive ſit actus interior, ut patet in ipſa irâ, & invidiâ; ſive actus exterior, ut patet cum aliqui gravi labore opprimuntur, & damno, ut explcant actum peccati; ſecundùm illud Sap.* 5. Laſſati ſumus in via iniquitatis. *Tertio modo ex parte effectus; ut ſcilicet aliquod peccatum dicatur pœna reſpectu effectus conſequentis* (quando ſcilicet effectus gravis eſt, & moleſtus ſuo auctori: cujuſmodi ſunt remorſus conſcientiæ, infamia, paupertas, morbi, & alia, quæ ex peccato ſequuntur, & affligunt peccatorem) *Sed his duobus ultimis modis unum peccatum non ſolùm eſt pœna præcedentis peccati, ſed etiam ſui.* (Ita S. Thomas hâc 1. 2. q. 87. a. 2.)

DUBIUM III.

An Deus concurrat cum Creatura ad Peccatum invitus, & nolens?

§. I.

Reſolutio negativa.

I. Dico. Deus non influit in malitiam peccati, influxu phyſico, determinatus à concurſu creaturæ. Eſt contra opinionem Societatis ſuperiùs relatam §. 1. Probatur primò. Nam hæc opinio ſupponit, Deum decreto indifferenti tàm ad bonum, quàm ad malum offerre voluntati creatæ ſuam omnipotentiam; cujus poteſtati relinquitur, eam determinare, ſive ad bonum, ſive ad malum: atqui hujuſmodi decreta indifferentia contraria ſunt doctrinæ S. Thom. ejuſque Scholæ, ut oſtendimus ſuo loco, agentes de Voluntate Dei: & inſuper in caſu præſenti videntur ſuſpecta, ob propoſitiones ab Innocentio XI. damnatas 23. *Septembris* 1679. quarum prima erat: *Deus donat nobis omnipotentiam ſuam, ut ea utamur, ſicut aliquis donat alteri villam, vel librum &c.* Secunda: *Deus ſubjicit nobis ſuam omnipotentiam*: ſed Deum præparare ſuam omnipotentiam, ut voluntas creata pro ſuo libito ipſam determinet ad partem, quam maluerit, ſcilicet, ad actum bonum, vel ad actum malum, eſt, Deum eam nobis donare, ut eâ utamur: quia *uti* juxta D. Th. ſupra *q.* 16. *a.* 1. nil aliud eſt, quàm applicare rem ad aliquid exercitium, ſeu operationem; ergo &c.

II. Scio, reſponderi à PP. Societatis, offerri, ſeu præparare ſuam omnipotentiam, non eſſe eam donare, vel ſubjicere voluntati creatæ; ſed ſolùm ex ſua benignitate, & voluntate applicare ſuam omnipotentiam, ut à voluntate creata ad partem, quam maluerit, determinetur.

III. Sed omiſſo, quòd prædictæ damnatæ propoſitiones aſſeruntur ab aliquibus ex Societate; ut videre eſt apud Ferre *Tom.* 2. *in* 1. 2. prope finem: & noviſſimè apud Aliaga *Tom.* 2. *in* 1. 2. *Tract. de Cauſa Peccati Dub.* 4. §. 2. *n.* 7. Quidquid, inquam, ſit de hoc; certum eſt, nulli unquam in mentem veniſſe, Deum abdicare à ſe dominium rei, ſuam omnipotentiam, nec illam propriè voluntati creatæ reddere ſubiectam; ſed ſolùm voluntati creatæ dare dominium uſus, eamque ei ſubjicere quoad uſum, & applicationem, ut ſcilicet eâ utatur in eam partem, quæ ſibi maluerit: eo modo, quo quis dat amico villam, & librum, ut eis utatur; eſtò penes ſe retineat dominium villæ, & libri; & tamen

men dominium uſus, transfert, & quoad uſum ſubjicit ex ſua voluntate villam, & librum: ergo cùm hic ſit ſenſus damnatarum propoſitionum, & hoc aſſerat contraria opinio, videtur incidere in id, quod jam damnatum eſt.

IV. Probatur ſecundò, Deum non poſſe phyſicè concurrere cum creatura ad malitiam peccati, ſic. Deus permittere non poteſt, ut ſua omnipotentia concurrat ad id, quod Deus odio habet, & quod in ejus virtute non continetur: ſed malitiam peccati Deus odio habet, & inſuper in virtute ſuæ omnipotentiæ non continetur; ergo &c. Maj. prob. Nam pro prima parte, cùm, teſte Paulo *ad Epheſ.* 1. *v.* 11. Deus ſit, *qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ;* non eſt credibile, ut ſinat, ſuam omnipotentiam concurrere ad id, quod voluntas ejus averſatur, & odio habet. Pro ſecunda verò videtur certa: cùm nulla cauſa poſſit concurrere ad producendum effectum, quem non continet in ſua virtute; aliàs concurreret ad id, ad quod non poteſt concurrere.

V. Min. verò pro prima parte videtur certa ex illo Sap. 11. v. 25. *Nihil odiſti eorum, quæ feciſti, nec enim odiens aliquid conſtituiſti, aut feciſti.* Quæ exponens S. Auguſt. *Tract.* 110. *in Joann.* ait: *Meritò quippe odit, & velut à regula ſuæ artis alienum improbat vitium: amat tamen ſuum etiam in vitioſis, vel ſanatione beneficium, vel damnatione judicium. Ita Deus, & nihil odit eorum, quæ fecit: naturarum enim, non vitiorum conditor, mala, quæ odit, ipſe non fecit; & de malis eiſdem, vel ſanando ea per miſericordiam, vel ordinando per judicium, bona ſunt ipſa, quæ facit.* — Pro ſecunda verò parte prob. min. Quod avertit ab ultimo fine, nec cadit ſub ordine illius, non poteſt cadere ſub cauſalitate, & continentiâ omnipotentiæ; cum ratio primæ cauſæ, & ultimi finis in Deo non ſolùm identificentur, ſed adæquentur: ſed peccatum, & malitia ejus non poſſunt cadere ſub ordine ad ultimum finem; ergo nec ſub continentia omnipotentiæ.

VI. Confirm. hoc. Ut docet D. Th. 1. *p. q.* 49. *a.* 1. & Q. 3. *de Malo a.* 1. cùm peccare ſit deficere à regula, ſive artis, ſive morum; neceſſe eſt, ut peccatum procedat, ut à principio activo, vel quaſi activo, ab eo, quod poteſt deficere: ſed omnipotentia, quæ eſt ſuum eſſe, nullo modo poteſt eſſe principium defectivum; ergo &c.

VII. Reſpondent, omnia hæc vera eſſe de eis, quæ Deus operatur propriâ determinatione, & ut cauſa per ſe: ſecus tamen de eis, quæ operatur ex determinatione alterius; quæ etſi operetur, tantùm in ea influit per accidens, & permiſſivè.

VIII. Sed contra primò. Nam etſi Deus ſolùm ex determinatione voluntatis creatæ concurrat ad malitiam; ita tamen ad eam phyſicè concurrit, ut malitia aliter nequeat exiſtere, niſi Deo coefficiente ipſam ſuo concurſu phyſico, & reali: cùmque, ex alia parte, Deus eam odio habeat; jam ſequitur, Deum odiſſe aliquid eorum, quæ fecit: quæ eſt propoſitio contradictoria Scripturæ dicenti: *Nihil odiſti &c.* Nec obeſt, quòd ad eam concurrat Deus, non ſuâ, ſed voluntatis creatæ determinatione; hoc enim non tollit, quin ad eam influat. Quod oſtendo exemplo familiari apud Adverſarios. Si enim quis voluntariè traderet alteri manum ad ſcribendum quodcumque vellet, cum voluntate tamen, ut mediante illa rectè ſcriberet, & ſimul cum diſplicentia, ut illâ pravè uteretur: in caſu pravæ ſcriptionis non poſſet verificari, hanc ſinè concurſu illius fuiſſe formatam, aut non efformaſſe ſcripturam, quam odio habebat. Similiter quamvis monſtra eveniant contra inclinationem cauſarum particularium; quia tamen hæ, juxta Adverſarios, influunt in eorum productionem concurſu phyſico vero, & reali,

reali; non poteſt verificari, monſtra fieri ſinè cauſis particularibus, aut ea non operari, quæ ſunt contra propriam inclinationem; ergo ſi omnipotentia, quamvis contra propriam inclinationem, concurſu tamen phyſico cum creatura operatur malitiam, verificari non poterit, malitiam exiſtere ſinè illâ, aut ejus concurſu.

IX. Contra ſecundò. Ex doctrina D. Thom. ille ſolus poteſt poſitivè influere in malitiam, qui unicè poteſt eſſe cauſa defectus, qui eſt in actu: ait enim in 2. diſt. 37. q. 2. a. 1. *Cum igitur peccatum dicatur propter inordinationem à fine, ad quem natura rationalis ordinata eſt; non poteſt eſſe cauſa peccati Deus, in quo nullus defectus cadere poteſt: ſed oportet, quòd peccatum cauſetur defectu illius agentis, quod eſt poſſibile ad defectum, ſicut eſt voluntas rationalis creaturæ.* Et hâc 1. 2. q. 79. a. 2. ad 2. *Deus* (inquit) *ſic eſt cauſa actus, quòd nullo modo eſt cauſa defectus concomitantis actum:* atqui ſi Deus concurſu ſuo phyſicè concurreret ad malitiam, etſi ex determinatione voluntatis creatæ, eſſet cauſa defectus comitantis actum, & non ſolius actus, ut exempla nuper allata demonſtrant; ergo &c.

X. Nec valet quod dicunt, Deum ſolùm per accidens, & permiſſivè ad malitiam concurrere. Nam concurſus poſitivè influens in malitiam, etſi ex alterius determinatione, non eſt permiſſivus: ſed, in doctrina D. Thomæ, ille ſolus permiſſivè concurrit, qui cùm poſſit impedire, nec teneatur, non impedit: ita Q. 3. de Malo a. 1. ad 1. *Deſerendo* (inquit) *vel non impediendo; ſicut ſi aliquis non daret manum cadenti.* Et hac q. 79. a. 1. in c. inquantùm *aliquibus non præbet auxilium ad evitandum peccatum, quod ſi præberet non peccarent;* additque, Deum non eſſe cauſam peccati: *Sicut gubernator non dicitur cauſa ſubmerſionis navis ex hoc, quòd non gubernat navem, niſi quando ſubtrahit gubernationem potens, & debens gubernare.* Hoc eſt in ſenſu D. Th. permiſſivè ſe habere ad peccatum, velle non impedire, deſerere, non dare auxilium ad illud vitandum: non autem ad ejus malitiam ponendam concurrere nolentem.

XI. Probatur tertiò præcipuè repugnare, omnipotentiam influere poſitivè in malitiam, & Deum poſitivè diſplicere in illa. Primò. Quia repugnat, actionem aliquam egredi poſitivè ab omnipotentia, & Deum illam non velle. Ait enim D. Tho Q. 1. de Pot. a. 5. in corp. *Quòd Deus non poteſt facere, quod non poteſt velle:* ex quo infert, quòd cùm Deus non poſſit velle peccatum, quia contrarium ſuæ bonitati; non poteſt peccatum efficere. Item 1. p. q. 25. a. 5. ad 1. dicit: *In Deo eſt idem potentia, & eſſentia, & voluntas, & intellectus, & ſapientia, & juſtitia. Unde nihil poteſt eſſe in potentia divina, quod non poſſit eſſe in voluntate juſta:* ſed peccatum pro formali malitiæ non poteſt eſſe in voluntate Dei, ut Adverſarii fatentur; ergo nec poteſt eſſe in potentia Dei. Ut enim dicit citatâ Q. 25. a. 1. ad 4. *Potentia importat rationem principii exequentis id, quod voluntas imperat, ad quod ſcientia dirigit.* Sed, ad rem præſentem, apertè loquitur in 1. *contr. Gen. cap.* 95. *ratione* 3. ubi format hunc diſcurſum: *Si Deus aliquid eorum, quæ ſunt, odio habet, vult illud non eſſe .... Vult igitur actionem ſuam non eſſe, quâ illud in eſſe producitur, vel mediatè, vel immediatè.* Hoc autem eſſe impoſſibile, demonſtrat ſic: *Si res per voluntatem ipſius in eſſe procedant; tunc oportet, actionem, quâ res producuntur, eſſe voluntariam. Similiter ſi naturaliter ſit rerum cauſa; quia ſicut placet ſibi ſua natura, ſic placet ſibi omne illud, quod ſua natura requirit.* Judicat ergo impoſſibile S. Doctor, Deum aliquid producere, & ſibi non placere, ſed diſplicere actionem ſuam, quâ illud producit; quia quidquid facit, vel voluntariè facit, vel naturaliter. Sed Adverſarii volunt, Deum cum creatura

tura

Digitized by Google

tura concurrere phyſicè ad peccatum, & ei diſplicere actionem ſuam, quâ ad illud concurrit, & eſſe illi involuntariam; ergo contra D. Thomam loquuntur.

XII. Dicent Adverſarii, Deo quidem non poſſe diſplicere actionem ſuam, quâ agit per ſe, & volens eam; benè tamen diſplicere ei poſſe actionem, quâ agit, ut cauſa purè permiſſiva, & ex voluntate aliena.

XIII. Sed contra. Nam in primis Deum agere, & non agere voluntariè propriâ voluntate; & omnipotentiam applicari ad agendum, non ex imperio voluntatis divinæ, impoſſibile judicat D. Tho. ut vidimus: & multò magis eam applicari ex imperio voluntatis creatæ. — Secundò. Non poteſt percipi, actionem peccaminoſam eſſe etiam actionem Dei, & phyſicè procedere ab omnipotentia; & aliunde Deus illam purè permittere: quia purè permittere non eſt agere, ſed potiùs non agere, & non impedire, non auxiliari &c. ut vidimus — Tertiò. Falſum eſt, actionem permiſſivam peccati eſſe Deo involuntariam, eique diſplicere: Deo enim non diſplicet, niſi quod eſt moraliter malum: actio autem permiſſiva peccati non eſt moraliter mala. Unde D. Auguſt. *in Enchirid. cap.* 100. docet, non fieri *præter ejus voluntatem, quod etiam contra ejus fit voluntatem. Quia non fieret, ſi non ſineret: nec utique nolens ſinit, ſed volens*. Et *cap.* 102. ait: *Deus igitur omnipotens, ſive per miſericordiam, cujus vult miſereatur, ſive per judicium, quem vult obduret; nec iniquè aliquid facit, nec niſi volens quidquam facit, & omnia, quæcumque vult, facit*. Quæ Auguſtini verba contrariam ſententiam funditùs evertunt.

XIV. Scio reſponderi poſſe, duplicem in Deo dari permiſſionem peccati: unam quaſi in actu primo; & hanc eſſe collationem gratiæ prævisæ inefficacis. & denegationem gratiæ prævisæ efficacis; & hanc à Deo eſſe decretam, & volitam: & de hac loqui SS. Auguſtinum, & Thomam. Aliam verò eſſe permiſſionem, ſeu actionem permiſſivam in actu ſecundo, & executivè; & hanc conſiſtere in influxu poſitivo omnipotentiæ in malitiam peccati, & hanc Deo diſplicere.

XV. Sed hoc ſinè fundamento in SS. Auguſtino, & Thoma aſſeritur: qui nunquam dixerunt, Deum influere in malitiam, ſed ſinere malitiam à creata voluntate poni; deſerendo illam, non adjuvando; non quidem impartiendo malitiam, ſed non impartiendo miſericordiam. Hanc autem eſſe permiſſionem peccati exercitè, & in actu ſecundo, & non in actu primo, ſic oſtendo. Nam poſitâ denegatione gratiæ efficacis, infallibiliter ſequitur peccatum: ſicut poſitâ collatione gratiæ efficacis, ſequitur opus bonum: ſed collatio gratiæ, & adjutorium *quo*, eſt id, quo in actu ſecundo fit bonum; ergo denegatio gratiæ eſt id, ex quo ſequitur peccatum, ſicut ex ſubtractione lucis ſequuntur tenebræ.

XVI. Addo, quòd poſitâ permiſſione influxivâ in peccatum, varia abſurda ſequerentur. Primò. Quòd Deus adjuvaret hominem ad peccandum, eſtò non moraliter (quia contra inclinationem) ſaltem tamen phyſicè. Secundò. Omnipotentiam, quæ eſt indeficiens, exerceri, tanquam per ſui actionem, per actionem creaturæ, etſi iniquam, & moraliter pravam. Tertiò. Sequeretur, Deum non eſſe purè permiſſorem peccatorum, ſed aliquomodo effectorem, contra ſenſum Patrum, & ſanctitatem Dei eſſentialem. Dicere autem, hoc facere cum diſplicentia, & non propriâ, ſed aliena determinatione; eſt aſſerere, vel duo ſibi repugnantia, ut ſupra diximus; quia nihil à Deo fit, quod non ſit ab eo volitum: vel Deum ſubjicere creaturæ; quod eſſe indecens, & damnatum, oſtendimus.

S 2 §. II.

§. II.

Solvuntur contraria Rationes.

XVII. Conantur aliqui inferre, Deum, vel nolentem, concurrere ad malitiam peccati, ex illo Iſaiæ 43. *v.* 24. ubi Deus exprobrans, per Prophetam, populum, ait: *Servire me feciſti in peccatis tuis, præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* Ex quibus putant, Deum ſervire, & laborare; dum quaſi invitus concurrit cum creatura ad ejus peccata operanda.

XVIII. Sed abſque fundamento hoc dicunt: facit enim homo, Deum quodammodo ſervire, & laborare; dum patienter ſuſtinet peccatores, & quos punire poterat, expectat, & quaſi defendit. Unde lxx. legunt, *& in peccatis tuis defendi te.* Ita S. Hieronymus in ſecundum caput, dicens: verba hæc ſic poſſe ſuperioribus copulari, *ut labor ſit Dei, & laſſitudo, defendere pecatores:* quæ populo Judaico optimè aptantur. S. autem Gregorius *lib.* 18. *Moral. c.* 49. verba illa intelligit de hæreticis, qui Deum Sacræ Scripturæ auctorem faciunt ſervire peccatis ſuis; dum ſuos errores divino teſtimonio (licèt falsò) confirmare conantur.

XIX. Secundò afferunt auctoritatem Concilii Tridentini *Seſſ. 6. Can. 6.* ſtatuentis: *Deum non operari mala opera propriè, & per ſe, ſed ſolùm permiſſivè;* ergo ſentit, Deum aliquo modo influere, & operari mala opera, eſtò non propriè ea volendo, ſed permittendo.

XX. Reſpondeo, neg. conſ. pro prima parte. Ex verbis enim Concilii potius colligitur, Deum mala opera permittere quidem, ſed nullo modo ea operari. Ait enim: *Si quis dixerit ..... mala opera ita, ut bona, Deum operari, non permiſſivè ſolum, ſed etiam propriè, & per ſe; adeo ut ſit proprium ejus opus non minùs proditio Judæ, quàm vocatio Pauli: anathema ſit.* Quem Canonem ſtatuit contra Calvinum, qui, ut ſupra vidimus, volebat, opera mala non minus quàm bona eſſe opus Dei: ſed ſi Deus aliquem influxum haberet in opus malum, opus malum eſſet opus Dei, ergo dum ait, Deum ſe habere *permiſſivè ſolùm*, excludit omnem influxum poſitivum Dei in opus malum, & ſolùm admittit negativum; quatenus ſinit, & non impedit, ne à creatura committatur.

XXI. Tertiò adducunt D. Anſelmum *l. de Caſu Diaboli c.* 28. dicentem: *Non ſolùm hoc habet aliquis à Deo, quòd Deus ſponte dat; ſed etiam quod injuſtè rapit, Deo permittente. Et ſicut dicitur Deus facere, quod permittit fieri; ita dicitur dare, quod permittit rapi. Quoniam igitur, permittente Deo, Angelus malus per rapinam uſus eſt poteſtate à Deo ſponte datâ, à Deo habuit ipſum uti, quod non eſt aliud, quàm ipſum velle. Non eſt enim aliud velle, quàm uti poteſtate volendi; ſicut idem eſt loqui, & uti poteſtate loquendi.*

XXII. Reſpondeo, me non percipere, quomodo laudata Anſelmi verba ſavere poſſint adverſariis. Nam D. Anſelmus dicit quidem, quòd ſicut Deus dicitur facere, quod permittit fieri; ita dicitur dare, quod permittit rapi: ſed non dicit, quòd dum permittit fieri, vel rapi, hoc faciat, poſitivè concurrendo cum faciente, vel rapiente, & non purè non impediendo, ne faciat, aut rapiat; quod debuiſſet dicere, ut adverſariis faveret. Concedimus, quòd Deus dicitur facere, quod permittit fieri, & dare, quod permittit rapi: ſed ſicut in humanis, qui permittit fieri, non oportet, ut concurrat poſitivè cum faciente; & qui permittit rapi, ut concurrat cum rapiente; ſed ſatis eſt, ut non impediat, ne faciat, & ne rapiat; ita, ut Deus permittat peccatum, quod eſt rapina, quia rapit à Deo honorem ipſi debitum; non oportet, ut qui rapit, trahat omnipoten-

tiam

Digitized by Google

tiam ad ſecum concurrendum ad rapinam; ſed ſat eſt, ne impediatur à Deo uti ſua poteſtate, ſibi à Deo ſponte datâ ad rapiendum.

XXIII. Quartò objiciunt. Etſi omnipotentia influat phyſicè in peccatum, adhuc ſubſiſtit, quòd non ſit cauſa propria, & per ſe illius, ſed ſolùm permiſſiva: ſed hoc eſt, quod intendit Concilium Trident. ſupra allatum; ergo &c. Maj. probatur. De ratione cauſæ propriè, & per ſe talis eſt influere in effectum, juxta propriam inclinationem; & mediante affectu, & inclinatione voluntatis, ſi cauſa ſit rationalis, & libera. Quare effectus monſtruoſi phyſicè à natura producuntur: quia tamen contra omnem inclinationem fiunt, natura cauſa per ſe non eſt. Idem de eo, qui ex determinatione alterius apprehendentis ejus manum, contra voluntatem ejus formaret litteras; poſitivè quidem ille concurreret ad earum formationem: non tamen eſſet cauſa per ſe, nec illi imputaretur, ſi non eſſent benè formatæ.

Et ratio eſt, quia cauſa rationalis, & libera non operatur propriè, & per ſe id, quod non operatur ex propria determinatione, vel ſaltem ex aliquo affectu; quia ſic non operatur, ut diſtincta à cauſa inanimatâ, & irrationali. Cùm ergo quamvis omnipotentia Dei influeret poſitivè in malitiam, id tamen eſſet non ex propria determinatione, nec juxta, ſed contra Dei inclinationem, & voluntatem; non eſſet cauſa propriè, & per ſe, ſed ſolum per accidens, & permiſſiva.

XXIV. Reſpondeo ad hoc, quod continet totam adverſæ opinionis doctrinam, negari poſſe aſſumtum, nempe, quòd influxus omnipotentiæ in malitiam ſit contra ejus inclinationem, & Dei voluntatem. Ut enim refert P. Marin Tract. 6. de Actibus humanis *diſp.* 2. *ſect.* 7. *num.* 80. Suarez, Leſſius, Herice, Alarcon, Meratius, Oviedo, Izquierdo, omnes Auctores ex Societ. dicunt: *Deum velle quaſi conditionatè concurrere cum creatura ad peccatum, caſu quo ſe determinet ad illud*. Et Izquierdo addit: *Deum velle efficaciter conditionatè actionem pravam, prout à Deo, quia ſic eſt bona*. Unde apud iſtos auctores peccatum non exiſtit contra voluntatem Dei.

XXV. Dato tamen, Deum ſuâ omnipotentiâ concurrere ad peccatum, non ex propria determinatione, & voluntate, ſed ſolius creaturæ, diſt. maj. Adhuc ſubſiſtit, quòd non ſit cauſa propria, & per ſe directè influens, tranſeat major. Indirectè, & per accidens influens, nego maj. Præter cauſam propriè, & per ſe talem reſpectu alicujus effectus, & cauſam purè permiſſivam, datur etiam & cauſa indirecta, & cauſa per accidens poſitivè influens: & conſtat in eo, qui fodit ſepulchrum, & invenit theſaurum; qui quidem, etſi non ſit cauſa per ſe talis inventionis, eſt tamen, mediâ foſſione, cauſa per accidens poſitivè influens in illam. Unde D. Tho. Q. 1. *de Malo ad* 14. docet, quòd hoc contingit, quando *actio cauſæ pertingit ad ipſum effectum, quod eſt per accidens; ſicut effodiens ſepulchrum, per ſuam effoſſionem invenit theſaurum*. Cùm ergo actio omnipotentiæ pertingat ad ipſam malitiam, licèt ei ſit per accidens, non erit cauſa merè permiſſiva illius; ſed verè, & poſitivè influxiva: ſicut effodiens ſepulchrum non dicitur cauſa merè permiſſiva inventionis theſauri. Porro cùm à Deo, ob ſummam ſanctitatem, & perfectionem, exulare debeat omnis concurſus poſitivus in peccatum, & concedi concurſus ſolùm permiſſivus; debet hic in pura denegatione gratiæ conſtitui: in hoc enim relucet ſupremum ejus dominium.

XXVI. Quod verò additur de fœtibus monſtruoſis. Vel iſti comparari poſſunt ad naturam, vel cauſas univerſales: & ſic, eſtò non ſint de primaria intentione illarum, ſunt tamen de intentione ſecundaria, ut docet D. Tho.

Digitized by Google

D. Thom. Q. 23. *de Veritate a.* 2. In intentionem autem Dei nec primariam, nec ſecundariam reduci poteſt defectus peccati, ut ibi docet S. Doctor. Unde exemplum non eſt ad rem. Vel fœtus monſtruoſi comparantur ad naturam, vel virtutem generativam in particulari: & ſic defectus monſtruoſitatis nullo modo eſt à natura, nec à virtute generativâ; ſed ex defectu virtutis, vel indiſpoſitione materiæ, ut docet D Tho. 3. *contr. Gen. c.* 10. *num.* 4. Quapropter in partu monſtruoſo diſtingui debet id, quod vitalitatis, & perfectionis in ipſo eſt; & id, quod defectus eſt. Primùm à virtute generativa provenire poteſt, non verò ſecundùm; ſed ex defectu in cauſis particularibus provenire debet. Sic ergo in actu peccati quidquid entitatis, & vitalitatis eſt, à Deo eſſe poteſt; quidquid autem defectus, & malitiæ, in defectum voluntatis reduci debet, Deo quidem permittente, ſed nullo modo poſitivè influente.

XXVII. Ad alterum exemplum de eo, cujus manus aprehenditur ad ſcribendum, jam ſupra dictum eſt. Modò addo. Vel enim apprehenſio, & motio manus alterius hominis ad ſcribendum eſt omnino violenta: & ſic motus illius non provenit à virtute intrinſecâ manus; ſed à quodam impulſu exteriùs, & tranſeunter illi impreſſo. Vel manus voluntariè offertur alteri ad ſcribendum quodcumque voluerit, ſive benè. ſive malè, juxta determinationem applicantis manum: & in hoc caſu non video, cur offerens manum non ſit cauſa ſcriptionis, ſive bonæ, ſive malæ; cùm, etiamſi nollet ſcribere malè, ex vi tamen prioris voluntatis, quâ ſpontaneè tradidit manum, imputaretur ei ſcriptio: maximè ſi prævidiſſet, fore, ut ad malè ſcribendum applicaretur. Cùm igitur Deus voluntariè obtulerit omnipotentiam ſuam ad quodcumque creata voluntas ſe determinaverit; & cùm eam illi præſentet in ea circumſtantia. in qua prævidit, fore determinandam ad malum, etiamſi hoc Deus nollet: Non video, cur malum formaliter non ſit tribuendum Deo, ut cauſæ.

XXVIII. Objici poteſt quintò. In opinione plurium Thomiſtarum Deus eſt forma gravificans offenſam lethalem; ergo poteſt eſſe cauſa efficiens illius, conſ. prob. Plùs eſt Deum cauſare formaliter, ſive per modum formæ effectum, in quo ſummè, ac infinitè diſplicet, quàm illum cauſare purè effectivè: quia cauſa efficiens eſt extrinſeca effectui; cauſa verò formalis gravificans offenſam, eſt intrinſeca ſaltem in eſſe morali.

XXIX. Reſpond. neg. conſ. quæ varias inſtantias patitur. Et primo. In omnium ſententia Deus eſt forma, ſaltem extrinſecè, & per modum objecti moraliter gravificans offenſam: cùm tamen in communiori ſententia Deus peccati malitiam effectivè non producat. Secundò. Majeſtas Regis, etſi per modum formæ, aut per modum objecti poſſit moraliter gravificare offenſam contra ipſum Regem commiſſam; non tamen quâ talis formaliter influere effectivè in actiones injurioſas regiæ majeſtati. Et tertiò. In ſententia Adverſariorum Deus poteſt phyſicè effectivè producere malitiam moralem; & tamen non poteſt eam producere effectivè moraliter: & tamen plus eſt phyſicè effectivè aliquid producere, quàm ſolum effectivè moraliter, ſuadendo, conſiliando &c.

XXX. Diſparitas ergo eſt, ex modo, quo objectum offenſum gravificat offenſam, & modo, quo cauſa effectiva illam produceret. Deus enim gravificat offenſam non converſivè, ſed averſivè: eo modo, quo ſumma Dei bonitas dicitur, ſpecificare malitiam moralem repertam in odio Dei, & quælibet forma dicitur, ſpecificare privationem. At ſi omnipotentia Dei influeret phiſicè in malitiam peccati, talis cauſalitas conveniret ei ſecundùm intrinſeca; nempe, quia contineret malitiam, in quam influeret. Ex quo magis apparet diſparitas inter cau-

cauſam formalem, & effectivam: quòd cauſa formalis de ſe eſt indifferens ad cauſandum effectum, vel per converſionem, vel per averſionem; quia attingi poteſt modo averſivo, vel modo converſivo. Hac enim ratione aliqui motus inter ſe contrariantur moraliter: quia licèt reſpiciant idem objectum bonum, unus reſpicit illum per modum acceſſus, alter per modum receſſus; ut patet in amore Dei, & odio Dei; in ſpe, & deſperatione. Cauſa verò phyſica immediatè influens in effectum, nequit cauſare illum averſivè, ſed poſitivè, & converſivè, derivando ex ſuis intrinſecis prædicata, quæ virtuti effectivæ conveniunt: quapropter ſi Dei omnipotentia effectivè malitiam peccati produceret, deberet in ſe activè eam, ſaltem virtualiter, continere; quod infinitæ ejus bonitati repugnat. Ex quo autem Deus gravificet offenſam; ſequitur, quòd Deus avertatur ab offenſa, & malitiæ illius infinitæ contrarietur.

DUBIUM IV.

An Deus ſit Cauſa propriè, & per ſe Entitatis, & Actionis Peccati, inquantùm Entitas, & Actio eſt?

§. I.

Quibuſdam prænotatis referuntur Opiniones.

I. STatuto jam in præcedentibus, Deum non cauſare malitiam, ſeu peccatum pro formali; nec determinando, aut impellendo voluntatem creatam ad illud, ut blaſphemat Calvinus; nec ut à voluntate creatâ determinatum, ut autumant PP. Societatis; modò videndum eſt: an ſaltem Deus ſit cauſa entitatis, & actionis peccati. Pro quo

II. Noto cum S. Tho. 1. 2. *q.* 71. *a.*6. in peccato duo reperiri. Unum ſe habens quaſi materiale; ſcilicet, actionem humanam phyſicè, & realiter egredientem à voluntate: & aliud quaſi formale; ſcilicet malitiam, & deformitatem, quâ actio recedit à lege æterna, & denominatur formaliter prava. Quod S. Doctor, laudato loco, exponens definitionem peccati traditam à S. Auguſtino, explicat his verbis: *Auguſt. in definitione peccati poſuit duo, unum, quod pertinet ad ſubſtantiam actus humani, quod eſt quaſi materiale in peccato, cùm dixit:* Dictum, vel factum, vel concupitum. *Aliud autem, quod pertinet ad rationem mali, quod eſt quaſi formale in peccato, cùm dixit:* Contra legem æternam. De hoc ergo, quod materiale eſt in peccato, nempe, entitate, & ſubſtantia actus, quærimus: an propriè, & per ſe cauſetur à Deo.

III. Ut tamen omnis æquivocatio tollatur, hoc materiale peccati adhuc dupliciter ſumi poteſt. Vel purè materialiter, pro entitate phyſica, realitate, & vitalitate actionis abſque reſpectu, & ordine ad malitiam. Vel formaliter; quatenus nimirum entitas ipſa actionis ſubſtat deformitati, & ſe habet, ut ſubjectum denominabile ab ipſa. Quæſtio igitur præſens procedit, non in hoc ſecundo, ſed in primo ſenſu. Ideoque S. Thomas tùm hàc *q.* 79. *a.* 2. tùm Q. 3. *de Malo a.* 2. ubi hanc examinat, non quærit: *Utrum materiale peccati ſit à Deo.* Sed: *Utrum actus, ſeu actio peccati ſit à Deo*, & in 2. diſt. 37. q. 2. a. 2. *Utrum actio peccati, inquantùm actio, ſit à Deo.*

IV. His præmiſſis, duplex eſt ſententia. Prima omnium Thomiſtarum ex D. Thoma, locis mox relatis, aſſerentium, Deum propriè, & per ſe cauſam eſſe actionis peccati, inquantùm actio eſt: quamvis unus, vel alter videatur negare, Deum ad talem actionem concurrere concurſu prædeterminativo, ſed irrationabiliter, ut puto. Nam ſi Deus propriè, & per ſe eſt cauſa entitatis peccati, & hoc non præjudicat divinæ Sanctitati; nec præjudicabit, ſive eam per ſe operetur concurſu ſimultaneo, ſive prædeterminativo.

tivo. Et hoc admittere videntur etiam PP. Societatis, qui concurſum prædeterminativum rejiciunt ex titulo læſionis libertatis creatæ, ſed non ex titulo læſionis ſummæ ſanctitatis divinæ. Quæ benè notanda ſunt.

V. Altera ſententia eſt omnium ferè Societatis Doctorum, volentium, Deum eodem prorſus modo, ſcilicet, per accidens, & permiſſivè influere in entitatem, ac in malitiam peccati. Dicunt enim, quòd ſuppoſito decreto præparativo omnipotentiæ ad concurrendum cum voluntate creata ad quodcumque ipſa ſe determinaverit; hoc poſito in manu ejus relinquitur, ſeipſam, omnipotentiam, & alia comprincipia ad partem, quam maluerit, determinare, vel ad actum bonum, vel ad malum, vel ad actum bonum, vel ad ejus omiſſionem, juxta modum libertatis. Quo fit, ut omnipotentia ſic præparata, cum voluntas creata ſe determinat ad actum, influat ſimul cum illa: cæterùm omnipotentia purè elicitivè; voluntas verò creata elicitivè, & determinativè; quia non ſolùm producit actum, ſed pro ſuo libito et tribuit exiſtentiam, volendo ipſum.

VI. Ex his principiis inferunt, Deum minimè eſſe auctorem entitatis, aut actionis peccati, etiam ſecundùm ſuum eſſe phyſicum conſideratæ. Etenim cùm aliquid fieri à Deo ſit fieri illo volente, & Deus non velit entitatem, aut malitiam peccati: ideo quamvis ſuâ omnipotentiâ ad utramque concurrat; dicunt, eas non fieri Deo auctore, nec ut cauſâ propriè, & per ſe, ut ſuperiùs dictum eſt. Ad hoc autem excogitandum ex hoc motivo redacti ſunt. Cum enim noſtri Thomiſtæ argumentum, quo impugnabant prædeterminationem ad entitatem peccati, retorquerent in ipſos, dicentes: ſi Deus ſimultaneè concurrit ad entitatem peccati, & non ad malitiam, cur non poterit prædeterminare ad entitatem, & non ad malitiam? Ideo ut ab hoc laqueo ſeſe extricarent, coacti ſunt negare, Deum per ſe concurrere ad entitatem peccati, ſed tantùm permiſſivè, & per accidens, ſicut ad malitiam.

§. II.

Reſolutio Affirmativa.

VII. Dico. Deus eſt cauſa propriè, & per ſe entitatis, & actualitatis phyſicæ repertæ in peccato. Prob. primò auctoritate tùm Sac. Sript. *Sap.* 11. *v.* 25. ubi de Deo dicitur: *Diligis omnia, quæ ſunt.* Jo. 1. v. 3. *Omnia per ipſum facta ſunt.* Et Act. 17. v. 28. *In ipſo vivimus, movemur, & ſumus.* Ex quibus licet ſic ratiocinari. Deus omnia, quæ ſunt ens, diligit; omnia, quæ ſunt, per ipſum ſunt facta, ab ipſo eſt omnis noſtra vita, motus, & eſſe: ſed actus peccati, ſecundùm ſuam phyſicam entitatem ſumti, ſunt verum ac proprium ens, vita, & motus; ergo à Deo ſunt, ut cauſa propriè, & per ſe tali.

VIII. Hinc S. Tho. in 2. *diſt.* 37. *q.* 2. *a.* 2. de opinione, quæ docebat, actus peccatorum nullo modo, nec etiam inquantùm actus ſunt, à Deo eſſe, dicit, eam à paucis teneri; quia propinquiſſima eſt errori duplici. Primò. Quia ex ea videtur ſequi, quòd ſint plura prima principia; de ratione enim primi principii eſt: *Poſſe agere ſinè auxilio prioris agentis, & influentiâ ejus. Unde ſi voluntas humana actionem aliquam poſſet producere, cujus auctor non eſſet Deus; voluntas humana rationem primi principii haberet.* Nec dicatur, non fore primum principium. Tum quia adhuc haberet eſſe ab alio. Tum quia quoad alias actiones eſſet à Deo. Nam contra inſurgit S. Thomas. Et quidem contra primum. Nam *hoc videtur inconveniens, ut quod à ſe eſſe non habet, à ſe agere poſſit: cùm etiam per ſe durare non poſſit, quod à ſe non eſt. Omnis etiam virtus ab eſſentia procedit, & operatio à virtute: unde cujus eſſentia*

ab

ab alio eſt, oportet, quòd virtus, & operatio ab alio ſit. Contra ſecundum ait: Quòd *quamvis per hanc reſponſionem evitaretur, quòd non eſſet primum ſimpliciter; non tamen poſſet vitari, quin eſſet primum agens, ſi ejus actio in aliquid prius agens non reduceretur, ſicut in cauſam.* Secundus error eſt: Quia *cùm actio, etiam peccati, ſit ens quoddam, non ſolùm ſecundùm quòd privationes, & negationes entia dicuntur; ſed etiam ſecundùm quòd res in genere exiſtentes entia ſunt; eo quòd & ipſa actiones in genere ordinantur: ſequeretur, ſi actiones peccati à Deo non ſunt, quòd aliquod eſſe eſſentiam habens, à Deo non eſſet: & ita Deus non eſſet univerſalis cauſa omnium entium.* Ita S. Doctor.

IX. S. Thomæ conſentit S. Anſelmus *lib. de Caſu Diaboli c.* 20. dicens: *Quòd aliquid eſt, à Deo fit, & Dei eſt: quod verò nihil eſt, ideſt, malum, ab injuſtò fit, & ejus eſt.* Diſcipulo autem quærenti ſic: *Quòd quidem Deus naturas rerum omnium faciat, fatendum eſt; quòd verò ſingulas actiones perverſarum voluntatum, velut ipſum pravum motum voluntatis, quo ipſa mala voluntas ſe movet, faciat, quis concedat?* Ita reſpondet Anſelmus: *Quid mirum, ſi dicimus, Deum facere ſingulas actiones, quæ fiunt malâ voluntate; cum fatemur, eum facere ſingulas ſubſtantias, quæ fiunt injuſtâ voluntate, & inhoneſtâ actione?* Quaſi diceret: Deus eſt cauſa ſubſtantiæ, etſi genitæ per injuſtam actionem, puta, fornicationem, & adulterium; quin ſit cauſa actionis, ut injuſtæ, ſed ut generativæ ſubſtantiæ; ergo etiam poterit eſſe cauſa actionis, quâ gignitur, quin ſit cauſa injuſtitiæ. Quare lib. de Concordia præſcientiæ Dei cum Lib. arb. c. 7. *Facit* (inquit) *Deus omnia, quæ juſtâ, vel injuſtâ voluntate fiunt, ideſt bona opera, & mala. In bonis quidem facit quòd ſunt, & quòd bona ſunt: in malis verò facit, quòd ſunt, ſed non quòd mala ſunt.* Et poſtea: *Sicut Deus non facit injuſtitiam; ita non facit, aliquid injuſtum eſſe, qui tamen facit omnes actiones, & omnes motus.*

X. Eamdem eſſe S. Auguſtini mentem, ex eo colligitur; quòd agens contra Manichæos pro principio ſtatuit: quòd quidquid bonum eſt, à Deo eſt, & quod à Deo non eſt, nihil eſt; cùmque omnis ſubſtantia, vel natura bona ſit, aliquid ſit, & nihil non ſit, à Deo eſſe debet. Ita in Enchirid. c. 13. *Omnis natura, etiamſi vitioſa eſt, inquantùm natura eſt, bona eſt; inquantùm vitioſa eſt, mala eſt.* Quæſt. 21. inter quæſt. 83. *Mali* (inquit) *auctor non eſt, qui omnium, quæ ſunt, auctor eſt; quia inquantùm ſunt, intantùm bona ſunt.* Et Q. 24. *Omne, quod eſt, inquantùm eſt, bonum eſt. Summè enim eſt illud bonum, cujus participatione ſunt bona cætera.* Et l. de Natura boni c. 24. *Sinè ipſo factum eſt nihil, ideſt* (inquit) *non eſt factum ſinè ipſo aliquid.* Quibus nomine *ſubſtantia* non intelligit, ut putant aliqui, ſolam ſubſtantiam contradiſtinctam ab accidente; ſed quamcumque naturam, ſeu eſſentiam, quæ habet eſſe reale, & entitas poſitiva eſt: ex quo fit, ut bona ſit tranſcendentaliter, quia hæc bonitas cum ente convertitur. Quod oſtendit *enarrat.* In *Pſalm.* 68. dicens: *Quod nulla ſubſtantia eſt, nihil omnino eſt.* Et poſtea: *Iniquitas ipſa non eſt ſubſtantia, hoc eſt, natura.* Et pro ratione ſubdit: *Non enim iniquitas eſt natura, quam formavit Deus.* Et rurſum: *Natura omnes per ipſum factæ ſunt.* Cùm ergo operationes ſive bonæ, ſive malæ, inquantùm operationes ſunt, entia ſint, aliquid ſint; ſubſtantiæ ſunt in ſenſu D. Auguſtini, naturæ ſunt, à Deo ſunt: alioquin nec operationes naturæ, & gratiæ entia eſſent, bona eſſent, à Deo eſſent: quia nec iſtæ ſubſtantiæ ſunt, ut ſubſtantia diſtinguitur ab accidente.

XI. Probatur ſecundò rationibus D. Thomæ. Quarum prima ſumitur ex hac *qu.* 79. *a.* 2. ex *Secundo diſt.* 37. *q.* 2. *a.* 2. ſupra relato, & ex *Qu.* 3. de

Digitized by Google

de Malo a. 2. Prælaudatis enim locis cùm priùs art. præcedente ſtatuiſſet, Deum nullo modo eſſe cauſam peccati; nec directè movendo voluntatem ad peccandum, nec indirectè, cùm non teneatur impedire auxilio ſuo, ne à voluntate creata ſequatur: poſtea quærens, an Deus ſit cauſa entitatis, & actionis, quæ eſt in peccato; omnibus citatis locis, abſolutè, & abſque ulla reſtrictione, aut alienatione affirmativè reſpondet; ſtatuitque, Deum eſſe cauſam actus, quin ſit cauſa defectus, qui eſt in actu, hoc diſcurſu. Actus peccati, & eſt ens, & eſt actus, ſeu motus: ſed ex utroque habet, quòd ſit à Deo; ergo &c. Min. prob. Omne ens, quocumque modo ſit, oportet derivari à primo ente: omnis actus ab aliquo exiſtente in actu cauſatur, cùm nihil agat, niſi prout eſt in actu: omne autem ens actu reducitur in primum actum, ſcilicet, Deum; & omnis motus cauſari debet à primo movente. Non eſſe autem Deum cauſam defectus, probat: quia cùm defectus illi contingat, inquantùm voluntas creata deficit ab ordine primi agentis; non poteſt reduci in Deum, ſicut in cauſam, ſed in liberum arbitrium: ſicut defectus claudicationis non reducitur in virtutem motivam, ſed in tibiam curvam ſicut in cauſam.

XII. Nec poſſunt ſubterfugere Adverſarii, dicendo: S. Tho. ſolùm velle, quòd Deus in actionem peccati influat poſitivè; non autem quòd ſit cauſa ejus propriè, & per ſe, ſed ſolùm per accidens, & permiſſivè.

XIII. Nam D. Thom. dicit, Deum eſſe cauſam illius entitatis, & actionis eâ ratione, quâ primum ens, & primus actus debet eſſe cauſa omnis entis, & omnis actus: ſed primum ens, & primus actus eſt cauſa propriè, & per ſe omnis entitatis, & actualitatis; ergo &c. Deinde S. Doct. dicit, quidquid entitatis, & actionis eſt in peccato reduci in Deum, ut in primam cauſam; non autem quidquid ibi de defectu eſt: ſed juxta Adverſarios defectus actionis Deus cauſa eſt per accidens, & permiſſiva, ut *Dub. præced.* vidimus; ergo entitatis illius actionis erit cauſa propria, & per ſe.

XIV. Ulteriùs: Quod eſt cauſa actionis per modum moventis, eſt cauſa per ſe, non per accidens, & permiſſiva: ſed juxta D. Th. Deus eſt cauſa actionis peccati per modum moventis: eſt enim cauſa illius actionis, ſicut virtus motiva animæ eſt cauſa motus, qui eſt in claudicatione; ergo &c. Hanc doctrinam apertiſſimè tradit *Qu. 3. de Malo art. 2. in corp.* his verbis: *Neceſſe eſt, omnes motus cauſarum ſecundarum cauſari à primo movente..... Deus autem eſt primum movens reſpectu omnium motuum, & ſpiritualium, & corporalium... Unde cum actus peccati ſit quidam motus liberi arbitrii, neceſſe eſt dicere, quòd actus peccati, inquantùm eſt actus, ſit à Deo. Sed tamen attendendum eſt, quòd motio primi moventis non recipitur uniformiter in omnibus mobilibus, ſed in unoquoque ſecundùm proprium modum... Cùm enim aliquid eſt in debita diſpoſitione ad recipiendam motionem primi moventis, conſequitur actio perfecta ſecundùm intentionem primi moventis: ſed ſi non ſit in debita diſpoſitione, & aptitudine ad recipiendam motionem primi moventis, ſequitur actio imperfecta. Et tunc id, quod eſt ibi actionis reducitur ad primum movens, ſicut in cauſam: quod autem eſt ibi de defectu, non reducitur in primum movens ſicut in cauſam; quia talis defectus conſequitur in actione ex hoc, quòd agens deficit ab ordine primi moventis, ut dictum eſt. Sicut quidquid eſt de motu in claudicatione, eſt ex virtute motiva animalis; ſed quidquid eſt ibi de defectu, non eſt à virtute motiva, ſed à tibia ſecundùm quòd deficit ab opportunitate mobilitatis à virtute motiva.* Et concludit: *Sic ergo dicendum eſt, quòd cùm Deus ſit primum principium motionis omnium, quædam ſic moventur ab ipſo, quòd etiam ipſa ſeipſa movent: ſicut quæ ha-* bent

Digitized by Google

bent liberum arbitrium, quæ ſi fuerint in debita diſpoſitione, & ordine debito ad recipiendam motionem, quâ moventur à Deo, ſequentur bona actiones, quæ totaliter reducuntur in Deum, ſicùt in cauſam. Si autem deficiant à debito ordine, ſequetur actio inordinata, quæ eſt actio peccati. Et ſic id, quod eſt ibi de actione, reducitur in Deum ſicut in cauſam; quod autem eſt ibi de inordinatione, vel deformitate, non habet Deum cauſam, ſed ſolum liberum arbitrium. Et propter hoc dicitur, quòd actio peccati eſt à Deo, ſed peccatum non eſt à Deo. Quibus colligitur, ex mente S. Thom. actionem peccati, ut actio eſt, eſſe non ſolùm ex cauſalitate, ſed ex motione divina: eo modo, quo motus claudicationis, ut motus vitalis, eſt ex motione animæ, & virtutis motivæ; & hoc non obſtante defectus, qui eſt in tali motu, ei non attribuitur, ſed curvitati, quæ eſt defectus tibiæ. Et ſic in caſu præſenti.

XV. Secunda ratio ſumitur ex 1. *diſt.* 36. *q.* 2. *a.* 3. ſic. Quidquid habet idæam in Deo, à Deo poſitivè ut cauſa propriè, & per ſe tali producitur: ſed actio peccati, inquantùm actio eſt, habet idęam in Deo; ergo &c. Maj. eſt D. Tho. citato loco, ubi ait: *Idęa dicitur ſimilitudo, vel ratio rei in Deo exiſtens, ſecundùm quòd eſt productiva ipſius rei, & prædeterminativa: & ideo unumquodque ſecundùm quòd ſe habet ad hoc, quòd à Deo producatur: ita ſe habet ad hoc, quòd ipſius idæa ſit in Deo. Omne autem, quod ab aliquo per ſe agente producitur, oportet, quod ſecundùm hoc, quòd ab ipſo effectum eſt, ipſum imitetur.... Et ideo cum omnis res à Deo producatur, oportet, omnium rerum idæas in ipſo eſſe.* Unde ſic diſcurro: id, quod à Deo producitur ex intentione, ut aſſimiletur ſibi, à Deo eſt, ut à cauſa propriè, & per ſe, quia procedit ex intentione agentis: ſed quidquid habet idæam in Deo, ab ipſo fit ex intentione, ut aſſimiletur ſibi ipſi; ergo &c.

Min. verò probatur ex eodem Q. 3. *de Verit. a* 4. ubi cùm ſibi objeciſſet quintum argumentum; quòd vitium, cùm aliqua natura ſit, habere debeat idæam in Deo, reſpondet: *Ad quintum dicendum, quòd ſicut actiones malæ quantùm ad id, quod habent de entitate, bona ſunt, & à Deo ſunt: ita eſt etiam de habitibus, qui ſunt earum principia, vel effectus. Unde ex hoc, quòd ſunt mala, non ponunt aliquam naturam, ſed ſolùm privationem.* Ex quibus apparet, actiones, & habitus malos, quoad entitatem ſpectatos, habere naturam à Deo exemplatam; & proinde idæam, eſtò non quatenus mali ſunt. Quod clariùs exprimit in 2. *diſt.* 37. *q.* 1. *a.* 2. *ad* 4. dicens: *In actu peccati eſt aliquid ſimilitudinem divinam retinens, puta, corporalis delectatio, vel aliquid hujuſmodi à ſummo bono exemplatum... & ideò ſecundùm hoc, quòd ſimilitudinem Dei retinent, talia entia à Deo ſunt: ſecundùm verò quod à Dei ſimilitudine recedunt, nec etiam entia ſunt, nec etiam à Deo ſunt.*

XVI. Ex hac ratione infero primò: ſecundùm doctrinam D. Tho. Deum non cauſare entitatem actionis peccati ſolùm per accidens, permiſſivè, & quaſi eam nolendo. Si enim quoad entitatem bona eſt, ens eſt, à Deo exemplata, eſt effectus Dei per ſe, ſicut quælibet alia res. Implicat enim, effectum aliquem eâ ratione, quâ aſſimilatur ſuæ cauſæ, & illius perfectionem participat, eſſe præter ejus intentionem, & inclinationem: cùm aſſimilare ſibi paſſum ſit de ratione cauſæ per ſe, imo talis ſimilitudo ſit per ſe intenta à cauſa principali; ergo implicat, quòd Deus producat entitatem actus peccati, eam ſibi aſſimilando, & non producat eam per ſe, & volens illam. Eo vel maximè, quòd, ut Dub. præcedente oſtenſum eſt ex S. Thoma, & Auguſt. *in Enchir. cap.* 10. Deus *neque iniquè quidquam facit, nec quidquam facit, niſi volens.*

XVII. Neque dicas: quòd actus peccati, eſtò gaudeat bonitate phyſica, cùm tamen ſit connexa cum malitia morali, quæ diſplicet Deo, ideo tota actio peccati Deo diſplicet. — Etenim hoc quidem probat, præfatam actionem ea ratione, quâ mala eſt, non poſſe terminare, nec amorem, nec actionem divinam; ſecus tamen ea ratione, quâ ens, actus, & perfectio eſt. Quia non obſtante connexione cum malitia morali, adhuc remanet bona bonitate derivatâ à Deo, ratione cujus eſt aliqua ſimilitudo exemplata ab illo: unde non eſt, cur ratione talis bonitatis non ametur à Deo, à quo producitur, juxta allatum *Sapientiæ* 11. teſtimonium: *Diligis omnia, quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti*. Unde D. Tho. 1. p. q. 20. a. 2. *Oportet* (inquit) *quòd inquantùm habeat aliquid eſſe, aut quodcumque bonum, inquantùm eſt volitum à Deo*. Quia verò ſibi poterat objici, Deum odio habere peccatores, reſpondet ibi ad 4. *Quòd nihil prohibet, unum & idem ſecundùm aliquid amari, & ſecundùm aliquid odio haberi. Deus autem peccatores inquantùm ſunt naturæ quædam, amat: ſic enim & ſunt, & ab ipſo ſunt. Inquantùm verò peccatores ſunt, non ſunt, ſed ab eſſe deficiunt; & hoc in eis à Deo non eſt: unde ſecundùm hoc ab ipſo odio habentur.* Quibus conſtat, omne, quod eſt, à Deo fieri, & quod ab ipſo fit, ab ipſo amari: & ſolum illud à Deo non amari, quod non eſt, nec ab ipſo fit. Cùm ergo entitas actus peccati à Deo ſit, & fiat; ab ipſo amatur ſecundùm hanc rationem: & ſecundum quòd ab eſſe moraliter deficit, nec à Deo eſſet, & à Deo odio habetur.

XVIII. Infero ſecundò: Deum non ſolùm eſſe cauſam per ſe entitatis, & actionis peccati, ut entitas, & actio eſt; ſed etiam illam, ut talem, prædeterminare. Hoc enim ſequitur, ſi, ut probatum eſt, quatenus entitas, & actio eſt, habet in Deo idæam ſui, & ſimilitudinem, ad quam fit. Quia, ut docet D. Thom. in 1. diſt. 36. q. 2. a. 3. *Idæa dicitur ſimilitudo, vel ratio rei in Deo exiſtens, ſecundùm quòd eſt productiva ipſius rei, & prædeterminativa.* Et Q. 3. de Verit. a. 1. probat, Deum non agere ex neceſſitate naturæ; quia quæ ſic agunt, *Non prædeterminant ſibi finem*. Hoc autem in Deo eſſe non poteſt: *Quia omne, quod agit propter finem, ſi non determinat ſibi finem, determinatur ei finis ab aliquo ſuperiori, quod non poteſt eſſe; quia omnes loquentes de Deo intelligunt, eum eſſe cauſam primam entium. Et ideo Plato refugiens opinionem Epicureorum, qui ponebant, omnia à caſu accidere; & Empedoclis, & aliorum, qui ponebant, omnia accidere ex neceſſitate naturæ; poſuit idæas eſſe. Et hanc etiam rationem ponendi idæas, ſcilicet* prædefinitionem *operum agendorum, innuit Dionyſ. c. 5. de Divinis Nomin. dicens: Exemplaria dicimus in Deo exiſtentium rationes ſubſtantificatas, & ſingulariter præexiſtentes, quas Theologia* prædefinitiones *vocat, & divinas, & bonas voluntates exiſtentium* prædeterminativas, & effectivas, *ſecundùm quas ſuperſubſtantialis eſſentia omnia* prædiffinivit, *& produxit.*

XIX. Placuit per extenſum verba S. Thomæ tranſcribere, ut Adverſarii videant, an hæc vox *Prædeterminatio* in ſcriptis D. Thomæ reperiatur. Deinde ex iis ſic diſcurro: Quod habet idæam in Deo, eſt ab ipſo non ſolùm factum, ſed prædefinitum, & prædeterminatum, quia idæa eſt *prædefinitio operum agendorum:* ſed actiones peccati, ut actiones ſunt, habent in Deo idæam; ergo à Deo ſunt prædeterminatæ, & prædefinitæ. Si enim determinarentur ab alio, nempe, à voluntate creata, ut volunt Adverſarii, Deo per accidens, & permiſſivè ſe habente ad eas producendas, jam Deus haberet cauſam ſuperiorem ſe, & non eſſet prima cauſa entium; nec verum eſſet, quòd *ſuperſubſtantialis eſſentia omnia prædefinivit, ac produxit*. Quapropter S. Doct. *citata* Q. 3. *de Verit. a.* 2. ait; *Inconveniens eſt autem dice-*

dicere, quòd ſit per accidens per comparationem ad cauſam primam, & ſit per ſe per comparationem ad cauſas ſecundas; quia quod eſt per ſe, prius eſt eo, quod eſt per accidens: prius autem eſt comparatio alicujus ad cauſam primam, quàm ad cauſam ſecundam. ut patet in lib. de Cauſis. Unde impoſſibile eſt, quòd ſit per accidens reſpectu cauſæ primæ, & per ſe reſpectu ſecundæ: poteſt autem accidere è converſo. Sicut videmus, quòd ea, quæ ſunt caſualiter quoad nos, ſunt Deo præcognita, & ordinata ab ipſo. Unde neceſſe eſt dicere, quòd tota diſtinctio rerum ſit prædefinita ab eo. Videant ergo, quàm elongentur à doctrina D. Thomæ, ne dixerim à veritate, qui actionem peccati, ut actio eſt, ponunt eſſe per accidens comparatè ad cauſam primam, & per ſe comparatè ad cauſam ſecundam; facientes prius, quod debet eſſe poſterius, & poſterius, quod debet eſſe prius: dùm volunt, Deum, cujus eſt omnia, & ſingula prædefinire; accipere, & ſequi determinationem creaturæ.

§. III.

Reſpondetur Adverſariorum Objectis.

XX. OBjiciunt primò varias Sacræ Script. auctoritates. Ut Iſaiæ 30. v. 1. *Væ filii deſertores, dicit Dominus, ut faceretis conſilium, & non ex me, & ordiremini telam, & non per me ipſum.* Habacuc 1. v. 13. *Mundi ſunt oculi tui, ne videas malum, & reſpicere ad iniquitatem non poteris.*

Si reſpondeatur, Iſaiam loqui de conſilio pravo, non ut actus phyſicus eſt, ſed ut pravus eſt; quo modo certè non eſt ex Deo. Nomine etiam *telæ* intelligit concatenationem unius peccati cum altero; unde Propheta ſubdit: *Ut adderetis peccatum ſuper peccatum.* Certum autem eſt, poſitionem unius peccati, & additionem alterius non eſſe à Deo. Habacuc autem loquitur de malo pro formali malitiæ, & pro ut à Deo avertit.

XXI. Contra inſtatur. Concupiſcentia non eſt formaliter peccatum, ut diximus contra Calvinum, ſed materialiter ſe habet ad peccatum: ſed concupiſcentia non eſt à Deo, nam 1. *Joan.* 2. *v.* 16. dicitur: *Concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ, non ex Patre, ſed ex mundo eſt;* ergo &c.

Reſpon. Concupiſcentiam ſumi poſſe, & ut dicit actum phyſicum tendentem in delectabile; & ſic à Deo eſt. Sumi etiam poſſe, ut tendentem in delectabile contra ordinem rationis; & ſic peccatum eſt: & de hac loquitur Joannes, dum ait, quòd non eſt ex Patre. Quare eam vocat concupiſcentiam carnis, & oculorum, quæ ex mundo eſt, ſeu quæ magis amat mundum, quàm Deum.

XXII. Objiciunt ſecundò. Poſito quòd Deus poſitivè, & non ſolùm permiſſivè operetur actum peccati, eodem modo operabitur mala opera, ſicut & bona: ſed hoc anathemate damnatur à Tridentino *Seſſ.* 6. *Can.* 6. ergo &c. Maj. prob. Si Deus cauſaret per ſe mala opera quoad entitatem ſumta, verum eſſet abſolutè, quòd cauſaret malum opus. Nam ut aliqua propoſitio ſit abſolutè vera, ſufficit, quòd prædicatum conveniat ſubjecto ſecundùm id, quod dicit de materiali, & pro quo ſupponit; eſtò ei non conveniat ſecundùm id, quod dicit de formali: ut in iſtis *Album eſt corpus, Album eſt dulce;* ergo cùm id, pro quo ſupponit peccatum, aut opus malum, ſit entitas, & actio, ut hæc propoſitio ſit vera: *Opus malum eſt per ſe cauſatum à Deo*, ſufficit, quòd prædicta entitas ſit per ſe cauſata à Deo. Quod maximè verificatur in opinione ponente peccatum pro formali in carentia rectitudinis debitæ, quæ certè *opus* non eſt, ergo cauſare per ſe opus malum, eſt cauſare entitatem, cui annexa eſt privatio.

XXIII. Confirmatur. Hæc videtur eſſe legitima conſequentia: Omnis actus eſt à Deo: quoddam peccatum eſt

Digitized by Google

eſt actus (illud nimirum, quod in commiſſione conſiſtit) ergo quoddam peccatum eſt à Deo.

XXIV. Reſpondeo, neg. maj. Ad prob. nego aſſumtum. Ut enim docet S. Tho. in 2. diſt. 37. q. 2. a. 2. *Quodcumque nomen deformitatem ſimul cum actu ſignificat, ſive in generali, ſive in ſpeciali, non poteſt dici, quòd hoc à Deo ſit ſimpliciter. Unde non poteſt dici abſolutè, quòd peccatum ſit à Deo, ut homicidium, aut aliquid hujuſmodi; niſi cum hac additione, inquantùm eſt actus, & inquantùm eſt ens.* Et ibidem ad 3. *Deus* (inquit) *eſt cauſa bonarum operationum non ſolùm quantùm ad eſſentiam actus, ſed etiam quantùm ad perfectionem, ſecundùm quam bona dicuntur: utrumque enim agenti influit, & ut agat, & ut benè agat. Sed in malis actionibus quamvis ſit cauſa earum quantùm ad eſſentiam, non tamen eſt cauſa quantùm ad defectum: & ideo abſolutè dicendus eſt cauſa bonorum operum, non autem peccatorum.* Et hæc quoque eſt mens Tridentini.

XXV. Ad ea verò, quæ ſubjiciuntur, admiſſo ant. nego conſeq. Eſtò enim hoc nomen *peccatum*, ſeu *opus malum*, titulo concreti ſupponat pro actu, qui ſubſtat deformitati; ſignificatum tamen formale illius unicè eſt deformitas illum afficiens. Hæc autem verba, *facio*, *cauſo*, *diligo*, & alia ſignificantia actum animæ interiorem, ſecundum regulas appellationis, appellant ſupra ſignificatum formale termini, in quem feruntur. Qua ratione abſolutè verificatur, artificem facere domum, & imaginem, aut picturam, quamvis ab eo nihil fiat eorum, quæ de materiali ſe habent. Cum ergo Deus viceverſa etſi cauſa ſit actus, & entitatis, quæ de materiali eſt in peccato, non ſit tamen cauſa deformitatis, & defectus; quæ hoc nomine *peccatum* formaliter ſignificantur; nullo modo dici poteſt cauſa per ſe peccati. Et exemplum habemus in his concretis, *Impius*, *peccator*, *Dæmon*, quæ quidem ſupponunt, & dicunt de materiali naturam intellectualem liberam, quæ (ut certum eſt) terminat dilectionem Dei, qui diligit omnia, quæ ſunt, & nihil odit eorum, quæ fecit: Quia tamen ſignificant de formali aliquid diſplicens Deo; ideo nequit abſolutè concedi, Deum diligere *Impium*, *Peccatorem*, *Dæmonem*.

XXVI. Ad id, quod additur, in opinione collocante peccatum pro formali in privativo, diſt. conſeq. Eſt cauſare entitatem ſecundùm id precisè, quod entitatis eſt, nego conſ. Cauſare entitatem, ut privationi conjunctam, co. conſ. Sic autem non cauſatur à Deo, ſed à voluntate creata: eo modo, quo motus claudicationis, ut motus vitalis eſt, ab anima eſt; ut verò motus privatus rectitudine, à ſola curvitate tibiæ procedit.

XXVII. Ad confirm. nego, conſequentiam illam eſſe legitimam; quia mutatur appellatio. Eſt enim ſimilis huic: *Omnis ſtatua ſit à ſtatuario: quoddam aurum eſt ſtatua* (cum ſit ſtatua ex auro) *ergo quoddam aurum ſit à ſtatuario*; quia in majori ſtatua appellat ſupra formale ſtatuæ, in minori verò ſumitur pro materiali: & ſtatuarius facit quidem formam ſtatuæ, ſed non materiam. Ita in præſenti: in majori ſumitur actus, inquantùm eſt actus, in minori verò, ut ſubſternitur deformitati, & privationi rectitudinis: omnis enim actus ſit quidem à Deo, inquantùm eſt quoddam ens; ſed non ſecundùm quòd ſubjicitur defectui, & privationi debitæ rectitudinis.

XXVIII. Objiciunt tertiò D. Auguſtinum *L. de Spirit. & litt. c.* 31. dicentem: *Nunquam legimus in Scriptura, non eſt voluntas, niſi à Deo.* Et rectè: *Alioquin peccatorum etiam* (*quod abſit*) *auctor eſt Deus, ſi non eſt voluntas niſi ab illo*: ſed dum aſſerimus, actum peccati eſſe à Deo, cogimur aſſerere, non eſſe voluntatem, niſi à Deo; ergo &c.

Confirmatur ex D. Thom. *Q.* 3. *de Malo a.* 3. dicente: *Illud ergo per ſe poteſt*

poteſt eſſe cauſa peccati, quod poteſt directè movere ad actum peccati. Atque per nos Deus movet ad actum peccati: ergo per ſe eſt cauſa peccati.

XXIX. Reſpondeo, diſt. min. Non eſſe voluntatem, ut naturam, niſi à Deo, co min. Ut defectuoſam, nego min. Auguſtinus autem dum ait, Scripturam nullibi dicere: *Non eſt voluntas niſi à Deo*, ſolum monere vult, à Deo non eſſe æquè voluntatem malam, ac bonam, aliàs peccatorum etiam auctor eſſet; non verò negare, voluntatem ut naturam, quâ ratione bona eſt, à Deo eſſe: imo hoc contra Manichæos paſſim probat.

XXX Ad confirm. Miror, Adverſarios exiſtimare, D. Thomam ibi ſibi eſſe propitium; cum *art. 2.* præcedente expreſsè ſtatuerit, actum peccati eſſe à Deo. Loco ergo citato reſolvit, Diabolum non eſſe directè cauſam peccandi; quia ad hoc oporteret, ut non ſolum extrinſecè proponendo, ſed interiùs agendo, moveret voluntatem ad actum peccandi. Ex quo tamen non ſequitur, quòd ſi Deus movet interiùs voluntatem ad actum peccandi, ei ſit cauſa peccandi, ſicut eſſet Diabolus: quia Diabolus moveret voluntatem, non ſolùm ad actum, ut actus eſt, ſed ad actum, ut deficientem à recta ratione. At Deus movet quidem interiùs voluntatem ad agendum, ſed non ad agendum defectuosè; defectus enim accidit ex voluntate creata deficiente. Unde ibidem ad 11. *Deus* (inquit) *eſt univerſale principium cujuslibet conſilii, & voluntatis, & actus humani, ſicut ſupra dictum eſt* (nempe directè interiùs operando) *ſed quòd error, & peccatum, & deformitas accidat in conſilio, voluntate, & actione humana, hoc provenit ex defectu hominis.*

XXXI. Objiciunt quartò. Deus actum peccati non vult; ergo neque ipſum per ſe cauſat. Ant. prob. Deus non vult actum, cui prævidet infallibiliter conjungendam fore malitiam, aliàs cenſeretur velle malitiam: ſicut qui vult actum concubitus cum advertentia, eam, cum qua concumbit, non eſſe ſuam, cenſetur velle malitiam fornicationis, vel adulterii.

XXXII. Confirm. Adjuvans nauclerum, ut navis ad portum perveniat, non dicitur velle ſubmerſionem navis; etiamſi ea, per culpam naucleri malè utentis adjutorio ſibi præſtito, ſubmergatur: & hoc quidem, eſtò adjuvans videat, quòd nauclerus ſuo adjutorio malè utetur, ſi juſtam cauſam habeat non ſubtrahendi ſuum auxilium; ergo ſimiliter Deus non dicetur velle actum malitiæ ſubſtratum, quamvis ad eam actionem advertens, quòd ſuo adjutorio malè utetur, ei cooperari velit.

XXXIII. Reſpondeo, neg. ant. Cùm enim quidquid eſt, nonniſi Deo volente ſit, & quidem poſitivè, ſi ens ſit; ſi Deus non vellet, exiſtere actum, qui eſt materiale in peccato, talis actus nunquam exiſteret. — Nec dicas: quòd Deus prohibet actum peccati; ergo illum non vult — Nam reſpondeo, Deum non prohibere agere, ſeu actum, ut actio eſt, ſed agere defectuosè, & inordinatè à regula: & ſub hac ratione Deus actum non vult. Sic vult Deus, miniſtrum ſuum baptizare; prohibet tamen, eum baptizare ſacrilegè: & vult Deus actionem voluntatis habentem pro objecto Deum, vel proximum; eam tamen prohibet, quatenus inordinatè ſe gerit, odio habendo Deum, vel proximum.

Ad prob. ant. nego aſſumtum, contra quod plures militant inſtantiæ. Primò. Deus vult actionem baptizandi, etſi prævideat miniſtrum, puta, hæreticum ſacrilegè baptizaturum, quin cenſeatur velle ſacrilegium. Unde S. Auguſt. Tract. 5. in Joann. *Quos* (inquit) *baptizavit ebrioſus, quos baptizavit homicida, quos baptizavit adulter, ſi Baptiſmus Chriſti erat, Chriſtus baptizavit.* Secundò. In ſententia contrariâ Deus vult præparare ſuam omnipotentiam ad concurrendum cum voluntate creata, in ea circumſtantiâ, in

Digitized by Google

qua prævidit, eam infallibiliter peccaturam; imò in ea circumſtantiâ eam ponere vult, eique dare auxilium, quod prævidit inefficax, quin cenſeatur velle peccatum inde ſecutum. Et ratio eſt: quia malitia, & peccatum, eſtò previſum, non eſt ponendum ex voluntate Dei, ſed à creatura, ejuſque voluntate; nec Deus tenetur ejus poſitionem impedire. Sic in caſu: Deus vult actionem, quamvis prævideat, ei conjungendam fore malitiam; quia hæc malitiæ conjunctio ponenda eſt à voluntate creata, non à Deo; nec Deus tenetur hoc impedire: ideoque non cenſetur velle, actum illum cum malitia conjungi. Unde patet diſparitas ab eo, qui concumbit, advertens, eam, cum qua concumbit, non eſſe ſuam; Nam ille cùm teneatur ſe abſtinere, ſi advertat mulierem non eſſe ſuam, ſi ſtante advertentiâ accedat ad eam, cenſetur, velle actum illum, etſi prohibitum, & proinde ut malum.

XXXIV. Ad confirm. Dico, eam potiùs nobis favere. Nam ſicut adjuvans nauclerum non dicitur velle ſubmerſionem navis, etiamſi ea per culpam naucleri malè utentis adjutorio ſubmergatur; verè tamen vult actionem in ſua ſubſtantiâ ſumtam, cui cooperatur: ita Deus quando cum peccatore efficit actum, qui ex culpa ipſius peccatoris peccatum eſt, non vult actum illum, inquantùm eſt defectuoſus, & deformis, ſed in ſua ſubſtantiâ ſpectatum. Quare nego conſeq. Submerſio enim navis non eſt actus, cui cooperatur ille, qui præſtat adjutorium; ſed defectus ex culpa naucleri procedens, qui malè utitur adjutorio: unde non mirum, ſi eſt præter voluntatem ejus, qui dat auxilium.

XXXV. Objiciunt quintò. Dantur quidam actus eſſentialiter, & ex objecto mali, ut odium Dei, hæreſis &c. qui conſequenter ex ſua ſpecie mali ſunt, cùm ab eis inordinatio auferri non poſſit; ergo vel Deus horum actuum cauſa non eſt, vel eſt cauſa peccati.

XXXVI. Confirm. Rei non aſſignatur cauſa efficiens, ſecundùm quòd eſt in intellectu, ſed ſecundùm quòd eſt in re: ſed quidam actus ſunt, in quibus natura actus non poteſt ſeparari à deformitate; ergo non cauſantur, niſi ut ſtant ſub illa deformitate: ſed ut ſtant ſub deformitate non ſunt à Deo; ergo prædicti actus nullo modo ſunt à Deo.

XXXVII. Reſpondeo, diſt. ant. Mali ex ſpecie in eſſe moris, co. ant. Ex ſpecie in eſſe naturæ, nego ant. Ita D. Thom. *Qu. 3. de Malo a. 2. ad 2.* dicens: *Deformitas peccati non conſequitur ſpeciem actus ſecundùm quòd eſt in genere naturæ, ſic autem à Deo cauſatur: ſed conſequitur ſpeciem actus, ſecundùm quòd eſt moralis, prout cauſatur ex libero arbitrio:* ideſt, ut eſt voluntarius. Et hâc q. 79. a. 2. ad 3. *Actus* (inquit) *& habitus non recipiunt ſpeciem ex ipſa privatione, in qua conſiſtit ratio mali; ſed ex aliquo objecto, cui conjungitur talis privatio. Et ſic ipſe defectus, qui dicitur non eſſe à Deo, pertinet ad ſpeciem actus conſequenter, & non quaſi differentia ſpecifica.*

XXXVIII Nec dicas: qui eſt cauſa formæ, eſt cauſa privationis eſſentialiter ad eam conſecutæ: ſicut dum ignis calefacit aquam, eſt cauſa privationis frigoris. — Nam hoc eſt verum, quando talis privatio conſequitur ex natura, & eſſentia actus ſecundùm ſe conſiderati; ſecus verò ſi conſequatur ex relatione ad aliquid principium exiens ordinem cauſæ primæ. Sic quia privatio rectitudinis in motu claudicationis conſequitur principium deficiens ab ordine virtutis greſſivæ; etſi in hanc reducatur motus ſecundùm ſe, non tamen privatio rectitudinis. Et intantùm ignis calefaciens aquam eſt cauſa privationis frigoris; quia hæc ex natura calefactionis ſecundùm ſe ſumtæ conſequitur. Quòd ſi calefactioni conjungeretur alia privatio proveniens ex defectu alterius cauſæ, iſta certè in ignem

non

non eſſet referenda, ſed in cauſam deficientem.

Propterea benè addunt Capreolus, Ferrarienſis, quos ſequitur Valentia: quòd ſi actus odii produceretur à ſolo Deo ſecundùm ſuam entitatem, & poneretur in lapide, aut in alio ſubjecto, eſſet idem actus in ſubſtantia; ſed non eſſet formaliter odium Dei, nec deficiens à lege, quia non eſſet actus cauſæ deficientis. Unde Becanus obſervat, quòd ſi aliquis in amentia, vel ſomno cum ignorantia invincibili eliciat aliquem actum de ſe malum; ille actus erit à Deo, nec erit malus: quòd ſi eumdem actum faciat ſui compos, evigilans, & ſciens, ac volens, actus ille malitiam moralem contrahet. Signum ergo eſt, quòd actui conjungitur malitia, non ut actus, & à Deo eſt; ſed ut exit ab ordine ad Deum, & ponitur à cauſa creatà ab ejus lege voluntariè deficiente.

XXXIX. Ad Confirm. reſpondeo cum D. Tho. *in 2. diſt. 37. q. 2. a. 2. ad 5.* ubi ſimili objectioni reſpondens, ait: *Quòd ſicut actio, quæ peccati deformitatem habet, dicitur bona, inquantùm eſt actio, bonitate naturæ; non propter hoc, quòd aliquando inveniatur ſeparata à deformitate; ſed quia bonitas illa naturæ deformitati ſubſtat: ita etiam Deus dicitur eſſe cauſa illius actionis, inquantùm eſt actio, & non inquantùm eſt deformis; hoc modo, quòd actionem non faciat à deformitate ſeparatam: ſed quia in actione deformitati conjuncta, hoc, quod eſt actionis facit, & quod deformitatis non facit. Etſi enim in aliquo effectu plura inſeparabiliter conjuncta ſunt; non oportet, ut quidquid eſt cauſa ejus quantùm ad unum, ſit cauſa ejus quantùm ad alterum: ſicut natura eſt cauſa oculi quantùm ad ſubſtantiam ejus, & non quantùm ad defectum cæcitatis, quæ ex natura defectu incidit.* Ita S. Præceptor. In quorum confirmationem alia exempla ſæpè ex eodem allata revocari poſſunt: nempe, in motu tibiæ curvæ, qui cum obliquitate conjungitur; in actione germinativa plantæ debilis in virtute: in quibus quidquid motus, & actionis eſt, à virtute motiva animæ, & à virtute Solis procedit, ut à cauſa per ſe; quidquid autem defectus eſt, à debilitate tibiæ, & plantæ procedit. Idem dicitur de perito cytharædo pulſante cytharam diſcordem; & de docto ſcriptore utente calamo malè aptato: ubi quidquid ſonus, & ſcripturæ eſt, à cytharædo, & ſcriptore ut cauſis per ſe procedit; quidquid verò diſſonantiæ, & defectus, à cythara, & calamo deficientibus eſt.

XL. Objiciunt ſextò. Si Deus vellet, voluntatem creatam producere entitatem actus peccati, poſſet illam conſulere, ac præcipere: ſed hoc negant Thomiſtæ; ergo &c. Maj. prob. Primò. Cur enim Deus non poteſt conſulere, ac præcipere voluntati creatæ, ut faciat id, quod vult, ab ipſa fieri? Secundò. Si non opponitur ſanctitati divinæ, velle entitatem peccati, cur opponetur, eam præcipere, aut conſulere? Tertiò. Nunquid Deus non poteſt præcipere voluntati creatæ, ut faciat id, quod ſecudùm ſe bonum eſt?

XLI. Reſpondeo, neg. maj. Alia enim eſt ratio Dei ut agentis univerſalis, alia Dei, ut Legiſlatoris. Ad terminandam enim divinam volitionem, & cauſalitatem per ſe Dei, ut agentis univerſalis, ſufficit, quòd in re adſit ratio entis realis dicens bonitatem phyſicam: ad hoc autem, ut aliquid terminet actionem Dei, ut Legiſlatoris, requiritur, ut bonitati phyſicæ conjunctam habeat bonitatem moralem; & multò magis, ut ſit terminus divini conſilii. Quia, ut docet D. Tho. 1. 2. q. 92. a. 1. *Proprius effectus legis eſt, facere bonos eos, quibus datur*: & 2. 2. q. 140. a. 1. *Finis legis divinæ eſt, ut homo inhæreat Deo.* Unde actus ille, in quo relucet ſolùm bonitas phyſica conjuncta cum malitia morali, poteſt quidem termi-

nare volitionem Dei, ut primi entis, & primæ cauſæ univerſalis; non tamen volitionem ejus, ut præceptivam, aut conſultivam.

XLII. Hinc patet ad primam prob. quare Deus non poſſit præcipere omne id, quod voluntate primi agentis, & univerſalis Proviſoris vult, ab ipſa fieri — Ad ſecundam etiam concedo, Deum non minùs eſſe ſanctum, ut agentem univerſalem, quàm ut Legiſlatorem, ſubjectivè loquendo; ſed terminativè non omni ſua voluntate intendit ſanctitatem, ſed ſolùm voluntate Legiſlatoris: voluntate enim univerſalis agentis intendit ſolùm producere ens. — Ad tertiam ſimiliter dico, quòd Deus poteſt quidem præcipere voluntati creatæ id, quod vult ab ipſa fieri; ſi in ejus productione, nec formaliter, nec concomitanter malè moraliter voluntas creata operetur: ſecus tamen, ſi id, quod vult fieri, eſtò ut à Deo volitum, non ſit malum, ut tamen ponendum à voluntate cum malitia morali connectitur. Hujuſmodi autem eſt entitas actus peccati.

XLIII. Sed inſtant. Si concurſus Dei, ut cauſa moralis entitatis peccati, infert neceſſario concurſum ejus in formale; potiori ratione id ipſum inferre debet concurſus Dei phyſicus volentis, & prædeterminantis eamdem entitatem; utpote dicens perfectiorem, & efficaciorem modum operandi.

XLIV. Reſpondeo comuni Noſtratum ſolutione, admiſſo ant. neg. conſequ. Nam concurſus phyſicus Deo convenit titulo primi entis, primæ cauſæ univerſaliſſimæ reſpectu cujuſcumque entis; quia quodcumque eſt tale per participationem, reduci debet in id, quod eſt tale per eſſentiam: unde terminus illius eſt ens, ut ens. At concurſus moralis non ſiſtit præcisè in entitate, & perfectione phyſica effectus; ſed ſe extendit ad omnem circumſtantiam, & modum illius; quia eſt concurſus Dei, ut cauſæ, & Proviſoris particularis: quare ſi actus malitiâ in genere moris veſtiatur, illud Deus nec præcipere, nec conſiliari poteſt. Hinc eſtò concurſus phyſicus, & prædeterminativus ſit fortior quoad efficaciam; concurſus tamen moralis major eſt quoad extenſionem. Quia prior efficaciam ſuam continet intra lineam purè phyſicam: at poſterior, eſtò non ita efficax, eſt tamen magis extenſus; quia reſpicit actum, ut exercendum à voluntate creata cum omnibus circumſtantiis, quæ hic, & nunc inveniuntur in illo, ſive ad lineam phyſicam, ſive ad lineam moralem ſpectantibus: ideoque ille poteſt negativè præſcindere à malitia, iſte non. Et hoc diſcrimen fateri debent Adverſarii. Nam Deo danti concurſum indifferentem ad bonum, & malum, eumque poſitivè volenti non adſcribunt malitiam formalem actus: Deo tamen danti conſilium, aut præceptum indifferens ad bonum, & malum, malitia actus tribueretur.

XLV. Objiciunt ſeptimò. Homo, qui peccat, nihil aliud reale producit, quàm actum peccati; ergo ſi Deus eumdem actum cauſat, non minùs erit cauſa peccati, quàm homo: quia homo non alia ratione dicitur eſſe cauſa peccati, niſi quia volens, ac ſciens liberè facit actum peccati.

XLVI. Confirm. In peccato ſunt duo: actus, & malitia. Si actum ſpectemus, & is ſit à Deo; totus erit à Deo, & totus ab homine. Si malitiam; ea nec à Deo, nec ab homine intenditur: quia nemo reſpiciens ad malum operatur; ergo vel uterque eſt cauſa peccati, vel neuter.

XLVII. Reſpondeo, diſt. ant. Nihil aliud producit, quàm actum, ut actus ille eſt à Deo, nempe, ſub ratione puræ entitatis, nego ant. Ut actus etiam dicit defectum ab ordine divino, conc. ant. *Peccatum* (inquit S. Thom. hâc q. 79. a. 2.) *nominat ens, & actionem cum quodam defectu: defectus autem ille eſt ex cauſa creata, ſcilicet ex*

libero

libero arbitrio, inquantùm deficit ab ordine primi agentis, ſcilicet, Dei. Unde defectus iſte non reducitur in Deum ſicut in cauſam, ſed in liberum arbitrium: ſicut defectus claudicationis reducitur in tibiam curvam ſicut in cauſam, non autem in virtutem motivam; à qua tamen cauſatur quidquid eſt motionis in claudicatione. Et ſecundùm hoc Deus eſt cauſa actus peccati: non tamen eſt cauſa peccati; quia non eſt cauſa hujus, quòd actus ſit cum defectu. Idem docet 1. *p. q.* 49. *a.* 2. *ad* 2. & *in* 2. *diſt.* 37. *q.* 2. *a.* 2. Quare autem Deus non poſſit eſſe cauſa hujus, quòd actus ſit cum defectu, ratio à priori eſt: quia Deus, cùm ſit ipſa prima regula, nequit deficere à regula, ſicut nequit deficere à ſeipſo.

XLVIII. Ad Confirm. reſpondeo ex dictis, actum peccati aliter eſſe à Deo, aliter à voluntate creata: à Deo ut actus eſt, à voluntate ut actus cum deformitate conjunctus. Hanc enim licèt non directè, & expreſsè, indirecte tamen, & conſequenter vult; dum ſciens, actu illo vult à lege, & regulâ rationis avertere. Ita S. Th. hâc *q.* 79. *a.* 2. *ad* 2. his verbis: *In hominem ſicut in cauſam reducitur non ſolùm actus, ſed etiam ipſe defectus; quia ſcilicet non ſubditur ei, cui debet ſubdi, licèt hoc ipſe non intendat principaliter: & ideo homo eſt cauſa peccati. Sed Deus ſic eſt cauſa actus, quòd nullo modo eſt cauſa defectus concomitantis actum: & ideo non eſt cauſa peccati.* Hoc idem docens Q. 3. de Malo a. 2. ad 1. *Homo (inquit) qui peccat, licèt per ſe non velit deformitatem peccati; tamen deformitas peccati aliquo modo cadit ſub voluntate peccantis: dum ſcilicet magis eligit deformitatem peccati incurrere, quàm ab actu ceſſare. Sed deformitas peccati nullo modo cadit ſub voluntate divina; ſed conſequitur ex hoc, quòd liberum arbitrium recedit ab ordine voluntatis divinæ.*

XLIX. Objiciunt octavò. Qui cauſat actum, quo homo fit deterior, ipſo auctore fit deterior; ergo ſi Deus cauſat actum peccati, per quem homo fit deterior, erit Deo auctore deterior.

L. Urgetur. Omne, quod eſt bonum, alicui bonum eſt: ſed dantur quædam peccata, quorum actus nemini ſunt boni; quia & facienti nocent, & ei, in quem fiunt, ut homicidium, adulterium &c. ergo tales actus nullo modo ſunt boni, nec ſunt à Deo.

LI. Reſpondeo, neg. antec. Cujus falſitas exemplis patet. Nam cùm duo eamdem navem ſimul trahunt, ad eumdem actum concurrunt; & tamen unus poteſt trahere ad bonum finem, alter ad malum, quin ille ſit cauſa, quare iſte fiat deterior. Similiter cum Dominus per ſuum ſervum exercet aliquod opus, quod ſervus facit malo fine, & Dominus bono: hic facit actum, quo alius fit deterior; nec tamen iſte eo auctore fit deterior. Sic ergo cum Deus per miniſtrum baptizat, vel abſolvit, illæ actiones à Deo ſunt, ut primo, & principali operante; à miniſtro autem ut inſtrumentali tantùm agente: & tamen ſi miniſter improbè, & malo fine eas exerceat, miniſter fit deterior, quin Deo auctore fiat deterior. Quia inordinatio earum actionum ex prava ejus voluntate eſt, non à Deo.

LII. Ad id, quod urgetur, reſpondet D. Tho. in 2. *diſt.* 37. *q.* 2. *a.* 2. *ad* 1. Quòd cum dicitur, actus peccati nulli bonus eſſe, hoc convenit ſibi, ſecundùm quòd ſub deformitate conſideratur: & hoc modo non reducitur in Deum, ſicut in cauſam. Nullus tamen actus eſt, qui ſecundùm ſe conſideratus, ſecundùm hoc, quòd bonus eſt, alicui etiam bonus non ſit: ſicut actus fornicationis, inquantùm eſt delectabilis, eſt bonum concupiſcibile.

LIII. Supereſſent aliæ objectiones, quas prætermitto. Tùm ne prolixitati plus æquo indulgeam. Tùm quia ex iis, quæ dicta ſunt, facilis adeſſe

 poteſt

Digitized by Google

poteſt ſolutio. Solùm aliqua viderentur addenda ad ſalvandum, quòd non lædatur ſanctitas Dei per concurſum prædeterminativum ad actum peccati, ut communiter docent Thomiſtæ. Sed quia de hoc locuti fuimus, dum ageremus de efficacia divinorum decretorum; & quia poſito, quòd Deus ſit per ſe cauſa actus peccati, quin ſit cauſa deformitatis, nulla major difficultas apparet, quòd ſit cauſa movens, & prædeterminans ad illum; & conſtat ex D Thoma ſuperiùs relato ex Q. 3. *de Malo a.* 2. *in corp. & ad* 4. Ideo ab hoc etiam abſtineo, ſolùmque ſiſto in eo, quod docet in 2. *diſt.* 37. *q.* 2. *a.* 2. *ad* 2. ubi objicienti, quòd ſi Deus eſſet cauſa actus peccati, moveret, & cooperaretur ad malum, reſpondet: *Quòd illud dicitur ad malum cooperari, quod inclinat ad actionem, ſecundùm quod actio deformitati ſubſtat, unde mala eſt. Hoc autem Deo non convenit: & ideo non oportet, ut ad malum cooperari dicatur, quamvis actionis illius cauſa ſit, in qua malum conſiſtit, ſecundùm quod influit agenti eſſe, poſſe, & agere, & quidquid perfectionis in agente eſt.*

DUBIUM V.

An Diabolus ſit Hominibus cauſa Peccandi?

§. I.

An ſit Cauſa directa?

I. Diabolum peccaſſe, ac peccare, atque adeo eſſe cauſam directam peccatorum, quæ ipſe committit, nemini dubium eſt; ſive Scripturam conſulamus, quæ 1. *Joan.* 3. *v.* 8. dicit: *Diabolus ab initio peccat;* ſive recolantur ea, quæ in 1. *p.* de peccato Angelorum à nobis dicta ſunt. Quod ergo in dubium vertitur eſt: An ſit directè cauſa peccatorum, quæ ab hominibus committuntur. De quo S. Doctor hàc 1. 2. *qu.* 80. *a.* 1. & *Qu.* 3. *de Malo art.* 3.

II. Certum eſt, Diabolum eſſe aliquomodo cauſam peccatorum, quæ homines committunt. Ipſe enim induxit Hevam ad peccandum; tentavit ad illud inducere S. Job, imò & ipſum Chriſtum. Unde S. Petrus Ep. 1. c. 5. v. 8. *Vigilate* (inquit) *quia adverſarius veſter Diabolus circuit quærens, quem devoret.* Et ad *Epheſ.* 6. *v.* 12. ait Paulus: *Non eſt nobis colluctatio adverſùs carnem, & ſanguinem, ſed adverſùs principes, & poteſtates, adverſùs mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus.*

III. Dico ergo primò. Diabolus non eſt cauſa peccati hominis directè, vel ſufficienter. Ita S. Tho. citatis locis. Probatur ratione ejuſdem. Ut Diabolus eſſet directè cauſa peccati, deberet agere in voluntate, eamque movere ad actum peccati: quia eo modo aliquid eſt cauſa peccati, quo eſt cauſa actus peccati; cauſa autem eſſe non poteſt, niſi moveat principium illius actus ad agendum; proprium autem principium actus peccati eſt voluntas: ſed Diabolus non poteſt phyſicè movere voluntatem hominis, interiùs in ea operando, vel actum ejus interiorem efficiendo: hac enim ſolus Deus, qui eſt cauſa voluntatis, facere poteſt; ergo &c.

IV. Hoc mirè explicat D. Thom. Q. 3. *de Malo a.* 3. citato, his verbis: *Actus voluntatis nihil eſt aliud, quàm inclinatio quædam voluntatis in volitum; ſicut & appetitus naturalis nihil eſt aliud, quàm inclinatio naturæ ad aliquid. Inclinatio autem naturæ eſt, & à forma naturali, & ab eo, qui dedit formam: unde dicitur, quòd motus ignis ſurſùm eſt ab ejus levitate, & à generante, quod talem formam creavit. Sic ergo motus voluntatis directè procedit à voluntate, & à Deo, qui eſt voluntatis cauſa, qui ſolus in voluntate operatur, & voluntatem inclinare poteſt in quodcumque voluerit. Deus autem non eſt cauſa peccati, ut ſupra.*

Digitized by Google

ſupra oſtenſum eſt . Relinquitur ergo , quòd nihil aliud ſit directè cauſa peccati humani , niſi voluntas.

V. Dico ſecundò . Diabolus poteſt eſſe hominibus cauſa peccati per modum , perſuadentis , & ut proponens apppetibile. Ita S. Tho. hâc *q.* 80. *a.* 1. Ubi poſtquam dixit , Diabolum non poſſe movere voluntatem ad peccandum cauſando actum voluntatis , proſequitur docens : quòd *ex parte objecti poteſt intelligi , quòd aliquid moveat voluntatem tripliciter . Uno modo ſicut ipſum objectum propoſitum ; ſicut dicimus , quòd cibus excitat deſiderium hominis ad comedendum . Alio modo ille , qui proponit , vel offert hujuſmodi objectum . Tertio modo ille , qui perſuadet , objectum propoſitum habere rationem boni ; quia & hic aliqualiter proponit proprium objectum voluntati , quod eſt rationis bonum verum , vel apparens .* Et concludit : *Primo igitur modo res ſenſibiles exteriùs apparentes movent voluntatem hominis ad peccandum . Secundo autem , & tertio modo vel Diabolus , vel etiam homo poteſt incitare ad peccandum , vel offerendo aliquod appetibile ſenſui , vel perſuadendo rationi .* Sic pomum vetitum movit Hevam per modum objecti ; Diabolus autem per modum exteriùs offerentis , & perſuadentis ejus voluntati tanquàm bonum .

VI. Hoc modo intelligenda eſt Scriptura *Sap.* 2. *v.* 24. dum ait : *Invidiâ Diaboli mors* (& propterea peccatum) *introivit in orbem terrarum :* & exponi debent PP. dum ajunt , Diabolum inſpirare malignos affectus , vel trahere animam in affectum malitiæ ; nempe , *quòd Diabolus ſuggerendo , vel aliqua appetibilia proponendo , inducit ad affectum peccati* , ut ait D. Tho. hìc *ad* 1.

VII. Si dicas . Inferius natum eſt moveri à ſuperiori ; ergo ſicut Deus , qui eſt ſuperior homine , & Angelo , operatur per ſe in utriuſque voluntate ; ita Angelus , qui eſt ſuperior homine , in hujus voluntate poterit operari ; & ſicut Deus operatur bonum , ita Angelus malus poterit operari in ea peccatum .

VIII. Reſpondeo , inferius natum eſſe moveri à ſuperiori , interiùs quidem operante , ſi ſuperius ſit cauſa inferioris ; ſolùm autem exteriùs immutando , ſi non ſit cauſa inferioris . Unde patet diſcrimen : nam Deus eſt cauſa voluntatis Angeli , & hominis ; unde poteſt in ea interiùs operari : Diabolus autem eſt cauſa voluntatis hominis ; unde ſolùm poteſt eam extrinſecùs movere ſuggerendo , vel perſuadendo . Quapropter aliter Deus movet ad bonum , ac Diabolus ad malum : nam Deus ſuâ gratiâ movet efficienter , & intrinſecè , Diabolus verò ſolùm moraliter exteriùs malum ſuggerendo .

non

§. II.

An Diabolùs poſſit inducere Homines ad peccandum operando circa Partem Senſitivam interiorem ?

IX. DIco . Poſſe . Ita S. Tho. hâc *q.* 80. *a.* 2. & *Q.* 3. *de Malo a.* 4. & prob. ejus ratione ſic . Natura corporalis naturaliter obedit ſpirituali , quantùm ad motum localem : *Unde & Diabolus omnia illa cauſare poteſt , quæ ex motu locali corporum inferiorum provenire poſſent , niſi virtute divina reprimatur :* ſed ex motu locali corporum ſequi poſſunt varii effectus , & immutationes in phantaſia , & appetitu ſenſitivo hominis , quibus faciliùs diſponatur ad peccatum ; ergo has cauſare poteſt Diabolus , niſi à Deo reprimatur . Min. prob. Ex motu locali ſpirituum aliquæ ſpecies formari poſſunt in imaginatione . Dicit enim Philoſophus (l. de Somno , & vigilia c. 3. & 4.) *Quòd cum animal dormierit , deſcendente plurimo ſanguine ad principium ſenſitivum , ſimul deſcendunt motus , ſive impreſſiones relictæ ex ſenſibilium motionibus , quæ in ſenſibilibus ſpeciebus conſervantur , & movent principium apprehenſivum ; ita-*

ut:

ut appareant, ac ſi tunc principium ſenſitivum à rebus ipſis exterioribus immutaretur .... Similiter appetitus ſenſitivus concitatur ad aliquas paſſiones, ſecundùm quemdam determinatum motum cordis, & ſpirituum: itaut fiat magis diſpoſitus ad iraſcendum, vel concupiſcendum Cùm ergo Dæmones hæc omnia probè norint, ſicut & naturalem cujuſvis hominis propenſionem; excitare poſſunt, ſicut in dormientibus, ita & in vigilantibus motus locales in ſpiritibus, quibus in eorum imaginatione aliqua ſpecies alicujus ſenſibilis efformetur: & inde concitatâ paſſione facere, ut id, quod proponitur imaginationi, judicetur proſequendum: *quia ei, qui à paſſione detinetur, videtur eſſe bonum id, ad quod per paſſionem inclinatur.* Ita diſcurrit S. Tho. hìc *a.* 2. *&* Q. 3. *de Malo a.* 4. concludens: *Sic ergo patet, quòd Diabolus interiùs perſuadet peccatum imprimendo in vires ſenſitivas interiores, & exteriores: per modum autem diſponentis poteſt eſſe cauſa peccati, inquantùm per ſimilem commotionem ſpirituum, & humorum facit aliquos magis diſpoſitos ad iraſcendum, vel concupiſcendum, vel ad aliquid hujuſmodi. Manifeſtum eſt enim, quòd corpore aliqualiter diſpoſito, eſt homo magis pronus ad concupiſcentiam, & iram, & hujuſmodi paſſiones, quibus inſurgentibus homo diſponitur ad conſenſum. Sic ergo patet, quòd Diabolus interiùs inſtigat ad peccatum perſuadendo, & diſponendo, non autem perficiendo peccatum.*

X. Porro cum dicitur, Diabolum poſſe producere in phantaſiam formam, ſeu ſpeciem rei; non ita intelligendum eſt, ut illas poſſit totaliter de novo efformare, & imprimere: non enim poteſt facere, quòd cæcus natus imaginetur colores, aut ſurdus à nativitate imaginetur ſonos, ut advertit S. Tho. Q. 3. *de Malo a.* 4. *ad* 4. ſed ſolùm quòd ſpecies à ſenſibus primordialiter acceptas (ut ait hìc *ad* 3.) & quaſi dormientes, ac ſepultas, modo dicto movere, & excitare poſſit, ut phantaſiæ præſententur. De quo videndus eſt S. Thomas Q. 16. *de Malo a.* 11. & maxime *ad* 1. ubi ait: *Quod Dæmones non poſſunt novam formam imprimere in organa corporea ſenſuum; poſſunt tamen formas in organis ſenſibilibus conſervatas aliquo modo transſmutare, ut ſecundùm eas aliqua apparitiones fiant.* Quod repetit ibidem *ad* 9. ubi addit, hoc facere Dæmones *localiter movendo, non quidem ſubſtantiam organi dividendo, ut ſic conſequatur ſenſus doloris; ſed movendo ſpiritus, & humores .... & ſic aliquod novum imaginationi offerre ſecundùm diverſas compoſitiones motuum, & ſpecierum, quaſi quorumdam ſeminum in organis ſenſibilibus latentium, quorum virtutes ipſe* (Dæmon) *cognoſcit.*

XI. Hinc naſcitur dubium: an Dæmon ſemper noverit ea, quæ ſunt in phantaſia, vel in aliis ſenſibus interioribus, ſive quæ homo imaginatur, & cogitat — Cui reſpondetur. Non ſemper noſſe, quia ſenſus interiores non ſemper: ac neceſſariò ſequuntur impreſſionem corporalem, ſed ſubjiciuntur voluntatis arbitrio: quæ cùm Diabolo non ſubjiciatur, nec illa ſubjiciuntur interiora, quæ illi ſubjiciuntur, & ab illa moventur, niſi aliquo ſigno exteriùs appareat. Ut enim docet D. Tho. q. 16. de Malo art. 8. *Cùm intellectus angelicus ſit ſuperior ordine natura noſtro intellectu, poſſunt Angeli boni, vel mali ſpecies in anima noſtrâ exiſtentes cognoſcere. Sed quantùm ad uſum, conſiderandum eſt, quòd uſus ſpecierum intelligibilium, qui eſt actualis cogitatio, dependet ex voluntate: utimur enim ſpeciebus habitualiter in nobis exiſtentibus, cùm volumus ... Motus autem voluntatis humana dependet ex ſummo ordine rerum, qui eſt ſummum bonum. Id autem, quod cadit ſub ordine ſuperioris cauſa, non poteſt cognoſcere inferior cauſa; ſed ſolùm ſuperior cauſa movens, & ille, qui movetur. Sicut ſi aliquis civis eſt ſub Præ-*

poſi-

Digitized by Google

poſito tanquam ſub inferiori cauſa, & ſub Rege tanquam ſub ſuprema; non poterit Præpoſitus cognoſcere circa civem, ſi quid immediatè Rex circa ipſum ordinaverit, ſed ſolùm Rex, & civis, qui movetur ſecundùm ordinem Regis. Unde cùm voluntas interiùs non poſſit niſi à Deo moveri, cujus ordini immediatè ſubeſt motus voluntatis, & per conſequens voluntaria cogitationis; non poteſt cognoſci neque à Dæmonibus, neque à quocumque alio, niſi ab ipſo Deo, & ab homine volente, & cogitante.

XII. Cæterùm cùm ex dictis variis admodum modis poſſit Diabolus homini illudere, non tantùm in ſenſibus externis, ſed & internis; ut mirabili voluptate ipſum afficiendo, apparitiones, ac revelationes divinas ſimulando, nec non colloquia de rebus divinis cum B. Virgine, & etiam Chriſto Domino fingendo: magnâ propterea cautelâ, ac diſcretione uti debent Confeſſarii ad ſimilia detegenda, præſertim in mulieribus; & is, qui talia patitur, magna ſubmiſſione, & humilitate munire ſe debet.

§. III.

Duo Quæſita examinantur.

XIII. Quæritur primò: An Diabolus poſſit inducere homini neceſſitatem ad peccandum?

Reſpondeo negativè cum D. Thom. hâc *qu.* 80. *a.* 3. Et prob. hoc diſcurſu. Diabolus, vel ita perturbat imaginationem, & appetitum ſenſitivum; ut uſus rationis liber penitus tollatur, vel impediatur: vel ita ut relinquatur aliquod liberum rationis exercitium. Priori modo neceſſitare quidem poteſt, & cogere ad actum, qui ex genere ſuo eſt peccatum (ut in arreptitiis, & energumenis, quos cogit ad enuncianda verba blaſphema, vel etiam ad alios actus ex objecto malos) *Sed tunc ratione ſic ligatâ, non imputatur ei ad peccatum;* quia deeſt libertas arbitrii, ſinè quâ actus non poteſt eſſe voluntarius, ac proinde nec peccatum. Poſteriori modo poteſt quidem diſponere, ſed non neceſſitare ad peccandum: quia ſi ratio non ſit totaliter ligata, ex ea parte, quâ eſt libera, poteſt reſiſtere peccato, & Diaboli tentationem repellere. Propterea monet S. Petrus Ep. 1. cap. ultimo v. 8. *Sobrii eſtote, & vigilate, quia adverſarius veſter Diabolus circuit quærens quem devoret, cui reſiſtite fortes in fide.* Et S. Jacobus c. 4. v. 7. *Reſiſtite Diabolo;* & mox additur; *& fugiet à nobis.* Tùm *ad Epheſ. 6. v.* 16. ait Paulus: *In omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere.* Quòd ſi poſſumus Diabolo impugnanti reſiſtere, eum fugare, ejuſque tela extinguere; manifeſtum eſt. Diabolum nullo modo poſſe neceſſitatem inducere homini ad peccandum: quia, ut nuper dicebamus, in voluntatem humanam, & ea, quæ ejus libertati ſubjiciuntur, Dæmon agere nequit.

XIV. Hinc etſi Diabolus movere poſſit hominis imaginationem, ut dictum eſt, ac etiam ſenſus exteriores; quia tamen voluntas poteſt non aſſentiri iis, quæ per ſenſum, vel imaginationem ſunt apprehenſa: ideo Diabolus non poteſt neceſſitare voluntatem hominis ad peccandum (ut docet D. Tho. hìc *ad* 2.) Nec etiam neceſſitare poteſt, movendo concupiſcentiam. Nam ut ait idem S. Doct. hìc ad 3. *Concupiſcentia carnis contra ſpiritum, quando ratio ei actualiter reſiſtit, non eſt peccatum, ſed materia exercendæ virtutis. Quòd autem ratio ei non reſiſtat, non eſt in poteſtate Diaboli: & ideo non poteſt inducere neceſſitatem peccandi.*

Quæritur ſecundò: An omnia peccata hominis, Diabolo directè ſuggerente, & inſtigante, committantur?

XV. Reſpondet D. Thom. hìc a. 4. & Q. 3. de Malo a. 5. Primò. *Quòd occaſionaliter, & indirectè Diabolus eſt cauſa omnium peccatorum noſtrorum,*

inquan-

inquantùm induxit primum hominem ad peccandum; ex cujus peccato intantùm vitiata eſt humana natura, ut omnes ad peccandum proclives ſimus: Sicut ſi diceretur eſſe cauſa combuſtionis lignorum, qui ligna ſecaret, ex quo ſequeretur, quòd facilè incenderentur.

Directè autem non eſt cauſa omnium peccatorum humanorum, ita quòd ſingula peccata perſuadeat. Quod Origenes (L. 3. Periarch. c. 2.) *probat ex hoc: quia etiamſi Diabolus non eſſet, homines haberent appetitum ciborum, & venereorum, & ſimilium, qui poſſet eſſe inordinatus, niſi ratione ordinaretur, quod ſubjacet libero arbitrio.* Ita S. Thom. Quod maximè contingere poteſt, ſuppoſita corruptione naturæ, & ſtimulante concupiſcentia: ait enim D. Jacobus c. 1. v. 14. *Unuſquiſque verò tentatur à concupiſcentia ſuâ abſtractus, & illectus. Sic ergo* (inquit Q. 3. de Malo a. 5. citato) *non eſt neceſſarium, omnia peccata ex inſtinctu Diaboli provenire. Si qua tamen ex inſtinctu ejus proveniunt; ad ea complenda eo blandimento decipiuntur homines, quo primi Parentes, ut Iſidorus dicit. Et ſi qua etiam peccata abſque inſtinctu Diaboli perpetrantur; per ea tamen homines fiunt filii Diaboli, inquantùm ipſum priùs peccantem imitantur.*

XVI. Nec ex hoc ſequitur, peccatum hominis, Diabolo non ſuggerente commiſſum, fore irremediabile, ſicut peccatum Angeli; cùm dicat Gregorius *L. 4. Moral. c. 10.* quòd *peccatum Diaboli eſt irreparabile, quia cecidit nullo ſuggerente.*

Nam non intendit Gregorius ibi aſſignare cauſam unicam, vel adæquatam: *Peccatum* enim *Diaboli fuit irremediabile; quia nec aliquo ſuggerente peccavit; nec habuit aliquam pronitatem ad peccandum ex præcedenti ſuggeſtione cauſatam: quod de nullo hominis peccato dici poteſt.* Ita D. Tho. hìc *ad* 3. Sed de cauſa irreparabilitatis peccati Angeli plura diximus ſuo loco.

QUÆSTIO VII.

De Effectibus Peccati Actualis.

DE effectibus peccati Originalis egimus *Tom. 6. in* 1. *p. q.* 10. nunc de effectibus peccati perſonalis actualis pro complemento hujus Tractatus agere breviter, intendimus. Hi autem ſunt macula ex peccato actuali mortali relicta in anima, vulgò dicta peccatum habituale; & pœna, quam homo mortaliter peccando incurrit.

DUBIUM I.

Quid ſit Peccatum Habituale, ſeu Macula ex Peccato Actuali relicta.

§. I.

Peccati Habitualis Exiſtentia.

I. PRoteſtantes, quemadmodum volunt, hominem eſſe juſtum ſolâ imputatione juſtitiæ Chriſti; ita ſolâ peccati imputatione volunt, eſſe peccatorem; quare tranſacto peccato nihil intrinſecum autumant in eo manere: contra quos plura dixi *in vera Eccleſia*. Doctrina tamen Catholica aliquid ex peccato actuali relictum in anima, quod vocat peccatum habituale, ſeu maculam, agnoſcit; quamvis in explicando in quo conſiſtat, diffideant Theologi.

II. S. Thomas hâc 1. 2. *q.* 86. *a.* 1. maculam ex peccato actuali relictam explicat exemplo corporalium: *Macula* (inquit) *propriè dicitur in corporalibus, quando aliquod corpus nitidum perdit ſuum nitorem ex contactu alterius corporis, ſicut veſtis, & aurum, & argentum, aut aliud hujuſmodi. In rebus autem ſpiritualibus ad ſimilitudinem hujus oportet maculam dici. Habet autem anima hominis duplicem nitorem: Unum quidem ex refulgentia luminis natura-*

turalis rationis, per quam dirigitur in ſuis actibus. alium verò ex refulgentia divini luminis, ſcilicet, ſapientia, & gratia, per quam etiam homo perficitur ad benè, & decenter agendum. Eſt autem quidam animæ tactus, quando inhæret aliquibus rebus per amorem: cum autem peccat, adhæret rebus aliquibus contra lumen rationis, & divinæ legis, ut ex ſupradictis patet. Unde ipſum detrimentum nitoris ex tali contactu proveniens, macula animæ metaphoricè vocatur. Unde S. Auguſtinus relatus à D. Thom. *Opuſc.* 61. *c.* 13. ait: Quòd *anima media inter Deum, & creaturas, converſione ad Deum illuminatur, melioratur, & perficitur; converſione ad creaturas obtenebratur, deterioratur, & corrumpitur.*

III. Nec obeſt ſi dicas. Intellectus ex conſideratione cujuſcumque rei non maculatur, ſed magis perficitur; ergo nec voluntas ex adhæſione cuicumque rei maculabitur, ſed magis perficietur.

IV. Reſpondet enim S. Thom. hìc ad 2. *Quòd actio intellectus perficitur, ſecundùm quòd res intelligibiles ſunt in intellectu per modum ipſius intellectus* (ideſt materialia modo immateriali) *& ideo intellectus ex eis non inficitur, ſed magis perficitur. Sed actus voluntatis conſiſtit in motu ad ipſas res; ita quòd amor rei amatæ animam conglutinat: & ex hoc anima maculatur, quandò inordinatè inhæret, ſecundùm illud Oſeæ* 9. Facti ſunt abominabiles, ſicut ea, quæ dilexerunt.

Maculatur autem anima *ex rebus inferioribus non virtute earum, quaſi agentibus eis in animam: ſed magis è converſo anima actione ſuâ ſe inquinat, inordinatè eis inhærendo contra lumen rationis, & divinæ legis*. Ita S. Doct. hìc *ad* 1.

V. Quemadmodum ergo qui voluntariè adhæret, ac ſeſe dejicit in lutum, etiam tranſacta illa actione, manet inquinatus habitualiter, donec abſtergatur, & mundetur: ita anima, etiam tranſacta actuali adhæſione rebus inferioribus contra legem, remanet habitualiter maculata, & ſordidata, donec per pœnitentiam emundetur: & hanc vocat D. Thom. maculam peccati relatè ad turpitudinem, quam contraxit; & Recentiores vocant peccatum habituale, quaſi peccatum adhuc manens, quia non retractatum. Idem tamen cum S. Thoma ſentiunt Recentiores. Quia eſſe maculatum, & immundum coram Deo, quod ſignificat *macula*, idem eſt, ac eſſe adhuc in peccatis, & Deo offenſum, quod per peccatum habituale exprimitur.

VI. Hujus maculæ ex peccato relictæ meminerunt paſſim Scripturæ, ut Iſaiæ 4. v. 4. *Si Abluerit Dominus ſordes filiarum Sion.* Et c. 64. v. 6. *Facti ſumus ut immundus omnes nos.* Ezech. 36. v. 29. *Salvabo vos ex univerſis inquinamentis veſtris.* Jerem. 2. v. 22. *Maculata es in iniquitate tua coram me, dicit Dominus.* Ad Tit. 1. v. 15. *Inquinata ſunt eorum & mens, & conſcientia*, & alibi.

VII. Statutâ ergo exiſtentiâ hujus maculæ peccati, ſeu peccati habitualis, remanet aſſignare quid ſit, ſeu in quo conſiſtat: diſſident enim Theologi inter ſe. Scotus dicit, conſiſtere in ordinatione paſſiva ad pœnam propter peccatum commiſſum. Vazquez, & alii, maculam, ſeu peccatum habituale in ſola denominatione extrinſecâ proveniente à peccato præterito moraliter perſeverante, quia non retractato, conſiſtere aſſeverant. Alii Peccatum habituale ponunt in quodam habitu, quo anima, & voluntas manent converſæ habitualiter ad bonum commutabile, ſicut ad finem ultimum. S. Thomas autem hìc *a.* 1. *&* 2. & alibi aſſerit, maculam peccati non eſſe aliquid poſitivum; ſed formaliter conſiſtere in privatione nitoris animæ conſideratâ cum ordine ad ſuam cauſam, quod eſt peccatum actuale.

§. I.

Conſtitutivum Maculæ, ſeu Peccati Habitualis.

VIII. **D**Ico primò. Macula peccati non eſt idem ac reatus, ſeu obligatio ad pœnam. Prob. primò. Obligatio ad pœnam eſt poſterior, quàm macula: non enim dicitur aliquis eſſe vel peccator, vel immundus, quia eſt ad pœnam luendam obligatus; ſed è contra, ideo eſt obligatus ad pœnam, & pœnâ dignus, quia eſt peccati maculâ inquinatus. Unde D. Th. *in 2. diſt.* 42. in expoſitione textus: *Macula* (inquit) *eſt medium inter actum peccati, & reatum: quaſi effectus actus, & fundamentum reatus* — Addo, quòd etſi Deus nullam ſtatuiſſet pœnam pro peccato; adhuc eſſet anima poſt actum peccati maculata, immunda, & in ſtatu peccati.

IX. Secundò prob. Maculâ peccati redditur homo Deo abominabilis, Oſeæ 9. v. 10. *Facti ſunt abominabiles, ſicut ea, quæ dilexerunt*: ſed non redditur abominabilis homo formaliter per obligationem ad pœnam, cum hanc obligationem Deus non abominetur, ſed velit tanquam juſtam; ergo &c. Ex quo ſic arguo: obligatio ad pœnam eſt à Deo, qui ſtatuit pœnam contra improbos, voluitque eſſe ad pœnam obligatos: ſed macula peccati non eſt à Deo; ergo &c.

X. Tertiò prob. Damnati in inferno continuò peccantes novas maculas contrahunt: & tamen cùm non ſint in ſtatu demerendi, non ordinantur à Deo ad novam pœnam. E contra remiſſâ culpa, & ablatâ maculâ mortali, plerumque remanet obligatio ad pœnam temporalem; ergo macula non eſt obligatio ad pœnam.

XI. Accedit demum: quòd S. Pius V. & Gregorius XIII. inter alios articulos hunc ordine 54. condemnaverunt, qui ſic dicebat: *In peccato duo ſunt, actus, & reatus; transeunte autem actu, nihil remanet niſi reatus, ſive obligatio ad pœnam*; ergo macula, quæ poſt peccatum reſtat, aliud eſſe debet, quàm obligatio ad pœnam.

XII. Dico ſecundò. Macula, ſeu peccatum habituale non eſt ſola denominatio extrinſeca, deſumta à peccato actuali præterito non retractato. Prob. primò. Iiſdem ferè rationibus, quibus Tom. 6. *in* 1. *p. q.* 8. *de pecc. Origin. Dub.* 3. §. 1. oſtendimus, peccatum originale in Poſteris non eſſe ipſummet Adæ peccatum, ut moraliter perſeverans extrinſecè denominans. Et ſanè: nam ſi peccatum Adami præteritum, ut denominans extrinſecè, ac moraliter perſeverans in omnibus, non eſt ſufficiens ad denominandos omnes peccatores; quia peccatum originale conſtituit omnes intrinſecè peccatores, & inimicos Dei: eadem ratione peccatum actuale perſonale, ut moraliter perſeverans, non poterit hominem conſtituere habitualiter peccatorem, & Deo offenſum; niſi præter hoc aliquid intrinſecum ex eo in homine maneat, quo formaliter, & intrinſecè injuſtus dicatur, & quod Deus in illo abominetur. — Quod confirmo. Ut homo dicatur habitualiter juſtus, non ſufficit actualis juſtitia, ſeu opus meritorium præteritum moraliter perſeverans; ſed requiritur juſtitia habitualis, ei intrinſeca, quâ formaliter denominetur juſtus: & ut docet Tridentinum *Seſs.* 6. *c.* 7. quâ *non modò reputemur, ſed verè juſti nominemur, & ſimus, juſtitiam in nobis recipientes &c.* ergo ut homo dicatur habitualiter peccator, ac ſit, & non ſolùm reputetur talis, non ſufficit actuale peccatum præteritum moraliter perſeverans; ſed aliquid intrinſecum permanens in eo poni debet, ex peccato actuali relictum.

XIII. Prob. ſecundò. Si Deus non promiſiſſet veniam pœnitentibus, atque adeo non vellet eis peccatum remittere; macula peccati remaneret, quantumcumque ipſi per pœnitentiam illud retractarent; ergo macula eſt aliud,

Digitized by Google

aliud, quàm peccatum commiſſum, & non retractatum.

XIV. Dico tertiò. Macula peccati, ſeu peccatum habituale non eſt habitus, ſeu qualitas inclinans ad bonum commutabile. Probo primò ex Divo Thoma *in 4. diſt. 18. qu. 1. a. 2.* in arg. *ſed contra*, ubi ait: *Ex peccato non remanet poſitivè aliquid in anima, niſi diſpoſitio, vel habitus, qua conſequuntur peccatum ex parte actus, ex quo aliquid ponit: ſed macula non eſt diſpoſitio ex actu cauſata, nec habitus: quod patet ex hoc, quòd diſpoſitio, & habitus poſſunt ſinè gratiâ deſtrui per contrariam conſuetudinem .... macula autem ſinè gratia non aufertur: ergo macula non ponit aliquid poſitivum in anima.*

XV. Secundò. In homine recenter juſtificato remanent adhuc, ſaltem per modum diſpoſitionis, habitus pravi, quos per varios antecedentes vitiorum actus acquiſivit: & tamen macula fuit in eo per juſtificationem prorſus deleta; ergo macula non eſt habitus. — Addo: unico actu habitum non acquiri, ſed ex frequentatione actuum: ſed macula unico actu peccati contrahitur; ergo macula non eſt habitus.

XVI. Dico quartò. Macula peccati mortalis, ſeu peccatum habituale eſt defectus, ſeu privatio nitoris gratiæ, qui deberet eſſe in anima, cum reſpectu ad peccatum præcedens. Ita S. Thomas hâc *q. 86. a. 1. ad 3.* his verbis: *Macula non eſt aliquid poſitivè in anima, nec ſignificat privationem ſolam, ſed privationem quamdam nitoris animæ in ordine ad ſuam cauſam, quæ eſt peccatum: & ideo diverſa peccata diverſas maculas inducunt. Et eſt ſimile de umbra, quæ eſt privatio luminis ex objecto alicuius corporis, & ſecundùm diverſitatem corporum objectorum diverſificantur umbræ.* Quibus verbis non ſolùm docet, maculam eſſe privationem nitoris; ſed ulteriùs ex quo eſt privatio, non nuda, ſed ſuam cauſam reſpiciens, ſicut umbra eſt privatio luminis ex corpore objecto; ſicut ad diverſitatem corporum objectorum diverſificantur umbræ: alia enim umbra eſt, quæ cauſatur ex homine, alia quæ ex arbore: ita non una eſt omnium peccatorum macula; ſed ex diverſitate peccatorum diverſæ maculæ reſultant in anima.

Hoc idem docet in *2. diſt. 42. q. 1. a. 2. ad 4.* dicens: *Privatio gratiæ non habet rationem maculæ, niſi ſecundùm quòd ex actu præcedenti inducitur: & ideo ſecundùm diverſitatem actuum ſunt etiam diverſæ maculæ. Quamvis enim quolibet actu peccati mortalis quælibet virtus privetur, non tamen eodem modo: ſed actu luxuriæ caſtitas per ſe privatur, & aliæ virtutes ex conſequenti, ſecundùm quòd ſunt caſtitati annexæ: per furtum autem actus juſtitiæ per ſe, & aliarum virtutum ex conſequenti, & ſic de aliis: ideo non oportet, quòd omnium peccatorum ſit una macula.* Eadem docet in *3. diſt. 36. q. 1. a. 5. ad 2.* & in *4. diſt. 18. qu. 1. art. 2. quæſtiunc. 1. ad 1.* his verbis: *Quamvis quantùm ad ipſam privationem gratiæ non differant maculæ peccatorum; differunt tamen quantùm ad cauſam, ex qua macula conſequitur: & ſecundùm hoc etiam quodlibet peccatum unam maculam addit, inquantùm novum obſtaculum gratiæ ponit.*

XVII. Probatur primò ſic. Eodem proportionali modo loquendum eſt de macula, ſeu de peccato habituali perſonali, ac de macula, ſeu peccato habituali originali: ſed hoc non in alio conſiſtere, quàm in privatione juſtitiæ originalis per ordinem ad ſuam cauſam, nempe, peccatum actuale Adami, quod fuit voluntarium nobis, diximus *Tom. 6. in 1. p. Q. 8. de pecc. Orig. quoad eſſentiam Dub 4. §. 4.* ergo etiam macula, ſeu peccatum habituale perſonale conſiſtit in privatione nitoris gratiæ per ordinem ad ſuam cauſam, nempe, peccatum actuale præteritum voluntarium voluntate propriâ.

XVIII. Probatur ſecundò. Id eſt

Digitized by Google

formale conſtitutivum peccati habitualis, quod primò, & per ſe excluditur per juſtificationem, cum hæc ſit remiſſio peccatorum: ſed quod primò, & per ſe per juſtificationem excluditur, eſt privatio gratiæ, ex peccato actuali mortali præterito inducta; cùm gratiæ infuſio ſit terminus *ad quem* juſtificationis, ut docet S. Tho. hàc 1. 2. *q.* 113. *a.* 1. & ibid. *a.* 2. dicit, quòd *non poſſet intelligi remiſſio culpæ, ſi non adeſſet infuſio gratiæ*; ergo &c.

XIX. Confirmatur. Per illud conſtitui debet homo formaliter peccator, & injuſtus habitualiter, cujus oppoſitum conſtituit illum habitualiter juſtum, & ſanctum; cùm denominationes oppoſitæ à formis oppoſitis petendæ ſint: ſed gratia ſanctificans eſt illa, quæ conſtituit hominem habitualiter juſtum, & ſanctum; ergo illius privatio denominat ipſum &c. ſicut quia corpus denominatur lucidum per lumen, ex abſentia luminis denominatur tenebroſum.

Quia verò animæ nitor ex refulgentia divini luminis eſt duplex: unus ex refulgentia luminis rationis naturalis, quâ dirigitur in ſuis actibus ad Deum auctorem naturæ: alius ex refulgentia luminis ſupernaturalis, ſapientiæ ſcilicet, & gratiæ, quâ perficitur ad Deum auctorem ſupernaturalem; peccati macula dicit privationem utriuſque nitoris: eo quòd peccatum ſit deſtructivum ordinis non ſolùm naturalis, ſed etiam ſupernaturalis. Neque, ut vidimus, detur peccatum merè philoſophicum, quod non ſit contra legem æternam, & non ſit theologicum.

§. III.

Argumenta Contraria.

XX. OBjiciunt primò. D. Tho. hâc 1. 2. *qu.* 113. *a.* 1. docet, juſtificationem impii non eſſe ſimplicem mutationem, ſed motum à contrario in contrarium, atque adeò à poſitivo in poſitivum: ſed motus juſtificationis eſt à peccato habituali ad gratiam; ergo peccatum habituale eſt aliquid poſitivum, & non privatio. Unde D. Tho. Q. 26. de Verit. a. 6. *Culpa* (inquit) *aliquid ponit, & non ſolam abſentiam gratiæ.*

XXI. Reſpondeo, diſt. maj. A' contrario ex parte obliqui, co. maj. Ex parte recti, nego maj. & conc. min. diſt. conſ. Et non privatio ſola, co. conſ. Privatio, ut connotans actum poſitivum præteritum, nego conſ. Ut enim ſupra cum eodem S. Doctore dictum eſt, macula peccati non eſt privatio ſola, ſed privatio ſecundùm quòd per actum præcedentem inducitur, ſicut umbra per corpus ſibi objectum. Quare eſtò macula pro recto ſit privatio; quia tamen eſt inducta ex actu poſitivo præcedente, hoc ſufficit, ut dum homo à ſtatu peccati movetur ad gratiam juſtificationis, moveatur à contrario. Et hoc ad intentum S. Doctoris ibi ſatis erat. Nam ibi ſolùm intendit diſtinguere juſtificationem, quæ fit per ſimplicem mutationem, & non ex peccato præcedente, ſicut fuit primò juſtificatus Adam, & juſtificati fuerunt Angeli, à juſtificatione, quæ fit ex peccato præcedente & per motum, ſicut dum homo de peccatore fit juſtus. Ad hoc autem ſatis eſt, ut fiat ex poſitivo in obliquo connotato.

Quod apertè indicat Q. 28. *de Verit. a.* 6. ubi poſt allata verba ſtatim ſubdit: *Abſentia enim gratiæ ſecundùm ſe conſiderata habet tantùm rationem pœnæ, non autem rationem culpæ; niſi ſecundùm quòd relinquitur ex actu voluntario præcedente: ſicut tenebra non habet rationem umbræ, niſi ſecundùm quòd relinquitur ex interpoſitione corporis opaci. Sicut ergo ablatio umbræ importat non ſolùm remotionem tenebræ, ſed remotionem corporis impedientis: ita remiſſio culpæ non ſolùm importat ablationem abſentiæ gratiæ, ſed ablationem impedimenti gratiæ, quod erat ex actu*

pecca-

peccati præcedente : non ut actus ille non fuerit, quia hoc eſt impoſſibile ; ſed ut propter illum influxus gratiæ non impediatur. Quæ mirè explicant aſſertionem noſtram.

XXII. Objiciunt ſecundò. In homine, qui Principem læſit, poſtquam actus læſionis tranſivit, nihil remanet, præter obligationem ad pœnam ſubeundam, & ad damnum reſarciendum; ergò ſimiliter in eo, qui Deum offendit &c.

Confirmatur. Meritum, poſtquam bonum opus tranſiit, nil aliud eſt, quàm ordinatio ad præmium; ergo demeritum, poſtquàm opus malum tranſivit, nil eſt aliud, quàm ordinatio ad pœnam.

XXIII. Reſpondeo primò, inſtando argumentum. Homo, qui reconciliatur Principi. & in ejus gratiam redit, nil aliud acquirit, quam exemtionem à pœna, per extrinſecam condonationem culpæ: & tamen homo, qui reconciliatur Deo offenſo, gratiâ intrinſecè ornatur, & non ei purè condonatur, aut non imputatur offenſa; ut contra Lutheranos, & Calviniſtas ſtatuit Concilium Tridentinum *Seſſ. 6. Can. 11.*

Reſpondeo ergo ſecundò, neg. conſ. & diſcrimen eſt. Quia ſicut amicitia Principis nihil intrinſecum ponit in eo, quem diligit; ita dum quis, per offenſam, ejus amicitiam amittit, nihil intrinſecum perdit, & ſolùm manet extrinſecè deputatus ad pœnam. At ſicut amicitia, & amor Dei diffundit in eum, quem amat, gratiam, & caritatem: ita qui Deum offendit, etiam actu offenſæ tranſacto, manet gratiâ, & caritate privatus: quæ privatio macula dicitur, & peccatum habituale, quia offenſa non retractata habitualiter perſeverat.

Negari etiam poſſet ant. Nam qui Principem graviter, & voluntariè læſit, quamdam in animo retinet inimicitiam, & averſionem ab eo, donec velit cum eo reconciliari.

XXIV. Ad confirmationem tranſeat totum; ſed non eſt ad rem. Quia ut docemur à D. Tho. hâc 1. 2. *q.* 21. *a.* 3. eſtò actus bonus ſit meritorius, & actus malus demeritorius; non eſt tamen eadem ratio boni operis, ac meriti, ſicut nec peccati, ac demeriti: ſed ad actum bonum ſequitur ratio meriti, ſicut ad malum ratio demeriti. Intantùm enim quis meretur, quia benè, & laudabiliter agit; & intantùm demeretur, quia malè, & culpabiliter operatur.

XXV. Objiciunt tertiò. Ut ex Divo Thoma ſæpè diximus, hoc modo ſe habet macula ad peccatum, ſicut umbra ad corpus: ſed tranſeunte corpore non manet umbra; ergo tranſeunte actu peccati non manet macula.

Addo: quòd omnis effectus dependet ex ſua cauſa: cauſa autem maculæ eſt actus peccati; ergo remoto actu peccati non remanet macula in anima.

XXVI. Reſpondeo ex D. Tho. hâc *q.* 96. *a.* 2. *ad* 2. diſcrimen eſſe: quòd *tranſeunte obſtaculo corporis, remanet corpus diaphanum in æquali propinquitate, & habitudine ad corpus illuminans ; & ideo ſtatim umbra tranſit. Sed remoto actu peccati, non remanet anima in eadem habitudine ad Deum*. Et rationem dat ibi *in corp.* quia macula peccati importat defectum nitoris, propter receſſum à lumine rationis, vel divinæ legis: *Licèt autem ceſſet actus peccati, quo homo diſceſſit à lumine rationis, vel legis divinæ ; non tamen ſtatim homo ad illud redit, in quo fuerat : ſed requiritur aliquis motus voluntatis contrarius primo motui. Sicut ſi aliquis ſit diſtans alicui per aliquem motum, non ſtatim ceſſante motu fit ei propinquus ; ſed oportet, quòd appropinquet rediens per motum contrarium.*

Ad id, quod additur, reſpondet idem S. Doct. ibi ad 3. *Quòd actus peccati facit diſtantiam à Deo, quam quidem diſtantiam ſequitur defectus nitoris hoc modo, ſicut motus localis facit localem diſtantiam. Unde ſicut ceſſante motu non tollitur diſtantia localis ; ita nec ceſſan-*

Digitized by Google

ceſſante actu peccati tollitur macula. Quare major diſtinguenda eſt: omnis effectus dependet à ſua causâ, in fieri, ſeu ut fiat, concedo. In conſervari, nego maj. Et propterea quamvis macula dependeat ab actu peccati, tanquam à ſua cauſa, ut contrahatur, non tamen ut conſervetur; itaut ceſſante actu ceſſet macula, ſicut ceſſante motu locali, quo facta fuit diſtantia, non ceſſat diſtantia, ſed durat, donec per motum localem contrarium iterum accedat ad locum, à quo receſſerat.

XXVII. Objiciunt quartò. Homo, tranſacto actu peccati, non ſolùm manet habitualiter averſus à Deo, ſed etiam habitualiter converſus ad creaturam: ſed talis converſio exprimit quid poſitivum, eſtque de genere mali; ergo macula habitualis peccati eſt aliquid poſitivum.

Confirmatur. Peccatum actuale, in probabili ſententia, conſiſtit in poſitiva tendentiâ ad objectum diſſonum legi; ergo peccatum habituale ex actuali relictum in ſimili tendentia conſiſtere debet.

XXVIII. Reſpondeo, diſt. major. Habitualiter converſus ad creaturam converſione habituali tantùm moraliter, & extrinſecâ, quæ ſit ipſa converſio actualis non retractata, ſed moraliter perſeverans, conc. maj. nam omnis intentio efficax alicujus finis moraliter perſeverat habitualiter. quouſque non fuerit retractata. Converſione habituali, quæ ſit formalis, & intrinſeca, nego maj. Macula autem ex actuali peccato relicta, debet eſſe aliquid intrinſecum animæ, in ea manens ex voluntario receſſu à lumine rationis, & divinæ legis, in quo ratio peccati conſiſtit; quod non poteſt aliud eſſe, quàm aliquod privativum. Unde D. Tho. hìc *art. 2 ad 1.* ait: *Poſt actum peccati nihil poſitivè remanet in anima, niſi diſpoſitio, vel habitus: remanet tamen aliquid privativè, ſcilicet, privatio conjunctionis ad divinum lumen.*

XXIX. Quòd ſi velis, hanc converſionem habitualem, ex actuali converſione relictam, eſſe intrinſecam; adhuc nequit eſſe conſtitutiva peccati habitualis: quia non reſidet in anima, quæ eſt immediatum ſubjectum peccati habitualis, ſed in voluntate; quæ ſicut actu proximè converſa fuit in finem pravum: ita habitualiter manet in ipſum converſa. Nec illa habitualis converſio ad creaturam opponitur immediatè gratiæ habituali, cui immediatè opponitur macula, ſeu peccatum habituale; ſed potiùs immediatè opponitur caritati, quæ eſt habitualis converſio ad Deum. Sicut ergo habitualis converſio in Deum, quæ remanet in voluntate poſt actum dilectionis Dei ſuper omnia, non facit hominem habitualiter juſtum, ac ſanctum formaliter, & immediatè: ita converſio habitualis in creaturam, quæ remanet in voluntate poſt actum converſionis in creaturam, ut ultimum finem, non faciet hominem habitualiter peccatorem; ſed ſolùm erit, vel habitus vitioſus, ſi pluries peccavit; vel ſaltem diſpoſitio inclinans per modum actus primi voluntatem ad peccandum. Et ita explicandi ſunt aliqui textus S. Thomæ, qui ab Adverſariis afferuntur: ut ex *q. 24. de Verit. a. 12. & ex 1. diſt 1. q. 4. a. 1. ad 4.* Ut enim loquitur 3. p. q. 86. a. 5. in corp. *Peccatum mortale, ex parte converſionis inordinatæ ad bonum commutabile, quamdam diſpoſitionem cauſat in anima, vel etiam habitum, ſi actus frequenter iteretur. Sicut autem dictum eſt, culpa peccati mortalis remittitur, inquantùm tollitur per gratiam averſio mentis à Deo. Sublato autem eo, quod eſt ex parte averſionis, nihilominus remanere poteſt id, quod eſt ex parte converſionis inordinatæ, cùm hanc contingat eſſe ſinè illâ.... Et ideo nihil probibet, quin remiſsâ culpâ remaneant diſpoſitiones ex præcedentibus actibus cauſatæ, quæ dicuntur peccati reliquiæ.* Si ergo tales diſpoſitiones ex parte coverſionis manent remiſsâ cul-

pâ,

Digitized by Google

pâ, non ſunt ipſum peccatum habituale, ſed effectus, & reliquiæ peccati.

XXX. Ad confirm. nego ant. Ut enim ſuperiùs oſtendimus, etiam peccatum actuale in privativo, non in poſitivo conſiſtit. Dato tamen antecedente, nego conſequ. Quia ſententia collocans peccatum actuale commiſſionis in poſitivo, ideo hoc aſſerit, quia putat, primum, quod intelligitur in peccato actuali, eſſe tendentiam in objectum diſſonum. At primum, quod intelligitur in peccato habituali, eſt averſio à divino lumine gratiæ; habitualis autem converſio ad creaturam eſt quid conſequens, ut dictum eſt.

XXXI. Objiciunt tandem. Poſito, quòd macula peccati conſiſtat in privatione nitoris gratiæ, plura ſequuntur inconvenientia. Et quidem primò. Quòd macula, ſeu peccatum habituale nullius eſſet ſpeciei determinatæ in genere moris. Secundò. Quòd omnia peccata habitualia eſſent ejuſdem rationis, & ſpeciei. Tertiò. Quòd qui gravius peccatum commiſit; non haberet deteriorem maculam. Quartò. Quòd cùm privatio gratiæ in uno peccatore non ſit niſi una; unum tantùm erit habituale peccatum in eo, etſi plura peccata actualia perpetraverit.

XXXII. Hoc argumentum ſolutum manebit, ſi advertantur ea, quæ §. præcedente in explicatione noſtræ aſſertionis ex D. Thom. attulimus, nempe, maculam, ſeu peccatum habituale eſſe privationem nitoris gratiæ, non ſolam, ſed ut dicentem reſpectum ad actum peccati, ex quo inducta fuit; ſicut umbra eſt carentia lucis, non nuda, ſed dicens reſpectum ad corpus opacum, à quo cauſatur. Unde ſicut ex diverſitate corporum oppoſitorum diverſificantur umbræ, & reducuntur ad ſpeciem corporum, ex quibus reſultant: ita ex diverſitate ſpecifica actualium peccatorum, ex quibus inducitur privatio nitoris gratiæ in anima, penſatur diverſitas ſpecifica maculæ, ſeu peccati habitualis. Nec ſequitur, quòd plurium, imò omnium peccatorum ſit una macula. Nam, ut ait D. Thom. in 2. diſt. 32. q. 1. a. 1. ad 2. *Cùm omnium peccatorum mortalium genera hoc commune habeant, quod gratiam tollunt; non tamen omnium eſt una macula, ſed diverſa, ſecundùm quod defectus gratiæ ad diverſas cauſas refertur. Unde defectus gratiæ ex actu luxuriæ proveniens, eſt macula illius peccati, & ſic de aliis.* Ex quo probat, quòd ſubtractâ gratiâ baptiſmali per novum peccatum mortale, macula peccati originalis non reddit: *Sed defectus ille gratiæ, qui per peccatum mortale incidit, erit macula, vel luxuriæ, vel homicidii*, & ſic de aliis.

XXXIII. Quæres: Quid dicendum de macula peccati mortalis, ſi homo in puris naturalibus conſtitutus peccaret?

Reſpondeo. Vel quòd tunc macula eſſet quidem privatio nitoris ex abſentia divini luminis naturalis, non ex abſentia divini luminis gratiæ. Vel quòd adhuc eſſet privatio gratiæ; quia illam excluderet, ſi in ſubjecto inveniret; & à Deo auctore ſupernaturali averteret, ſi hominem ad talem finem ordinatum reperiret.

DUBIUM II.

An Reatus Pœnæ ſit effectus Peccati, quid ſit; & an Peccatum poſſit eſſe Pœna alterius?

§. I.

Reſolutio primæ Partis Dubii.

I. Dico primò. Peccatum non ſolùm maculam, ſed & reatum pœnæ cauſat. Certum eſt de fide. Nam Scripturæ paſſim peccatoribus pœnas comminantur. Hoc autem S. Thomas hìc *q.* 87. *a.* 1. ſic probat. Quidquid contra ordinem aliquem inſurgit, dignum eſt, ut ab eo ordine, & Principe ordinis deprimatur:

tur: ſed omnis, qui peccat, contra aliquem ordinem agit, cùm peccatum ſit actus inordinatus; ergo dignum eſt, ut ab eo ordine deprimatur: ſed hæc depreſſio eſt pœna; ergo dignum eſſe depreſſione eſt eſſe dignum pœnâ.

II. Cùm autem (proſequitur D. Th.) tres ſint ordines, quibus ſubditur humana voluntas; ideo triplici pœna puniri poteſt is, qui peccat. Primò enim ſubditur humana natura ordini propriæ rationis: itaut debeat operari juxta dictamen luminis rationis. Secundò. Subditur ordini hominis exterius gubernantis, vel ſpiritualiter, vel temporaliter, pòliticè, ſeu æconomicè. Tertiò. Subditur univerſali ordini divini regiminis: *Quilibet autem horum ordinum per peccatum pervertitur. dum ille, qui peccat, agit & contra rationem, & contra legem humanam, & contra legem divinam. Unde triplicem pœnam incurrit: unam quidem à ſeipſo, quæ eſt conſcientiæ remorſus; aliam verò ab homine; Tertiam verò à Deo.*

III. Noto tamen primò. Ex D. Th. hìc *ad* 1. quòd eſtò pœna, & reatus pœnæ, utpote conſequens peccatum, quatenus malum ratione inordinationis, ſit per accidens, & præter intentionem peccantis; per ſe tamen conſequitur ex natura ipſius peccati. Quare ſicut malitia, & inordinatio actus peccati, eſtò non ſit intenta à peccante, eâque ratione ſit præter intentionem ejus; non tamen per accidens ſe habet ad peccatum, cùm ſit potiùs formale peccati: ita reatus pœnæ inordinationem conſequens, eſt quidem præter intentionem peccantis, quatenus peccans eum non intendit; habet tamen ſe ad peccatum, ejuſque naturam per ſe, non per accidens, prout ex dictis peccatum eſt perverſivum ordinis.

IV. Noto ſecundo cum eodem *ad* 2. Aliud judicium ferendum eſſe de pœna, & de reatu pœnæ. Nam pœna, inquantùm juſta eſt, bona eſt, & ſecundùm ordinem juſtitiæ. Nam *Ordo juſtitiæ* (ait S. Tho. Q. 1. de Malo a. 1. ad 1.) *hoc requirit, ut aliquis peccans privetur bono, quod appetit. Sic ergo pœna ipſa eſt bona ſimpliciter, ſed eſt mala huic.* Et hoc modo juſta eſſe poteſt, & à Deo, & ab homine inflicta: ſed ſub hac ratione *ipſa pœna non eſt effectus peccati directè, ſed diſpoſitivè*, inquantum peccatum diſponit, & demeretur, ut peccans juſtitiâ vindicativâ puniatur. Reatus autem pœnæ, nempe, paſſiva condignitas peccati ad pœnam, directè effectus peccati eſt, & mala, juxta illud Dionyſii c. 4. de divin. Nomin. *Puniri non eſt malum, ſed fieri pœnâ dignum.*

§. II.

Reſolutio ſecundæ partis Dubii.

V. QUæritur hìc: in quo formaliter conſiſtat reatus pœnæ. Reatus pœnæ ſumi poteſt activè, pro ordinatione, quâ Deus, vel Princeps ordinat hominem peccatorem ad pœnam, ſic poſtulante ordine juſtitiæ; Et de hac non loquimur. Tum quia iſta eſt juſta, & bona, & vindicans ordinem læſum à peccatore. Sumi poteſt etiam paſſivè, & ſignificat ſtatum ejus, qui revera tenetur luere pœnam, & factus eſt dignus pœnâ; eo quòd peccando, aliquem ex tribus ordinibus, vel omnes perverterit. Unde reatus ſic ſumtus deſcribi poteſt, quòd ſit debitum pœnæ propter peccatum admiſſum luendæ. Et differt tùm à peccato, tùm à pœna peccati, tanquam medium quoddam inter utrumque, peccato quidem poſterius, pœnâ autem prius. Et in hoc ſenſu eſt effectus peccati, illud ita conſequens, eique intimum; ut aliquando peccatum ipſum reatus nomine nuncupetur, ut Exodi 32. v. 35. *Percuſſit Dominus populum pro reatu vituli.* Et Deuteron. 21. v. 8. *Auferetur ab eis reatus ſanguinis.* Et rationem dat D. Tho. in 2. *diſt.* 42. *q.* 1. *a.* 2. his verbis: *Reatus dicitur, ſecundùm quòd aliquis eſt reus pœnæ: & ideò propriè*

propriè reatus nihil eſt aliud, quàm obligatio ad pœnam: Et quia hæc obligatio quodammodo eſt media inter culpam, & pœnam; ex eo quòd propter culpam aliquis ad pœnam obligatur: & ideo nomen medii tranſumitur ad extrema; ut interdum ipſa culpa, vel etiam pœna reatus dicatur. Hinc

VI. Dico ſecundò. Reatus pœnæ, qui ex peccato ſequitur, eique conjungitur, eſt obligatio, ſeu condignitas ad pœnam ſuſtinendam. Et probatur. Cum enim homo, propter peccatum, ad pœnam ſubeundam obligetur; prædicta obligatio eſt quaſi media inter peccatum, ut effectus eius, & pœnam, ut prior illâ: & conſequenter eſt verè, ac propriè reatus pœnæ.

VII. Ex quo ſequitur, quòd quamvis contingat, pœnam non inferri, eo quòd condonetur: imò quamvis poneretur, Deum non deſtinare peccatorem ad ullam pœnam; hic tamen reatus pœnæ ſemper ex peccato ſequitur. Semper enim is, qui peccat, redditur pœnâ dignus; & hæc dignitas, ſeu reatus ex natura peccati ſequitur: quatenus enim peccatum contra ordinem inſurgit, ſub quo debet contineri; ſequitur, quòd qui peccat, naturaliter dignus ſit, ut ab eo ordine deprimatur, ut dicebamus.

VIII. In aſſignando autem, in quo conſiſtat reatus, ſeu condignitas pœnæ ſecuta ex peccato, variè loquuntur Theologi. Probabilius tamen judico, reatum, ſeu condignitatem ad pœnam realiter non diſtingui ab ipſo peccato; ſed eſſe conceptum, ſeu effectum ſecundarium ipſius peccati. Quare de peccato habituali, ſicut de gratia habituali, placet philoſophari. Quemadmodum enim primarium gratiæ munus eſt ſanctificare hominem, eum participem reddere naturæ divinæ; ſecundarium verò eſt facere illum dignum vitâ æternâ: ita peccatum habituale duo habet munera: primum eſt maculare hominem, eumque immundum reddere, & odibilem Deo, privando ſuâ gratiâ: alterum facere illum condignum pœnâ æternâ.

IX. Cum autem dixi, reatum pœnæ realiter non diſtingui à culpa, locutus ſum de reatu pœnæ æternæ, qui a culpa mortali ſeparari nequit. Si enim loquamur de reatu pœnæ temporalis; cùm iſte, etiam culpâ mortali per infuſionem gratiæ ablatâ, remanere poſſit, quouſque, vel per pœnitentiam in hac vitâ, vel per purgatorii ignem in futura, fiat integra ſatisfactio: manifeſtum eſt, ipſum à culpa mortali realiter diſtingui; cùm realis ſeparatio ſit evidens ſignum realis diſtinctionis. Sed hic denominabitur à jure, quod habet divina juſtitia obligandi ad talem pœnam, quamdiu ea non eſt totaliter ſoluta, aut condonata. Idem dico de reatu pœnæ peccati venialis; ſuppoſito, quòd maculam non relinquat, quæ talem reatum fundare poſſit, ut aliqui volunt. Si verò peccatum veniale aliquam maculam relinquat, quod nos probabilius judicavimus ſupra; reatus pœnæ temporalis erit effectus ſecundarius culpæ venialis: ut de macula peccati mortalis reſpectu pœnæ æternæ dictum eſt.

§. III.

Reſolutio tertia Partis Dubii.

X. Certum eſt, unum peccatum poſſe fieri, & eſſe pœnam alterius: docent enim nos Sacræ Litteræ, peccata præcedentia mereri, ut homo permittatur in alia, & alia peccata prolabi. Quare Apoſt. *ad Rom.* 1. *v.* 21. exaggerans ingratitudinem eorum: *Qui cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt;* ait v. 24. *Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam.* Et aliquantò poſt: *Propterea tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ.* Et iterum: *Tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, ut faciant ea, quæ non conveniunt.* Et 2. *ad Theſſal.* 2. *v.* 11. de

de his, qui *caritatem veritatis non receperunt, ut ſalvi fierent*, ait: *Ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio.* Hoc paſſim docent Patres: præcipuè S. Auguſt. *l.* 5. *contra Julian. cap.* 3. & *in Pſalm.* 57. & S. Gregor. *l.* 25. *Moral. c.* 9. *modò* 12. & *in Ezechiel. c.* 11. qui expreſsè dicunt, quòd *quædam peccata ſunt pœna peccati*. Difficultas eſt de modo: an ſcilicet peccatum induat, vel induere poſſit rationem pœnæ ſecundùm ſeipſum, & per ſe conſideratum, prout eſt inordinatio: an verò ſolùm per accidens, modo inferiùs explicando.

S. Bonaventura, Scotus, Suarez, Valentia, & alii affirmant, peccatum per ſe habere poſſe rationem pœnæ. At S. Thomas, ejuſque diſcipuli, aliique plures id negant. Cum his ergo

XI. Dico tertiò. Peccatum per ſe conſideratum nullo modo poteſt eſſe pœna peccati, ſed ſolùm per accidens. Utramque partem aſſerti tradit S. Thomas hâc *q.* 87. *a.* 2. ubi ait: *De peccato dupliciter loqui poſſumus*, per ſe *ſcilicet*, & per accidens: Per ſe *quidem nullo modo peccatum poteſt eſſe pœna peccati*. Priorem partem probat. Nam peccatum per ſe conſideratur, ſecundùm quòd egreditur à voluntate; ſic enim habet rationem culpæ: Sed de ratione pœnæ eſt, quòd ſit contra voluntatem ut 1. *p. q.* 48. *a.* 5. oſtenderat S. D. ergo &c. Min. prob. Nam de ratione pœnæ eſt, quòd ſit malum, & diſconveniens patienti; ſubindeque repugnans ejus voluntati, quæ eſt inclinatio ad bonum proprii ſuppoſiti: peccatum autem ſecundùm ſe conſideratum, ſeu quatenus dicit deformitatem, & malitiam, eſt voluntarium ſaltem interpretativè: quia eſtò peccator peccando nollet hanc deformitatem incurrere; attentis tamen circumſtantiis, quibus amat potiùs ſibi complacere, adhærendo bono delectabili, ac prohibito, quàm ab illo ſe abſtinere, cenſetur velle peccatum, & malitiam ejus. Quare S. Doctor in 2. diſt. 36. q. 1. 2. 3. *Contingit* (inquit) *idem eſſe culpam, & pœnam, non tamen ſecundùm eamdem rationem: quia omnis pœna, inquantùm pœna eſt, voluntati contraria invenitur; omnis autem culpa voluntarii rationem habet.*

XII. Probatur ſecundò eadem pars. Pœna propriè dicta ſemper eſt ſecundùm rectam rationem, juſta eſt, & à Judice, qui eam decernit, volita, ac intenta: ſed peccatum, ſecundùm ſuam formalem rationem, eſt contra rectam rationem, injuſtum, nec illud poteſt Deus intendere, velle, aut illius auctor eſſe; ergo peccatum per ſe non poteſt inducere rationem pœnæ. Conſentit S. Auguſtinus *l. contra Mendacium c.* 15. ita ſcribens: *Nihil judicandus eſt dicere, qui dicit, aliqua juſta eſſe mendacia, niſi aliqua juſta eſſe peccata, ac per hoc aliqua juſta eſſe, quæ injuſta ſunt. Quo quid abſurdius dici poteſt? Unde enim eſt peccatum, niſi quia juſtitiæ contrarium eſt?* Et poſtea: *Non ergo poteſt juſtum eſſe peccatum, niſi cum peccati nomen in alia re ponimus, in qua quiſque non peccat; ſed aut facit aliquid, aut patitur pro peccato.*

XIII. Dices tamen, peccati deformitatem, eſtò malam in ſe, poſſe tamen ordinari ad puniendum peccatorem, eumque in ordinem redigendum: & ſic, eſſe bonam, & habere rationem pœnæ. Nec enim requiritur ad rationem pœnæ, quòd ſit à Deo tamquam poſitivè influente in illam, ſed ſatis eſt, ut ab ipſo ſit permiſſivè; ergo peccatum poteſt eſſe pœna, non quatenus eſt à voluntate creata, ſed quatenus eſt à Deo illud permittente, & ordinante ad finem ſuæ juſtitiæ.

XIV. Reſpondet Gonet cum aliis, neg. ant. Cùm enim peccatum ſit intrinſecè malum, nullo bono fine poteſt honeſtari, ut patet in furto, mendacio &c. Pœna autem non ſufficit, ut ſit à Deo tantùm permiſſivè: aliàs nullum eſſet diſcrimen inter culpam, & pœnam, & Deus tam culpæ, quam pœnæ auctor eſſet.

XV. Reſpondere tamen placet, omiſ-
ſo

ſo anteced. diſt. conſ. Ergo peccatum, inquantùm eſt peccatum, & à voluntate creata, ſeu ratione deformitatis poteſt eſſe pœna, nego conſ. Ratione adjuncti, nempe, ut à Deo permiſſum, & ordinatum ad finem ſuæ juſtitiæ, co. conſ. Ex hoc enim ſolùm ſequitur, quòd peccatum non ratione ſui, ſed adjuncti poſſit eſſe pœna: quod eſt ſecunda pars noſtri aſſerti, ut infra.

Ita reſpondet S. Tho. in 2. *diſt.* 35. *q.* 1. *a.* 3. *ad* 1. ubi ſimili objectioni reſpondens: *Dicendum* (inquit) *quòd omnis pœna à Deo eſt, ſed non eodem modo. Eſt enim quædam pœna à Deo, ſicut ab agente, ſicut ſunt pœnæ ſenſus, quæ per quamdam actionem cauſantur; oportet enim, omnis actionis reductionem in primum agens fieri, ſicut in cauſam. Quædam verò pœnæ ſunt à Deo, non ſicut ab agente, ſed potiùs ſicut à non agente, ut ſubtractio gratiæ. Ex eo enim, quòd Deus gratiam non influit, cauſatur in illo gratiæ privatio. Utroque autem modo invenitur pœna annexa culpæ. Quia illa pœna, quæ efficitur per peccatum ex parte ſuæ converſionis, eſt pœna ſenſibiliter hominem affligens, ut ira perturbatio, & labor inordinatus in peccato: & hoc quidem à Deo eſt, & juſtè ordinatur, ut qui delectationem contra Dei ordinationem appetit, præter ſuam intentionem afflictionem incurrat, in hoc etiam, ubi propriæ libidini obſequitur. Illius autem pœnæ, quæ eſt ſubtractio gratiæ, quæ eſt effectus unius peccati, & cauſa alterius, eſt cauſa Deus, ſicut non agendo; & ſimiliter aliarum pœnarum ſimilium. Et hoc conſtat, juſtè ordinatum eſſe; ut qui contraria gratiæ appetit, gratiam amittat, & Dei auxilium, qui contra Deum agit. Et per hunc modum* (nota) *eſt cauſa pœnæ illius, qui eſt ipſe actus deformis peccati; non quia ipſum cauſet, ſed quia ipſum permittit, eum non impediendo, & hoc etiam ſimilem juſtitiæ ordinem cum prædictis habet: hujuſmodi autem ordinis cauſa Deus eſt. Ex quo patet, quòd id, quod culpa, & pœna dicitur, ſecundùm quòd ad peccata refertur, ut ab eo voluntariè exiens, & in quo ratio culpæ conſiſtit, inordinationem habet: ſed ſecundùm quòd habet rationem pœnæ ut à Deo, ordinatum eſt debito ordine juſtitiæ.* Hæc S. Thomas.

XVI. Ex quibus probata manet poſterior pars noſtri aſſerti: nempe, quòd peccatum per accidens, prout ſtat ſub ordine divinæ juſtitiæ, poſſit eſſe pœna alterius præcedentis peccati. Quod contingit tripliciter (inquit idem S. Doct. hâc q. 87. a. 2.) *Primò quidem ex parte cauſæ, quæ eſt remotio prohibentis. Sunt enim cauſæ inclinantes ad peccatum, paſſiones, tentatio Diaboli, & alia hujuſmodi. Quæ quidem cauſæ impediuntur per auxilium divinæ gratiæ, quæ ſubtrahitur per peccatum. Unde cùm ipſa ſubtractio gratiæ ſit quædam pœna, & à Deo, ut ſupra dictum eſt* (q. 79. a. 3.) *ſequitur, quòd per accidens etiam peccatum, quod ex hoc ſequitur, pœna dicatur. Et hoc modo loquitur Apoſtolus Rom. 1. dicens:* Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, *quæ ſunt animæ paſſiones: quia ſcilicet deſerti homines ab auxilio divinæ gratiæ vincuntur à paſſionibus. Et hoc modo ſemper peccatum dicitur eſſe pœna præcedentis peccati. Alio modo ex parte ſubſtantiæ actus, qui afflictionem inducit; ſive ſit actus interior, ut patet in ipſa irâ, & invidiâ; ſive actus exterior, ut patet, cum aliqui gravi labore opprimuntur, & damno, ut expleant actum peccati, ſecundùm illud Sap. 5.* Laſſati ſumus in via iniquitatis. *Tertio modo ex parte effectus, ut ſcilicet aliquod peccatum dicatur pœna reſpectu effectus conſequentis. Sed his duobus modis unum peccatum non ſolùm eſt pœna præcedentis peccati, ſed etiam ſui.* Quæ adeo clara ſunt, ut explicatione non egeant.

XVII. Quapropter, ut obſervat idem S. Doct. in 2. diſt. 36. q. 1. a. 3. ad 5. *In actu peccati eſt aliquid, quod peccator vult, ut delectationem: aliquid verò eſt, quod non vult, imò præter*

 inten-

intentionem ejus accidit ; ut corruptio naturæ conſequens , vel etiam ipſa indecentia actionis : Et ideo in hoc , quod libenter facit , punitur ; dum ex hoc , quòd libenter facit , aliquid accidit præter intentionem ejus , quod voluntati ejus adverſatur .

XVIII. Obſervat inſuper S. Thomas tùm hoc *a.* 2. *ad* 1. tùm in 2. diſt. 36. q. 1. a. 3. citato ad 3. *Quòd pœna ordinatur ut medicina ad culpam , ſed non ſemper ut medicina illiùs , qui peccavit ; quòd enim latro ſuſpendatur , non eſt ad correctionem ejus ; ſimiliter , quòd homo in inferno damnetur : ſed quandoque ordinatur ad pœnam , ut medicina alterius ; ſicut fur ſuſpenditur in bonum totius communitatis , ne paſſim furta committantur ; & aliquis in inferno damnatur ad decorem Univerſi , ne aliquid inordinatum remaneat , ſi culpa per pœnam non ordinetur .*

DUBIUM III.

An Peccatum aliquod inducat Reatum Pœnæ Æternæ , & Infinitæ Quantitatis?

§. I.

Veritas de Fide.

I. HAnc quæſtionem etiam tractavimus *Tom.* 5. *in* 1. *par. Quæſt.* 9. *de pœna Dæmonum Dub.* 5. ubi contra errorem Origeni adſcriptum oſtendimus , pœnam Dæmonum , & Damnatorum æternam fore , & finem nunquam habituram ; quæ veritas eſt de fide . Ut tamen S. Thomam ſequamur , qui eam tractat hâc *q.* 87. *a.* 3. eam leviter attingemus . Quia verò *art.* 4. ſequenti quærit : an alicui peccato debeatur pœna non ſolùm in duratione , ſed etiam in quantitate infinita ; ideo de hoc etiam ſermo erit .

II. Dico ergo primò . Aliqua peccata inducunt reatum pœnæ æternæ : ea ſcilicet omnia , quibus caritas extinguitur ; & quæ ideo mortalia dicuntur , quòd caritatem , & gratiam , quæ eſt animæ vita , deleant , eamque reddant ſpiritualiter mortuam . Duplex autem eſt pœna peccati mortalis ; una damni , quæ conſiſtit in detrimento omnium bonorum , & præcipuè in excluſione à Regno Cœleſti , & privatione divinæ viſionis ; quam expreſſit Chriſtus Matth. 25. v. 41. *Diſcedite à me maledicti* , & Paulus 1. Cor. 6. v. 9. *Iniqui Regnum Dei non poſſidebunt* . Et ad Hebr. 12. v. 14. *Pacem ſequimini cum omnibus , & ſanctimoniam , ſinè qua nemo videbit Deum* . Alia eſt pœna ſenſus , quæ poſita eſt in cruciatu rei ſenſibilis , de qua mentio eſt *Matth.* 3. *v.* 10. 13. *v.* 42. 25. *v.* 41. & alibi ſæpè , dum impii dicuntur in ignem mittendi . De utraque hac pœna loquitur præſens aſſertio , quòd æterna futura ſit : & quidem non ſolum ex lege à Deo lata , qui ſub pœnâ æterna peccatum mortale prohibuit ; ſed ex natura , & malitia peccati mortalis , de ſe pœnam æternam inducentis .

III. Probo primò ſic . Deus , cùm ſit Judex juſtus , non punit peccata graviùs , quàm mereantur ; ſed punit peccata mortalia pœnis æternis ; ergo tales pœnas merentur . Min. in Sacris Litteris manifeſtiſſima eſt . Matth. 25. v. 46. *Ibunt hi in ſupplicium æternum* ; vel ut legit S. Thomas : *In combuſtionem æternam* . Quibus apertè declarat , non ſolùm ignem inferni fore æternum ; ſed etiam combuſtionem , cruciatum , & ſupplicium Damnatorum . Item *Marci* 3. *v.* 29. dicitur : *Qui autem blaſphemaverit in Spiritum Sanctum , non habebit remiſſionem in æternum , ſed reus erit æterni delicti* . Et 2. *ad Theſſal.* 1. *v.* 9. de iis , qui *non obediunt Evangelio Domini noſtri Jeſu Chriſti* , dicitur : *quòd pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini* .

IV. Neque dicas , in ſenſu Scripturarum æternitatem non ſemper ſignificare durationem , quæ prorſus fine careat ; ſed durationem ad longum tempus

pus — Nam ſicut ſupra citato loco reſpondimus, ita in præſenti dicimus: quòd etſi alicubi nomen *æternum* in Scriptura non ſignificet durationem ſine fine; dum tamen loquitur de pœna Damnatorum; de æternitate rigoroſè tali, & nunquam finem habiturâ loqui, patet, tum ex contextu, tum ex communi ſenſu Patrum. Eodem enim modo Scriptura loquitur de æternitate pœnæ Damnatorum, dicens, eam fore æternam, ac loquitur de æternitate vitæ Beatorum: ſed vitam Beatorum fore æternam, ideſt finem nunquam habituram, nemo unquam in dubium vertit; ergo &c. Unde D. Gregorius l. 4. Dial. c. 44. *Conſtat* (inquit) *& incunctanter verum eſt, quòd ſicut finis non erit gaudio bonorum; ita finis non erit tormento malorum. Nam cùm veritas dicat: Ibunt impii in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam; quia ſi verum eſt, quod promiſit, falſum procul dubio non erit, quod minatus eſt Deus.* Propterea Concil. Lateran. Cap. Firmiter, ſanxit: quòd *mali recipient cum Diabolo pœnam perpetuam, & boni cum Chriſto gloriam ſempiternam.*

V. Prob. ſecundò ratione D. Thom. hoc *art.* 3. ſic: Peccatum, quod ponit deordinationem de ſe irreparabilem, inducit reatum pœnæ de ſe irreparabilis, & æternæ; quia cùm reatus pœnæ ſit effectus deordinationis, manente deordinatione debet manere reatus: ſed deordinatio, quam ponit peccatum mortale, eſt de ſe irreparabilis; ergo inducit de ſe reatum pœnæ &c. Min. prob. Illa deordinatio eſt de ſe irreparabilis, quæ tollit principium alicujus ordinis; ſicut deordinatio mortis, ac cæcitatis dicitur ex ſe irreparabilis, eo quòd mors tollat principium vitæ, & cæcitas tollat principium viſus: ſed peccatum mortale tollit gratiam, quæ eſt principium vitæ ſupernaturalis, & avertendo ab ultimo fine, tollit principium ordinis, quo voluntas ſubditur Deo; ergo continet deordinationem de ſe irreparabilem. *Semper enim* (inquit D. Thom. hoc a. 3.) *defectus, quo ſubtrahitur principium, irreparabilis eſt: ſi autem ſalvetur principium, ejus virtute alii defectus reparari poſſunt. Sicut ſi corrumpatur principium viſivum, non poteſt fieri viſionis reparatio, niſi ſola virtute divinâ: Si verò ſalvo principio viſivo, aliqua impedimenta adveniant viſioni, reparari poſſunt per naturam, per artem.... Et ideo ſi per peccatum corrumpitur principium ordinis, quo voluntas hominis ſubditur Deo* (quod eſt ultimus finis) *erit inordinatio, quantùm eſt de ſe, irreparabilis.*

VI. Ex quibus infertur, quòd cùm peccatum veniale talem deordinationem ponat, quæ ſalvat ordinem ad ultimum finem, nec tollat principium vitæ ſpiritualis; non inducit defectum irreparabilem, nec reatum pœnæ æternæ, ſed temporalis tantùm. Quare D. Thom. hâc q. 87. a. 5. *Peccatum* (inquit) *cauſat reatum pœnæ æternæ, inquantùm irreparabiliter repugnat ordini divinæ juſtitiæ; per hoc ſcilicet, quòd contrariatur ipſi principio ordinis, quod eſt ultimus finis. Manifeſtum eſt autem, quòd in quibuſdam peccatis eſt quidem aliqua inordinatio; non tamen per contrarietatem ad ultimum finem, ſed ſolùm circa ea, quæ ſunt ad finem; inquantùm plus, vel minùs debitè eis intenditur, ſalvato tamen ordine ad ultimum finem: puta cùm homo, etſi nimis ad aliquam rem temporalem afficiatur, non tamen pro ea vellet, Deum offendere, aliquid contra præceptum ejus faciendo. Unde hujuſmodi peccatis non debetur æterna pœna, ſed temporalis.*

VII. Probatur tertiò hæc aſſertio à D. Thom. in 2. *diſt.* 42. *q.* 1 *a.* 5. Quòd peccatum ad æternam pœnam obliget, ſumi poteſt ex tribus. Primò. Ex parte ejus, in quem peccatur, qui eſt infinitè magnus, nempe, Deus: unde offenſa ejus, infinitâ pœnâ digna eſt: nam tantò majori dignior eſt pœnâ peccatum, quantò dignior eſt perſona, quæ offenditur. Secundò. Ex voluntate peccantis, quæ ita finem in

eo

Digitized by Google

eo, quod amat, conſtituit; ut propter illud Deum contemnat, eique taliter adhereat, ut vellet ſemper illi adhærere, & nunquam ab eo avelli. Tertiò. Ex ſtatu ipſo peccati, quod cùm privet gratiâ, ſinè quâ non poteſt fieri remiſſio peccatorum; ſi in tali ſtatu moriatur, ſemper in culpa remanebit, cùm non ſit ulteriùs ſuſceptivus gratiæ: manente autem culpâ manet debitum pœnæ, alias remaneret aliquid inordinatum in Univerſo. Sed hæc tria concurrunt in peccato mortali: offendit enim Deum infinitè magnum, eumque propter creaturam, cui adhæret, & cui vellet ſemper adherere, contemnit; gratiâ inſuper privat, ſinè quâ reatus pœnæ deleri non poteſt; ergo ſi in tali ſtatu moriatur, irreparabiliter, & in æternum puniendus erit. Videatur D. Thom. citato loco.

VIII. Sed dices primò. Pœna debet commenſurari culpæ: ſed culpa temporaneè, imò ſæpè brevi momento committitur; ergo pœna æterna eſſe non poteſt.

IX. Reſpondeo cum D. Thom. hoc *art.* 3. *ad* 1. diſt. maj. Debet commenſurari quoad acerbitatem, conc. Quoad durationem, nego maj. *Pœna* (inquit S. Doct.) *peccato proportionatur ſecundùm acerbitatem, tam in judicio divino, quàm in humano. Sed ſicut Auguſt. dicit* 21. de Civit. Dei (cap. 11.) *in nullo judicio requiritur, ut pœna adæquetur culpæ ſecundùm durationem. Non enim quia adulterium, vel homicidium in momento committitur, propter hoc momentaneâ pœnâ punitur; ſed quandoque quidem perpetuo carcere, vel exilio; quandoque etiam morte: in qua non conſideratur occiſionis mora; ſed potiùs quòd in perpetuum auferatur à ſocietate viventium: & ſic repræſentat ſuo modo æternitatem pœnæ inflictæ divinitùs.*

Juſtum tamen eſt, ſecundùm Gregorium (lib. 4. Dial. c. 44.) *quòd qui in ſuo æterno peccavit contra Deum, in æterno Dei puniatur. Dicitur autem aliquis in ſuo æterno peccaſſe, non ſolùm ſecundùm continuationem actus in tota hominis vita durantis; ſed quia ex hoc ipſo, quòd finem in peccato conſtituit, voluntatem habet in æternum peccandi. Unde dicit Gregorius* (nuper citatus) *quòd iniqui voluiſſent ſinè fine vivere, ut ſinè fine potuiſſent in iniquitatibus permanere.*

X. Ita quoque reſpondet in 2. *diſt.* 42. *q.* 1. *a.* 5. *ad* 3. his verbis: Homo *non dicitur in ſuo æterno peccaſſe, quia ſemper in actu peccati permanſerit; ſed quia in uno actu voluntatis adhæſit peccato tali modo, ut ei in æternum adhæreret, ſi impunè poſſet. Vel dicendum, quòd dicitur in ſuo æterno peccaſſe; quia mortaliter peccavit, quia privavit ſe gratiâ per peccatum mortale, ſinè qua homo non poteſt à peccato liberari; & ideo ſe impotentem reddidit ad reſurgendum: unde, quantùm in ipſo fuit, ſe obligavit, ut in peccato in æternum permaneret*, & conſequenter in reatu pœnæ. Quare Q. 7. *de Malo art.* 10. ait: *Ex parte verò inhærentiæ ad ſubjectum, peccatum pœnam perpetuam habet; quia privat hominem gratiâ, per quam poteſt peccatum remitti: peccato autem manente, non ſolvitur pœna; quia in operibus Dei nihil poteſt eſſe inordinatum. Et ideo ſicut homo, qui ſe in puteum projiceret, unde per ſe non poſſet exire; quantùm in ipſo eſt, faceret, ut in perpetuum eſſet ibi: ita etiam qui mortaliter peccat, quantùm in ipſo eſt, ſe in pœnam æternam inducit.* Pulcherrima ſanè ſimilitudo!

Addo: quòd ſi uni actui amoris Dei momentaneo correſpondet juſtè præmium æternum, ut contigit piò Latroni; cur uni actui momentaneo odii Dei, vel alterius peccati mortalis non poterit juſtè reſpondere pœna æterna? Ex hoc enim, quòd *contra infinitum peccat, debetur ſibi pœna infinita: non autem poteſt eſſe infinita acerbitate; quia in creatura finita non poteſt eſſe qualitas infinita: ſed recompenſatur per durationem infinitam, quia creatura rationalis durationis in infinitum capax eſt: & quia actualiter peccavit, debetur ſibi non ſolùm pœna damni, ſed etiam*

pœna

Digitized by Google

pœna ſenſus. Ita S. Thom. in 2. loco laudato ad 2.

XI. Dices ſecundò. Nullus judex, niſi ſit crudelis, infligit pœnam, quaſi delectatus in pœna, ſed propter emendationem: ſed Deus eſt piiſſimus judex; ergo pro peccato mortali infligit pœnam ob emendationem, & conſequenter non æternam.

XII. Reſpondeo cum D. Thom. hâc q. 87. a. 3. ad 2. *Quòd pœna, quæ etiam ſecundùm leges humanas infligitur, non ſemper eſt medicinalis ei, qui punitur, ſed ſolùm aliis: Sicut cùm latro ſuſpenditur, non ut ipſe emendetur, ſed propter alios; ut ſaltem metu pœnæ peccare deſiſtant, ſecundùm illud Prov.* 19. Peſtilente flagellato, ſtultus ſapientior erit. *Sic igitur & æterna pœna Reproborum à Deo inflicta ſunt medicinales his, qui conſideratione pœnarum abſtinent à peccatis, ſecundùm illud Pſal.* 59. Dediſti metuentibus te ſignificationem, ut fugiant à facie arcus. Qua ratione dives ille ſepultus in Inferno rogabat Abraham, ut monendos curaret fratres ſuos de pœnis, queis ipſe cruciabatur; ne & ipſi venirent in locum tormentorum, ut habetur Lucæ 16.

Neque ſequitur, Deum velle pœnas æternas, quaſi delectetur in pœnis propter ipſas: *ſed quia delectatur in ordine juſtitiæ ſuæ, cujus pulchritudo apparet in perpetua pœna perpetuæ culpæ*. Ita S. Doct. *in* 2. *diſt.* 41. *a.* 3. *ad* 4. & hoc *a.* 3. *ad* 3.

§. II.

An Pœna Peccato Mortali debita ſit Infinita Quantitatis?

XIII. De hoc agit S. Thom. hâc *q.* 87. *a.* 4. Et ſenſus eſt: an ſicut peccato mortali debetur pœna infinitæ durationis: ita etiam debeatur pœna infinitæ gravitatis, & intenſionis.

XIV. Dico ergo ſecundò cum eodem. Alicui peccato, nempe, mortali debetur pœna partim infinita, partim finita. Prob. Pœna debet proportionari peccato: ſed aliquod peccatum, nempe, mortale, partim eſt infinitum, partim finitum. In eo enim duo ſunt: unum eſt averſio à ſummo bono, quod eſt infinitum; unde ex hac parte peccatum eſt infinitum: aliud eſt inordinata converſio ad bonum commutabile; & ex hac parte peccatum eſt finitum. Tùm quia bonum commutabile eſt finitum. Tùm quia ipſa converſio eſt finita; non enim actus alicujus creaturæ poteſt eſſe infinitus. Averſioni ergo in peccato reſpondet pœna damni, quæ eſt infinita, inquantùm eſt amiſſio ſummi, & infiniti boni: converſioni autem inordinatæ reſpondet pœna ſenſus, quæ eſt finita.

XV. Neque dicas, converſionem in peccato non eſſe ſemper ad bonum finitum, ſed aliquando directè ferri ad bonum infinitum; veluti cùm aliquis Deum blaſphemat, vel odit — Nam aſſumtum falſum eſt. Quicumque enim mortaliter peccat, finem ſuum conſtituit in creatura, quam inordinatè diligit: quod verum eſt etiam de eo, qui Deum odit, vel blaſphemat. Is enim hoc facit, quia ſeipſum Deo præfert in amore, aut bonum illud, quod amat, & cui apprehendit, Deum eſſe contrarium: & hac ratione Dæmones, & Damnati odio habent Deum.

XVI. Hìc dubitari meritò poteſt: an dum S. Thomas dixit, pœnam damni eſſe infinitam, intellexerit, eam eſſe infinitam ſimpliciter; aut ſecundùm intenſionem, vel acerbitatem?

XVII. Reſpondendum tamen eſt negativè. Et ratio eſt: primò. Nam privatio Dei, quæ eſt pœna damni, eſt privatio Dei non abſolutè, ſed ut viſibilis, ſeu participabilis à creatura per viſionem: ſed quamvis Deus in ſe, & abſolutè ſumtus ſit ſimpliciter, & omnibus modis infinitus, non eſt tamen infinito modo participabilis à creatura per viſionem; ergo cùm quantitas

titas privationis deſumenda ſit ex quantitate formæ, quâ privat; cum forma,quâ privat pœna damni, nempe, viſio Dei, non ſit infinita ſimpliciter in ſe, ſed ſolum extrinſecè, & objectivè, idem erit dicendum de ejus privatione.

XVIII. Secunda ratio eſt. Pœna damni propriè eſt ille animi dolor, quem quis percipit ex eo, quòd in æternum divinitatis conſpectu privatus ſit. Ut enim ait D. Thom. Q. 1. de Malo a. 1. ad 8. *Pœna eſſentialis* (aliàs pœna damni) *conſiſtit in ſeparatione à Deo, & dolore ex inde proveniente.* Certum eſt autem, hunc dolorem non eſſe infinitum ſimpliciter; ergo nec pœna damni.

XIX. Tertia ratio eſt. Si pœna damni eſſet infinita ſimpliciter, ſequeretur, omnium peccatorum mortalium pœnam eſſentialem eſſe parem in acerbitate; cùm infinito non ſit aliquid majus, neque infinitum, neque finitum.

XX. Sed dices primò. Peccatum mortale eſt offenſa ſimpliciter infinita; ergo ei debita eſt pœna ſimpliciter infinita.

XXI. Confirmatur. Quamvis peccatum ſit ſimpliciter in ratione offenſæ infinitum, unum tamen peccatum eſt gravius altero; ergo quamvis pœna ipſi debita ſit ſimpliciter infinita, una tamen poteſt eſſe gravior alterâ.

XXII. Reſpondeo primò, concedendo totum. Nam peccatum mortale, quantùm eſt ex ſe, promeretur pœnam intenſivè infinitam, eſtò de facto tali pœnâ non puniatur; quia, vel non eſt poſſibilis, vel homo ejus non eſt capax. Huic reſponſioni favet D. Tho. *in* 4. *diſt.* 45. *q.* 1. *a.* 3. dicens: *Poteſt & alia ratio aſſignari, quare pœna peccati mortalis ſit æterna; quia per illud circa Deum, qui eſt infinitus, peccatur: Unde cùm non poſſit eſſe pœna infinita per intenſionem, quia creatura non eſt capax alicujus qualitatis infinitæ; requiritur, quòd ſit ſaltem duratione infinita.*

XXIII. Reſpondeo ſecundò, conc. ant. neg. conſ. In peccato enim mortali eſt ratio offenſæ, & ratio malitiæ moralis. Peccato,ut offenſa eſt, non reſpondet pœna, ſed ſatisfactio; & hæc, ut ſit æqualis, debet eſſe infinita.

Pœna autem correſpondet malitiæ, quia ordinatur contra turpitudinem, & inordinationem, quam malitia ponit. Et cum malitia peccati mortalis ſit finita, pœna quoque debet eſſe finita. Doctrina hæc ſumitur ex D. Tho. laudato loco *in* 4. *Sent. diſt.* 45. *q.* 1. *a.* 3. *ad* 6. ubi ait: *Quòd pœna reſpondet culpæ. propriè loquendo, ſecundùm inordinationem, quæ invenitur in ipſa, & non ſecundùm dignitatem ejus, in quem peccatur; quia ſic cuilibet peccato redderetur pœna infinita intenſione.*

XXIV. Ad confirmationem, diſt. ant. Eſt gravius altero extrinſecè, co. ant. Intenſivè, nego ant. & conſequ. Si enim pœna eſſet ſimpliciter infinita, eſſet infinita ſecundùm intenſionem, & ſic una non eſſet major alterâ.

XXV. Dices ſecundò. Saltem pœna damni in omnibus eſt æqualis; ergo iſta erit ſimpliciter infinita, Ant. prob. Privatio totalis, & in facto eſſe non ſuſcipit magis, & minus, ut ſupra diximus ex D. Tho. *q.* 73. *a.* 1. & Q. 2. *de Malo a.* 9. ſed pœna damni eſt privatio totalis, & in facto eſſe, cum nihil relinquat de forma oppoſita, nempe, viſione beatifica; ſed eam totam auferat; ergo &c.

XXVI. Reſpondeo, neg. ant. Etſi aliqui oppoſitum ſentiant. Quamvis enim concedam, carentiam viſionis beatificæ, quæ eſt pœna damni, in pueris cum ſolo originali decedentibus eſſe æqualem, quia in omnibus habet æqualem cauſam; id tamen non concedam in adultis. Unde ſi duos adultos, in quorum uno remiſſum fuerit peccatum originale, in alio non, contingat decedere cum unico peccato actuali mortali omnino æquali in gravitate; poſterior habens originale,

& mor-

Digitized by Google

& mortale, graviùs etiam pœnâ damni torquebitur, quàm prior habens tantùm mortale. Et ratio eſt: nam ita ſe habere debet carentia viſionis, quæ eſt pœna damni, ad Damnatos, ſicut viſio beatifica, quæ eſt præmium, ad Beatos: at hæc non eſt æqualis, ſed major, vel minor ſecundùm diverſitatem meritorum, ut contra Jovinianum ſuo loco oſtendimus; ergo neque illa debet eſſe æqualis, ſed major, vel minor ſecundùm inæqualitatem peccatorum.

Ad prob. anteced. diſt. maj. Privatio non ſuſcipit magis, & minùs in ſe, co. mai. Ex parte cauſæ, vel effectus, nego maj. Sicut macula peccati habitualis, quamvis ſit privatio, ſuſcipit tamen magis, & minùs ex parte actus peccati, ideoque non omnes maculæ ſunt æquales, ut ſupra diximus: ita pœna damni, quamvis ſit privatio, ſuſcipere poterit magis, & minùs ex majori, vel minori gravitate peccatorum, quibus inducta fuit; & majorem triſtitiam de amiſſione gloriæ parere in uno, quàm in altero. Hæc reſponſio eſt D. Tho. in 2. *diſt.* 42. *q.* 2. *a.* 5. *in c.* ubi ait: Quamvis *negatio ſecundùm magis, & minùs non dicatur in ſe; tamen quantùm ad cauſam ſuam intenditur, & remittitur; ſicut dicitur magis cœcus, cui ex toto erutus eſt oculus, quàm qui ex aliquo humore ad pupillam concurrente viſum amittit; quamvis uterque cœcus ſit.*

DUBIUM IV.

An Peccatum Veniale in Damnato per accidens, & ratione conjunctionis cum Mortali, Pœnâ Æternâ puniatur?

§. I.

Prior reſolutio Dubii.

I. CErtum eſt, ex jam dictis, peccatum veniale per ſe non inducere reatum pœnæ æternæ; cùm non avertat hominem ab ultimo fine, nec ipſum privet gratiâ, & caritate, quæ ſunt principium vitæ ſpiritualis: & proinde non eſſe defectum ex ſe irreparabilem. Quod hìc controvertitur eſt: an peccatum veniale in Damnato, ratione conjunctionis cum mortali, per accidens æternâ pœnâ puniatur. Quod in duplici caſu poteſt agitari. Vel de peccato veniali in hac vitâ non remiſſo, & manente in Damnato, tam quoad culpam, quàm pœnam: vel de veniali remiſſo quoad culpam in hac vita, & remanente solùm in altera quoad pœnam.

II. Dico primò. Peccatum veniale non remiſſum quoad culpam in hac vita, & conjunctum cum mortali per accidens punietur in Inferno pœnâ æternâ; quamvis ex ſe pœnâ ſolùm temporali puniendum eſſet. Eſt contra Scotum, & alios Recentiores. Eam tamen tradit S. Tho. Tùm in 2. *diſt.* 42. *q.* 1. *a.* 5. *ad* 6. his verbis: *Dicendum, quòd ille, qui decedit cum mortali, & veniali ſimul, punitur in Inferno pro veniali, & punitur in æternum: longè tamen minùs acerbâ pęnâ, quàm illâ, qua eſt pro mortali. Hoc autem accidit veniali, inquantùm mortali conjunctum eſt, quod gratiâ privat; ſinè quâ nulla pęna poteſt eſſe purgativa, & expiativa.* Tùm Q. 7. *de Malo a.* 10. ubi ſic concludit: *Veniale autem peccatum, cùm non ſit contra caritatem, non meretur pœnam æternam ex* ſpe-

ſpecie peccati, ex parte inhærentiæ ad ſubjectum per ſe loquendo, quia non privat gratiâ; ſed per accidens fit irremiſſibile peccato mortali conjunctum, inquantùm eſt in ſubjecto privato gratiâ. Et ſic per accidens punitur pœnâ æternâ. Ubi reſpondet argumentis in contrarium. Hoc etiam indicat hâc *q.* 87. *a.* 5. *ad* 3.

III. Ex his probatur concluſio ratione. Tamdiu durat pœna pro peccato, quamdiu durat culpa: ſed culpa venialis hìc non remiſſa, ſi conjungatur culpæ mortali in inferno nunquam remittetur, ſed ſemper manebit; ergo ſemper durabit pœna. Maj. probatur. In operibus Dei nihil manet inordinatum: ſed ſi manente culpâ non maneret pœna, aliquid inordinatum maneret, quia per pœnam reparatur ordo læſus per culpam; ergo &c. Min. probatur primò. Peccatum veniale quoad culpam deleri non poteſt, non deleto, ac remiſſo mortali, ut docet S. Tho. 3. *p. q.* 87. *a.* 4. Nam remiſſio culpæ cujuſcumque nunquam fit, niſi per virtutem gratiæ, qui autem eſt in peccato mortali caret gratiâ Dei; ergo, non remiſſo mortali, veniale remitti non poteſt: ſed conſtat, in Damnatis non remitti mortale quoad culpam; ergo nec remitti poteſt veniale.

IV. Probatur ſecundò eadem minor. Remiſſio cujuſcumque peccati non fit ſinè aliquâ applicatione meritorum Chriſti: *Ipſe enim eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi* (1. Joann. 2. v. 2.) ſed Chriſti merita non applicantur Damnatis, quia non ſunt Chriſti membra, ut docet D. Tho. 3. *p. q.* 8. *a.* 3. nec pro illis in tali ſtatu exiſtentibus Chriſtus ſuam obtulit paſſionem, & merita; ergo peccata quoad culpam in hac vitâ non remiſſa, quæcumque ſint, non remittentur Damnatis.

V. Nec dicas primò. Eſtò Damnatis remitti non poſſint peccata venialia quoad culpam per ſatisfactionem, aut meritorum Chriſti applicationem; poſſe tamen remitti per ſatiſpaſſionem: eo modo quo in purgatorio exiſtentibus, per ſatiſpaſſionem aliquam temporalem remittitur pœna, & culpa venialium hìc non remiſſorum.

VI. Reſpondeo enim, diſparem eſſe rationem. Nam in Purgatorio exiſtentes habent gratiam, quâ per voluntariam pœnæ acceptationem culpa venialis dimitti poteſt. Nam ut docet D. Thom. in 4. diſt. 21. qu. 1. a. 3. quæſtiunculâ 1. *Culpa venialis in eo, qui cum gratia decedit, poſt hanc vitam dimittitur per ignem purgatorium; quia pœna illa aliqualiter voluntaria virtute gratiæ habebit vim expiandi culpam omnem, quæ ſimul cum gratia ſtare poteſt.* At in Damnatis, nec eſt gratia, nec voluntaria pœnæ ſuſceptio, ſed continuus ad culpam affectus, & à pœnis averſio.

VII. Dices ſecundò. Culpa venialis per ſe tantùm meretur pœnam temporalem; ergo in Damnatis non meretur pœnam diuturniorem, cùm non ſit neceſſe, illam eſſe graviorem in Damnatis, quàm in aliis.

VIII. Reſpondeo, neg. conſ. Imò & ſuppoſitum. Ut enim D. Thom. docet hâc q. 87. a. 5. ad 3. *Æternitas pœnæ non reſpondet quantitati culpæ, ſed irremiſſibilitati ipſius.* Et Q. 7. de Malo a. 10. ad 5. *Non propter majoritatem culpæ ipſius venialis, peccatum veniale conjunctum mortali diutiùs punitur; ſed propter indelebilitatem, quæ provenit ex adjuncto.* Et *ad* 2. dixerat: Quòd *acerbitas pœnæ directè reſpondet quantitati peccati: ſed æternitas pœnæ reſpondet indelebilitati ipſius. Quæ quidem convenit aliquando peccato veniali per accidens.*

IX. Dices tertiò. Deus ex communi Theologorum axiomate punit citra condignum, & remunerat ultra condignum: ſed ſi in Inferno puniret peccatum veniale pœnâ æternâ, puniret ultra condignum, cùm ei pœna dumtaxat temporalis debeatur; ergo &c.

X.

Digitized by Google

X. Reſpondeo, diſtingu. minor. Si puniret per ſe, conc. min. Si ſolùm per accidens, nego min. Pęna per ſe veniali debita eſt tantùm temporalis; & hâc punit illud Deus, dum ejus quantitatem attendit: quòd verò per accidens, dum conjungitur cum mortali, pęnâ æternâ illud puniat; hoc procedit, quia cùm veniale illud factum ſit indelebile in æternum: ſicut in æternum manet culpa, ita in æternum manere debet pęna. Dicit tamen D. Tho. Q.7. de Malo a. 10. ad 7. quòd *Pęna peccati venialis, etiam cùm in inferno punitur, mitigatur quantùm ad acerbitatem*. Videatur D. Tho. ibi.

§. II.

Reſolutio ſecundæ Partis.

XI. Dico ſecundò. Valde probabile eſt, peccatum ſive mortale, ſive veniale, remiſſum quoad culpam in hac vitâ, non puniri in inferno pęnâ æternâ, ſed temporali tantùm. In hanc ſententiam propendit D. Tho. in 4. *diſt.* 22. *q.* 1. *a.* 1. *ad* 5. ubi relatâ opinione aliorum volentium, peccata per confeſſionem, vel contritionem quoad culpam, & pœnàm eſſentialem remiſſa, punienda eſſe in inferno pro pęna reſiduâ, pęnâ æternâ: *Sicut eſt in venialibus, quæ in purgatorio puniuntur pęna temporali, & in inferno æternâ*. Eâ rejectâ: *Sed hoc* (inquit) *non videtur ſimile. Quia veniale ideo in inferno æternaliter punitur, quia ſemper manet; cùm non ſit ibi aliquid, quod culpam delere poſſit: ſed pęna ex hoc ipſo, quòd ſolvitur, expiatur. Et ideo alii dicunt: quòd pęna, cujus eſt aliquis debitor poſt culpam remiſſam, in inferno punietur temporaliter. Nec propter hoc ſequitur, quòd ſit in inferno redemtio; quia pęna, quæ ſolvitur, non redimitur. Nec eſt inconveniens, quòd quantùm ad aliquid accidentale pęna inferni minuatur uſque ad diem judicii, ſicut etiam augetur*.

XII. Ex quibus S. D. rationem pro hac aſſertione miniſtrat. Nam ideo peccatum veniale non remiſſum in hac vita, quoad culpam, æternaliter in inferno punitur; quia cùm culpa in inferno deleri non poſſit, culpa venialis in hac vitâ non deleta ſemper manet; & manente culpâ reatus pœnæ manere debet, nec deſinere poteſt; ergo ſi ſupponatur peccatum veniale, aut mortale dimiſſum quoad culpam, non eſt, cur per ſatiſpaſſionem condignam, & æqualem, pœnâ temporali etiam in inferno ſolvi poſſit.

XIII. Prævenit inſuper S. D. rationes, quæ in contrarium objici poſſent. Nam primò non ſequitur, quòd in inferno ſit redemtio: etenim ille à pœna redimitur, qui à pœna ex toto, vel ex parte abſolvitur; qui verò totam pœnam luit, ac ſolvit, non redimitur — Nec ſequitur inconveniens, ex quo pœna Damnati in aliquo accidentali minuatur. Eſtò enim ſtatus Damnatorum, utpote in termino, ſit invariabilis: eſtò nulla pęnarum mitigatio eis ſit futura, quod indicat vel unica gutta aquæ diviti Epuloni in inferno poſito ab Abrahamo denegata. Unde S. Auguſt. in *Pſal.* 105. Ad dubium: an pœnæ Damnatorum aliquando mitigentur? Reſpondet, non ita mitigari, quaſi ea, quam quiſque ſemel ſubiit, fiat mitior, aut totaliter, aut per intervalla: quandoquidem dives ille, qui guttam aquæ petiit, non obtinuit. Ex quo Theologi inferunt, erroneam eſſe quorumdam Veterum opinionem, exiſtimantium, Dæmones, & animas Damnatorum in pervigilio Paſchatis à tormentis quieſcere.

Nam ad hæc, & ſimilia reſpondit jam S. Thomas, inconveniens quidem eſſe, pœnam Damnatorum minui quantùm ad aliquod eſſentiale, & in hoc ſenſu eſſe invariabilem; ſicut invariabilis eſt gloria eſſentialis Beatorum: ceterùm ſicut gloria accidentalis Beatorum augeri poteſt, & minui, ita quoque Damnatorum pœna. S. autem

Auguſtinus ad pœnam eſſentialem, quæ conſtituit ſtatum Damnati, non ad accidentalem, quæ illi ſtatui accedit, reſpexiſſe dicendus eſt.

XIV. Sed dices. Pœna, quam Damnatus patitur, eſtò æqualis, quia tamen eam invitè, ac involuntariè patitur, ſufficiens eſſe non poteſt.

XV. Reſpondeo, non eſſe quidem ſufficientem ad meritum, vel ſatisfactionem; quia ad hanc requiritur, quòd pœna, quæ toleratur, ſit ſpontaneè, & voluntariè acceptata: ſufficientem tamen eſſe ad ſatiſpaſſionem; ad hanc enim ſolùm requiritur æqualitas inter pœnam, & culpam, juxta illud Apoc. 18. v. 7. *Quantum ſe glorificavit, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum.* Quare & in humanis reus, qui ſuſtinet pœnam à Judice taxatam, verè ſolvit debitum juſtitiæ; licèt eam non ſpontaneè, ſed invitè patiatur.

XVI. Solùm reſtat ſcrupulus de mente D. Thomæ. Eſtò enim loco ſupra laudato hanc ſententiam expreſsè docuerit, probaverit, & ab objectionibus in contrarium vindicaverit: attamen diſtinc. præcedente, nempe, in 4. *diſt.* 21. *q.* 1. *a.* 2. *quæſtiunculâ* 3. oppoſitum ſenſiſſe videtur. Ait enim: *In illis autem, qui damnantur, non poteſt aliqua culpa dimitti, nec aliquis reatus tolli; cùm careant caritate, per quam, & culpa purgatur, & reatus tollitur: & ideo culpa venialis in eis ſemper manebit, vel reatus illius, ſi etiam ante peccatum mortale, veniale dimiſſum fuiſſet quoad culpam manente reatu: & propter hoc æternaliter Damnati de venialibus punientur.* Quibus docet venialia, etiam quoad culpam in hac vitâ dimiſſa, puniri æternaliter in inferno.

His reſponderi poſſe cenſeo. Vel S. Thomam ibi quidem hanc ſententiam tenuiſſe, ut probabilem: ſed poſtea *diſt.* 22. ſequente *qu.* 1. *art.* 1. *ad* 5. rem accuratiùs examinantem, oppoſitæ ut probabiliori adhæſiſſe. Vel utramque tanquam probabilem problemmaticè cuique pro arbitrio tenendam reliquiſſe. Quapropter & ego utrâque propoſitâ, Studioſo libertatem relinquo, eam, quæ ſibi magis arriſerit, amplectendi: utroque enim modo S. Thomæ adhærebit.

DUBIUM V.

An dimiſsâ per Pœnitentiam Culpâ remaneat aliquando Obligatio ad Pœnam Temporalem?

§. I.

Quædam prænotantur.

I. Procedit præſens Dubium de obligatione ad pœnam temporalem, etiam dimiſsâ culpâ, ſubeundam in præſenti vitâ: an verò ſubeunda ſit in vita futura, ex quo pendet exiſtentia Purgatorii, ſuo loco examinabitur, ex iis tamen, quæ hìc dicentur, pro exiſtentia Purgatorii, & neceſſitate precum pro defunctis validum parabitur argumentum. Dixi *aliquando*: non enim ſemper dimiſsâ culpâ remanet reatus, ſeu obligatio ad pœnam; ſed frequenter accidit, ut dimiſsâ culpâ, totaliter deleatur etiam reatus pœnæ temporalis: quod contingit in ſuſceptione Baptiſmi, & cum quis per pœnitentiam tanto fervore contritionis, & caritatis ad Deum convertitur; ut jus divinæ juſtitiæ, per peccatum læſæ, totaliter reparetur: quo fervore caritatis converſa Maria Magdalene audire meruit à Chriſto Lucæ 7. v. 47. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum; cui autem minus dimittitur, minus diligit.* Et eadem ratione pio Latroni dictum fuit Lucæ 23. v. 43. *Hodie mecum ejus in Paridiſo.* Procedit ergo, quando per pœnitentiam divinæ juſtitiæ non eſt plenè ſatisfactum.

II. De hoc agit S. Thomas hâc *q.* 87. *a.* 6. ubi notat: quòd *macula peccati ab homine tolli non poteſt, niſi voluntas hominis ordinem divinæ juſtitiæ ac-*

Digitized by Google

ceptet: ut ſcilicet, vel ipſe ſibi pœnam ſpontaneus aſſumat in recompenſationem culpæ præteritæ; vel etiam à Deo illatam patienter ſuſtineat: utroque enim modo pœna rationem ſatisfactionis habet: pœna autem ſatisfactoria diminuit aliquid de ratione pœnæ. Eſt enim de ratione pœnæ, quòd ſit contra voluntatem. Pœna autem ſatisfactoria, etſi ſecundùm abſolutam conſiderationem ſit contra voluntatem, non tamen ut nunc: & per hoc eſt voluntaria. Unde ſimpliciter eſt voluntaria, ſecundùm quid autem involuntaria: ſicut patet ex his, quæ ſupra de voluntario, & involuntario dicta ſunt (q. 6. a. 6.) Quibus verbis non intendit D. Thom. pęnam ſatisfactoriam pro culpa remiſsâ amittere veram rationem pęnæ: nam 3. *p. q.* 86. *a.* 4. eam ſæpiùs vocat abſolutè pęnam. Et lect. 1. *in c.* 6. *ad Hebræos* ſimpliciter dicit, quòd *pœnitentia non tollit omnem pœnam, licèt tollat culpam*. Sed ſolùm, quòd diminuat aliquid de ratione pęnæ rigoroſè talis: quia pęna rigoroſè talis eſt contra voluntatem patientis; pęna autem ſatisfactoria voluntariè à patiente ſuſcipitur. Modò ad præſens dubium redeo.

III. Lutherus tollere volens, & Indulgentiarum uſum, & ſatisfactionis neceſſitatem, & Purgatorium, dogmatizavit, ſimul cum culpa ſemper remitti totam pęnam: ideoque poſt deletam culpam, ſeu maculam, & poſt remiſſum peccatum, nullum prorſus reatum pęnæ remanere. Calvinus autem *l.* 3. *Inſt. c.* 4. §. 31. *&c.* diſtinguit inter pęnam, quæ infligitur in vindictam, & punitionem peccatorum; & correctionem, ſeu caſtigationem ad cautelam, & emendationem in futurum. Prima eſt à Deo, ut Judice; ſecunda à Deo, ut Patre. Primam dicit, remiſsâ culpâ, non manere, ſed in totum condonari; ſecundam verò aliquando manere. *Pater* enim (inquit) *quàm filium ſeveriùs corrigit, non hoc agit, ut vindicet, aut mulctet; ſed magis, ut doceat, & cautiorem impoſterùm reddat.* Quæ doctrina in Scholis Calviniſticis, & aliis Acatholicis communis eſt.

§. II.

Catholica Veritas.

IV. DIco. Deus aliquando remittit peccatum mortale, & reatum pęnæ æternæ; ita tamen, ut velit, hominem, cui remiſſio facta eſt, aliquâ pęnâ temporali punire, non præciſe, ut cautior fiat impoſterùm; ſed etiam in vindictam, & ſatisfactionem divinæ juſtitiæ pro peccato præterito. Eo proportionali modo, quo Rex aliquando condonat reo offenſam, & pęnam capitalem, quam meruit: & tamen, ne omnino videatur neglecta juſtitia publica; vult illum per unum, aut alterum annum exilio, vel carcere punire. Sic Deus nobiſcum agit.

V. Probatur autem ex Scripturis. Primò. Quia mors, & aliæ calamitates hujus vitæ ſunt pęna peccati originalis, Rom. 5. v. 12. *Per unum hominem peccatum in hunc Mundum intravit, & per peccatum mors.* Unde Geneſ. 3. v. 17. dicitur Adæ: *Quia audiſti vocem uxoris tuæ, & comediſti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo.* v. 19. *In ſudore vultus tui veſceris pane.* Et *v.* 16. dicitur mulieri: *In dolore paries filios.* Hæc autem omnia manent in iis etiam, quibus per Baptiſmum in novo, vel per aliud remedium in veteri Teſtamento remiſſum eſt. Quòd verò hæc ſint propriè pęna in vindictam peccati originalis, fatetur Calvinus ipſe *L.* 2. *Inſt. c.* 1. §. 4. his verbis: *Quia verò non leve delictum, ſed deteſtabile fuiſſe ſcelus oportet, quod tam ſeverè ultus eſt Deus; ſpecies ipſa peccati in lapſu Adæ conſideranda nobis eſt, quæ horribilem Dei vindictam accendit in totum humanum genus.* Ubi duæ illæ particulæ *ſeverè ulciſci*, & *horribilis vindicta* non ſignificant cautelam in futurum, ſed punitionem, ſeu juſtam vindictam peccati

cati jam ante commiſſi. Cùm ergo hæc pęna maneat etiam in iis, quibus peccatum originale jam condonatum eſt; ſequitur, quòd dimiſsâ culpâ remaneat pęna.

VI. Secundò. Probatur exemplo Moyſis, & Aaron, qui ob peccatum incredulitatis, jam illis remiſſum, præmaturâ morte puniti ſunt, & ſpoliati honore introducendi populum in terram promiſſionis. Numer. enim 20. v. 12. *Dixit Dominus ad Moyſen, & Aaron, quia non credidiſtis mihi, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis* Et Deuter. 32. v. 48. *Locutus eſt Dominus ad Moyſen dicens: Aſcende in montem iſtum, & morere, ſicut eſt mortuus Aaron frater tuus, quia prævaricati eſtis contra me in medio filiorum Iſrael.* Ideo ergo puniuntur, quia prævaricati ſunt.

VII. Tertiò. Exemplo filiorum Iſrael, qui in deſerto Sinai, abſente Moyſe, vitulum aureum adoraverunt, ut legitur *Exod.* 32. quos omnes Deus delere volebat: tamen ad preces Moyſis dicitur v. 14. *Placatuſque eſt Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat adversùs populum ſuum.* Unde Pſalm. 105. v. 23. habetur: *Et dixit, ut diſperderet eos, ſi non Moyſes electus ejus ſtetiſſet in confractione in conſpectu ejus.* Nihilominus ex toto populo viginti tria millia virorum, propter hoc peccatum, interfecta ſunt v. 28. *Feceruntque filii Levi juxta ſermonem Moyſi, cecideruntque in die illa quaſi viginti tria millia hominum.* Cùmque pro reliquis, qui adhuc ſupererant, Moyſes deprecaretur, ut dimitteret eis hoc peccatum v. 31. *Aut dimitte eis hanc noxam... aut dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti;* reſpondit Dominus v. 34. *Tu autem vade.... ego autem in die ultionis viſitabo & hoc peccatum eorum.* Hìc certum eſt, Deum ad preces Moyſi condonaſſe reſiduo populi peccatum illud; multi etiam de hoc ſcelere doluerunt: & tamen poſt dimiſſam culpam reſervavit Deus pęnam temporalem, non ad cautelam, ſed ad vindictam, ut clarè conſtat ex illa particula, *In die ultionis.*

VIII. Quartò prob. exemplo ejuſdem populi Iſraelitici, qui poſtea contra Deum murmuravit. Cùm enim Moyſes pro illo oraſſet, reſpondit Dominus, Numer. 14. v. 20. *Dimiſi juxta verbum tuum.* Nihilominus ſubjungit v. 22. *Attamen omnes homines, qui..... tentaverunt me per decem vices, non videbunt terram.* Et v. 30. *Non intrabitis terram præter Caleb, & Joſue &c.* Dimiſerat ergo Deus culpam, & tamen ſibi reſervavit pœnam. Multos etiam ante mortem, culpam pęnitentiâ expiaſſe, credibile eſt; & tamen omnes ſubierunt pęnam.

IX. Quintò prob. celebri exemplo Davidis, quo etiam utitur D. Thom. hâc q. 87. a. 6. *in Arg. ſed contra.* Is enim poſt impetratam veniam adulterii, & homicidii, punitus eſt morte filii, quem ex adulterio ſuſtulerat. Quòd autem in vindictam peccati præteriti, & condonati punitus ſit, patet ex illis verbis 2. Reg. 12. v. 13. *Et dixit David ad Nathan: Peccavi Domino. Dixitque Nathan ad David: Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum, non morieris. Verumtamen quoniam blaſphemare feciſti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius, qui natus eſt tibi, morte morietur.* Ubi verba illa: *Tranſtulit peccatum tuum*, idem reddunt, ac Dominus condonavit tibi culpam. Sequentia verò: *Verumtamen propter verbum hoc filius morietur*, quid aliud ſunt, quàm iſta: etſi Deus condonaverit tibi culpam, tamen propter eam, & in vindictam illius, filius, qui natus eſt tibi, morietur? Unde bene infert S. Tho. loco nuper allato: *Punitur ergo aliquis à Deo, etiam poſtquam ei peccatum dimittitur. Et ſic reatus pęna remanet, peccato remoto.* Et ibidem ad 3. rationem reddens: *Remotâ (inquit) maculâ ſanatum eſt vulnus peccati, quantùm ad voluntatem. Requiritur autem adhuc pęna ad ſanationem aliarum virium animæ, quæ per peccatum præcedens deordinatæ fuerunt;* ut

ut ſcilicet per contraria curentur. Requiritur etiam ad ſtatuendam æqualitatem juſtitiæ, & ad amovendum ſcandalum aliorum; ut ædificentur in pęna, qui ſunt ſcandalizati culpâ: ut patet ex exemplo de David inducto.

X. Nec ſolùm morte filii punivit Deus peccatum Davidis, ſed etiam ignominiâ; ut ibi ei comminatur Nathan *v.* 11. *&* 12. quod etiam, condonato peccato, factum eſt: dum permiſit Abſaloni, ut publico inceſtu uxores ejus pollueret; ut legitur 2. *Reg.* 16. *v.* 22.

XI. Item 2. *Reg.* 24. cùm idem David ex ambitione, & ſuperbiâ curaſſet, numerari populum ſibi ſubditum; cognoſcens, in hoc ſe graviter Deum offendiſſe, v. 10. *Peccavi* (inquit) *valdè in hoc facto: ſed precor, Domine, ut transferas iniquitatem ſervi tui, quia ſtultè egi nimis.* Quibus precibus culpam Deum condonaſſe, credere par eſt: & tamen, ut habetur *v.* 12. *&* 13. proponitur illi triplex pęna, ut unam eligat; qui elegit tertiam, nempe, peſtilentiam: & mox ſpatio tridui ſeptuaginta millia virorum peſte conſumta ſunt.

XII. Conſentiunt Patres. Inter hos S. Auguſt. in *Pſal.* 50. ad illa verba: *Et à delicto meo munda me*, ait: *Quid dabis, ut munderis? Vide quem invoces, juſtum invocas: odit peccata, ſi juſtus eſt; vindicat in peccata, ſi juſtus eſt. Non poteris auferre à Domino Deo juſtitiam ejus: implora miſericordiam, ſed attende juſtitiam: miſericordia eſt, ut ignoſcat peccanti; juſtitia eſt, ut puniat peccatum. Quid ergo? Quæris miſericordiam, peccatum impunitum remanebit? Reſponderit David, reſponderint lapſi, reſponderint cum David, ut miſericordiam mereantur, ſicut David, & dicant: non Domine, non erit impunitum peccatum meum: novi juſtitiam ejus, cujus quæro miſericordiam. Non impunitum erit: ſed ideo nolo, ut tu me punias, quia ego peccatum meum punio: ideo peto, ut ignoſcas, quia ego agnoſco.* Quibus nil clarius pro Catholica veritate. Deus ergo, quia miſericors, parcit; ſed quia juſtus, vult, ut peccata, quibus ignoſcit, puniantur, vel ab homine, vel à ſeipſo, ut Davidi accidit. Hoc exemplum imitata fuit antiqua Eccleſia, quæ baptizatos quidem abſque ulla pęnâ recipiebat; lapſos tamen poſt baptiſma, etiam crimine dimiſſo interiùs, pęnis, iiſque graviſſimis, addicebat; ut videre eſt apud Cyprian. *Serm. de Lapſis:* ubi reprehendit quoſdam, qui lapſos, etſi pęnitentes, ac dolentes, ſinè publicâ ſatisfactione, & pęnâ dimittebant, dicens, eos facere contra Evangelii legem.

Idem S. Auguſt. eodem *Pſalm.* 50. ad illa verba: *Ecce enim veritatem dilexiſti*, dicit: ideſt impunita peccata etiam eorum, quibus ignoſcis, non reliquiſti.... *Ignoſcis confitenti, ignoſcis; ſed ſeipſum punienti: ita ſervatur miſericordia, & veritas. Miſericordia, quia homo liberatur; veritas, quia peccatum punitur.* Et Tract. 124. in Joann. *Cogitur* (inquit) *homo tolerare, etiam remiſſis peccatis: quamvis, ut in eam veniret miſeriam, primum fuerit cauſa peccatum. Productior eſt enim pęna, quàm culpa; ne parva putaretur culpa, ſi cum illa finiretur & pęna. Ac per hoc, vel ad demonſtrationem debitæ miſeriæ, vel ad emendationem labilis vitæ, vel ad exercitationem neceſſariæ patientiæ, temporaliter hominem detinet pęna; quem jam ad damnationem ſempiternam reum non detinet culpa.... Venit enim de ira Dei juſtâ... cùm ira Dei non ſit ſicut hominis, ideſt, perturbatio concitati animi, ſed tranquilla juſti ſupplicii conſtitutio.* Videat ergo Calvinus, an temporalis pęna, poſt dimiſſum peccatum, veniat à Deo ut Patre, ad cautelam, & emendationem in futurum: an verò etiam à Deo Judice in ſatisfactionem culpæ præteritæ.

XIII. Hoc docuit Auguſtini fidelis diſcipulus S. Tho. *in* 2. *diſt.* 42. *q.* 1. *art.* 2. *ad* 5. his verbis: *In peccante ſunt duo defectus: unus, qui eſt in ipſo*

actu

actu peccati ; ſecundùm quòd aliquis limites legis divinæ , & rationis rectæ tranſgreditur . Alius eſt in ipſo peccante privatio virtutis ex priori defectu actus inducta . Quamvis autem cum aliquis gratiam recuperat , ſecundus defectus tollatur ; non tamen ex toto primus ſublatus eſt ; quia oportet , ut quantùm voluntati ſuæ obedivit , præter legem Dei , tantùm etiam in contrarium recompenſet , ut ſic juſtitiæ ſervetur æqualitas : & ideo poſt gratiam recuperatam injungitur ſatisfactio , & adhuc homo eſt reus temporalis pœnæ . Quæ doctrina eſt valdè notanda.

XIV. Sed , quod mirum eſt , Calvinus ipſe hoc fateri cogitur . Nam etſi *l.* 3. *Inſt. c.* 4. *§.* 31. &c. aliter ſentiat , ut ſupra dixi ; tamen *cap.* 8. *§.* 6. nobiſcum ſentit , dicens : *Adde , quòd non modò infirmitatem noſtram prævenire , ſed præterita etiam delicta ſæpe corrigere , neceſſe habet clementiſſimus pater ; ut nos in legitima erga ſe obedientiâ contineat . Proinde quoties affligimur , ſubire protinus in mentem debet anteactæ vitæ recordatio : ita procul dubio reperiemus , nos admiſiſſe , quod dignum ejuſmodi caſtigatione eſſet .*

§. III.

Adverſariorum Rationes.

XV. Objiciunt primò aliqui . Sublatâ causâ tollitur effectus : ſed culpa eſt cauſa pœnæ ; ergo ſublatâ culpâ tollitur pœna.

XVI. Reſpondeo , diſt. mai. Sublatâ causâ tollitur effectus , ſub ea ratione , quâ ab illa procedit , conc. maj. Sub alia ratione , nego mai. Ita ex D. Tho. hâc *q.* 87. *a.* 6. *ad* 1. & *in* 2. *diſt.* 42. *q.* 1. *a.* 2. *ad* 5. nuper allato . In peccatore ergo duo defectus ſunt . Unus eſt macula , quæ eſt quædam privatio nitoris gratiæ , inducens reatum pœnæ æternæ : alter eſt injuria Deo irrogata per tranſgreſſionem divinæ legis . Primus , ſublatâ maculâ per gratiam juſtificationis , penitus deletur , & tollitur . Secundus non ex hoc præcisè tollitur ; ſed vel per totalem condonationem injuriæ , quam Deus non ſemper præſtat , ut exemplis à Scriptura ſumtis oſtenſum eſt ; vel per aliqualem ſatisfactionem , quâ injuria compenſetur , & ad æqualitatem reducatur : *Ut ſcilicet , qui plus voluntati ſuæ indulſit , quàm debuit , contra mandatum Dei agens ; ſecundùm ordinem divinæ juſtitiæ aliquid contra illud , quod vellet , ſpontaneus , vel invitus patiatur .* (S. Thom. hoc a. 6.) Hinc patet , fieri poſſe , ut ſublatâ maculâ , & reatu pœnæ æternæ , non ſtatim ceſſet cauſa pœnæ , & jus exigendi aliquam compenſationem : unde Deus poteſt etiam ab homine , jam in gratiam reſtituto , exigere aliquam ſatisfactionem temporalem pro injuria factâ : ſicut pater , qui filium recipit in gratiam , ſolet ab eo expoſcere aliquam pœnam arbitrariam pro compenſatione injuriæ ſibi illatæ . Sic egit David cum filio ſuo Abſalon : Quia enim Abſalon , ob necem fratri illatam , graviter offenderat Davidem , eſtò interceſſione cuiuſdam mulieris Thecuanæ fuiſſet ipſi reconciliatus ; debuit tamen , pro aliquali ſatisfactione , conſpectu ſui parentis , quem offenderat , biennio privari .

XVII. Objiciunt ſecundò hæretici varia Scripturæ loca . Primò . Scriptura docet , Deum ita remittere peccatum , ut illius amplius non recordetur ; Ezechiel. 18. v. 21. & 22. *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis .... omnium iniquitatum ejus , quas operatus eſt , non recordabor :* ſed recordaretur , ſi poſt remiſſam culpam , pœnam , vel ſatisfactionem expoſceret ; ergo &c.

XVIII. Secundò . Scriptura docet , remiſſionem peccatorum eſſe gratuitam ; Rom. 3. v. 24. *Juſtificati gratis per gratiam ipſius , per redemtionem , quæ eſt in Chriſto Jeſu &c.* at non eſſet gratuita , ſi ex parte noſtra opus eſſet aliqua compenſatione ; ergo &c.

XIX. Tertiò . Scriptura docet , Chri-

ſtum

ſtum ſuperabundanter ſatisfeciſſe pro peccatis totius Mundi; Rom. 5. v. 20. *Ubi autem abundavit delictum, ſuperabundavit gratia;* ergo non ſolùm ſatisfecit pro culpa, ſed etiam pro pœna, & ſic nulla ſupereſt luenda pœna.

XX. Quartò. Catholici docent, ſatisfactionem Chriſti eſſe infiniti valoris, & pretii; ergo omne debitum per illam ſublatum eſt, non ſolùm culpæ, ſed etiam pœnæ.

XXI. Quintò. Fieret injuria Chriſto, ſi Deus, acceptâ ab illo ſuperabundanti ſatisfactione, nollet nobis condonare totum debitum, niſi noſtrâ accedente ſatisfactione.

XXII. Hæc ſunt, quæ Calvinus, ac cæteri hujus temporis Heterodoxi nobis opponunt. Cæterùm ſi hæc valerent, everterent omnia exempla Scripturæ, quibus ſupra probavimus, ſæpe fieri, ut remiſsâ culpâ, à Deo exigatur pœna temporalis; & contra Scripturam licere argumentari hoc modo. Scriptura docet primò: Deum remittere peccatum, ita ut illius ampliùs non recordetur; quare ergo recordatus eſt peccati Davidis, & poſt remiſſam culpam punivit illum pœnâ temporali? Quare ipſum rogat; Pſal. 24. v. 7. *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris?* Secundò. Scriptura docet, remiſſionem peccatorum eſſe gratuitam; cur ergo David, acceptâ remiſſione, debuit ſubire adhuc temporalem ſatisfactionem? Tertiò. Scriptura docet, Chriſtum ſuperabundanter ſatisfeciſſe, nec ſolùm pro culpa, ſed & pro pœna; cur ergo David pœnam ſuſtinuit? Cur, adhuc dimiſſo per Chriſtum peccato originali, ſubimus pœnas propter ipſum illatas? Quartò. Satisfactio Chriſti fuit infiniti valoris; ergo omne debitum per eam ſublatum eſt: cur ergo debitum pœnæ à Davide exigitur? Tandem. Deus Pater accipit ſufficientiſſimam ſatisfactionem à Chriſto; ergo injuriam illi facit, quòd etiam à Davide petit ſatisfactionem. En quomodo Adverſariorum argumenta non minùs oppugnent S. Scripturam, quàm noſtram doctrinam. Vel ergo firma ſunt, vel infirma. Si firma; valent contra Scripturam, quod nefas eſt. Si infirma; non valent contra nos. Quod oſtendam, ſigillatim ad ſingula reſpondendo.

XXIII. Ad primum ergo reſpondeo, quòd cum peccator agit pœnitentiam, tunc Deus non recordatur peccatorum ipſius quoad pœnam æternæ damnationis, quæ illis debebatur: quod inſinuat Paulus; *Rom. 8. v. 1.* dicens: *Nihil ergo nunc damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu.* Solet tamen recordari aliquando quoad pœnam temporalem: unde Exod. 32. v. 34. *Ego autem* (inquit) *in die ultionis viſitabo & hoc peccatum eorum*, quod evincunt exempla ſuperiùs allata.

XXIV. Ad ſecundum pariter dico, remiſſionem peccatorum eſſe gratuitam quoad culpam, & reatum pęnæ æternæ; unde dicitur: *Juſtificati gratis per gratiam ipſius:* homo enim culpâ inquinatus ſolâ Chriſti gratia emundari poteſt, non ex operibus. Et ſic emundatus, à culpa, & reatu pęnæ æternæ eſt abſolutus. Quia tamen, ut dicebamus cum Auguſtino, Deus non minùs eſt juſtus, quàm miſericors; ita miſericorditer condonat culpam, & pęnam æternam, ut ordinem juſtitiæ ſervari velit: ideo interdum, ut ponatur æqualitas, debet homo pęnam temporalem ſubire, ut in Davide contigit. Quare S. Auguſt. *l. 22. contra Fauſt. c. 67.* de Davide loquens: *Quid enim* (inquit) *aliud, quàm cordis ejus profunda cernebat ſpiritus Dei, quando correptus per Prophetam dixit:* Peccavi: *continuòque ad hoc unum verbum audire meruit, quòd acceperit veniam? Ad quam rem, niſi ad ſempiternam ſalutem? Neque enim prætermiſſa eſt in illo, ſecundùm Dei comminationem, flagelli paterni diſciplina; ut & confeſſus in æternum liberaretur, & afflictus temporali-*

ter probaretur. Inde laudatâ Davidis fide, quòd cùm videret, ſe poſt promiſſam veniam, adhuc punitum, non diceret, ſe à Propheta eſſe deceptum; nec adversùs Deum murmuraverit, quaſi falſam peccatorum ejus indulgentiam pronunciaverit; ſubdit: *Intelligebat enim vir altè ſanctus . . . quantùm pœnarum æternarum ejus eſſent digna peccata: pro quibus cùm temporalibus emendationibus ureretur, videbat erga ſe & manere veniam, & non negligi medicinam.*

XXV. Ad tertium dico, Chriſtum ſuperabundanter ſatisfeciſſe: ſed per modum cauſæ univerſalis, & pro omnibus ſufficienter, quod non tollit neceſſitatem ſatisfactionum particularium. Cauſa enim univerſalis non deſtruit cauſas particulares, ſed in omnes influit, & dat efficaciam ad determinatos effectus; aliàs ex quo Chriſtus ſatisfecit, ſuperflua eſſent omnia noſtra opera, & orationes; nihilque de noſtra ſalute deberemus eſſe ſoliciti. Dicendum ergo cum D. Thom. in 2. diſt. 27. q. 1. a. 6. ad 2. *Quòd meritum Chriſti eſt ſicut radix omnium meritorum, à quo omnium merita efficaciam trahunt: unde eſt quodammodo ſicut cauſa univerſalis, quam oportet ad effectus determinatos applicari per cauſas particulares, ſicut ſunt Sacramenta, & orationes Eccleſiæ: & inde eſt, quòd non tantùm Chriſtum oramus, ſed & Sanctos ejus, quorum meritis, & precibus auxilium ejus percipimus.* Ex quo ergo Chriſtus ſuperabundanter ſatisfecit, ſequitur, quòd nemo niſi virtute ejus, & efficaciâ ſuæ ſatisfactionis ſatisfacere poſſit.

XXVI. Ad quartum ſimiliter dico, ſatisfactionem Chriſti fuiſſe infiniti valoris, per modum cauſæ univerſalis, & ſufficientiæ; requiri tamen, ut per particulares ſatisfactiones cuique applicetur, ad hoc, ut efficax ſit: hoc enim eſt Chriſto compati; juxta illud Apoſtoli Rom. 8. v. 17. *Cohæredes autem Chriſti, ſi tamen compatimur, ut & glorificemur.* Si ergo non obſtante quòd Chriſtus paſſus ſit pro nobis, debemus & nos cum eo pati, ut cum eo glorificemur: cur etſi ipſe pro omnibus paſſione ſua ſatisfecerit, non debebimus paſſionibus noſtris cum eo, & per eum ſatisfacere?

XXVII. Ad quintum dico. Si injuriam facimus Chriſto, dum ultra ejus ſatisfactionem, addimus & noſtras, quaſi ſua ſatisfactio non foret ſufficiens; cur ipſo docente, quotidie Deo dicimus: *Adveniat regnum tuum, Dimitte nobis debita noſtra?* Numquid per ipſum non ſunt nobis ſufficienter præparatum regnum, & dimiſſa peccata? Quemadmodum ergo hæc à Deo petimus abſque injuria Chriſti; quia hæc ſunt media ab ipſo volita, ut fructus meritorum ſuorum ad nos perveniat: eâdem ratione poterimus ſatisfactiones noſtras ſuis adjungere, quin illi irrogemus injuriam, imò potiùs earum virtutem commendemus; dum nonniſi per eas, & earum valore Deo ſatisfacimus. Meritò igitur Concilium Trident. *Seſſ.* 14. *cap.* 8. ait: *Dum ſatisfaciendo patimur pro peccatis, Chriſto Jeſu, qui pro peccatis noſtris ſatisfecit, ex quo omnis noſtra ſufficientia eſt, conformes efficimur; certiſſimam quoque inde arrham habentes, quòd ſi compatimur, & conglorificabimur. Neque verò ita noſtra eſt ſatisfactio hæc, quam pro peccatis noſtris exolvimus, ut non ſit per Chriſtum Jeſum: nam qui ex nobis, tanquam ex nobis, nihil poſſumus; eo cooperante, qui nos confortat, omnia poſſumus. Ita non habet homo, unde glorietur; ſed omnis gloriatio noſtra in Chriſto eſt, in quo vivimus, in quo meremur, in quo ſatisfacimus; facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre.* Hæc Catholicæ Eccleſiæ doctrina eſt. Quâ ſuppoſitâ *Can.* 14. ita pronunciat: *Si quis dixerit, ſatisfactiones, quibus pœnitentes per Jeſum Chriſtum peccata redimunt, non eſſe cultus Dei, ſed traditiones hominum, doctrinam de gratia, & verum Dei cultum, atque ipſum bene-*

neficium mortis Chriſti obſcurantes ; anathema ſit. Et Can. 15. *Si quis dixerit ..... contra inſtitutionem Chriſti, & fictionem eſſe, quòd virtute clavium, ſublatâ pœnâ æternâ, pœna temporalis plerumque exolvenda remaneat, anathema ſit*.

Supereſſet examinandum, an pęna temporalis pro peccato mortali remiſſo, aut etiam pro veniali in præſenti vitâ non ſoluta, ſubeunda, & ſolvenda remaneat in futura. Verùm quia eſt quæſtio pertinens ad articulum de exiſtentia Purgatorii poſt hanc vitam; ideo eam omittimus, ſuo loco, ſi Deus ſpatium dederit, pro meritis examinandam. Interim huic Tractatui de Peccatis finem imponimus.

Digitized by Google

TRACTATUS
DE LEGIBUS.

Ad perfectam notitiam peccati maxime juvat legum cognitio, dicente Paulo Roman. 7. v. 7. *Peccatum non cognovi niſi per legem : nam concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret :* Non concupiſces. Oportuit ergo ad pleniorem diſputationum de peccatis intelligentiam, ut Tractatus de Legibus immediatè ſuccederet. Ita enim agit D. Th. hâc 1. 2. *à quæſt.* 90. Materia legum communis eſt Philoſophis, Juriſtis, ac Theologis: nobiliori tamen, ac ſanctiori conſideratione circa eas occupantur Theologi. Nam Philoſophi tradiderunt ea ſolùm, quæ naturali lumine cognoſci poſſunt; & quæ judicarunt conducere ad hominum mores rectè inſtituendos, & ad Rempublicam in pace, concordiâ, & juſtitiâ continendam. Juris periti, qui jus Cæſareum, ex generalibus principiis naturalis, & moralis Philoſophiæ deducunt in particulari leges, civili auctoritate conditas, ad Reipublicæ mores politicos inſtituendos, ſive ad externam juſtitiam, ſive pacem ſervandam. Juris periti, qui jus Canonicum, ſeu Pontificium profitentur, de legibus, Eccleſiaſticâ auctoritate præſcriptis, diſputant, quibus juſtâ moderatione res Eccleſiaſticæ, ac Perſonæ ipſæ in ſuis officiis, & ordinibus Eccleſiaſticis ſe ſe contineant. Theologi verò non ſolùm leges divinas poſitivas, quæ propriè ad illos pertinent, cùm ſolâ Dei revelatione notæ fiant, perſcrutantur: verùm etiam de lege naturali, & humanâ diſputant; ſed ob altiorem finem, nempe, ad conſcientiam fidelium benè formandam, & dirigendas actiones eorum ad meritum vitæ æternæ. Ad hunc ergo finem præſentem Tractatum dirigimus, eodem ordine, quo Angelicus noſter Præceptor, ipſum diſtribuentes.

QUÆSTIO I.

De his, quæ pertinent ad Subſtantiam Legis in communi.

In hac quæſtione examinabimus naturam, finem, conditiones, diviſionem, & alia ad ſubſtantiam legis in communi neceſſaria.

DUBIUM I.

Quid ſit Lex, ac cujus Potentiæ Actus?

§. I.

Variæ Legis acceptiones, tùm quoad Nomen, tùm quoad Rem.

I. Nomen *Legis* variè derivant Auctores. Iſidorus. *lib.* 2. *Origin. cap.* 10. à *legendo* vocatam ait; eo quòd leges olim ſcripto tradebantur, ut ab omnibus legi poſſent: vel quia homo in ipſa legit, quod illi agendum, vel omittendum eſt. Sed hæc derivatio, cùm ſupponat legem eſſe ſcriptam, non congruit legi naturali, & Evangelicæ, quarum neutra ſcripta eſt.

II. Cicero *l.* 1. *de Legibus* legem ab eligendo dictam putat; quia lex eſt regula eligendorum. Quod approbat S. Auguſtinus Q. 20. in Leviticum dicens: *Legem à legendo, ideſt, ab eligendo Latini auctores appellatam eſſe dixerunt.*

III. S. Thomas verò hâc *q.* 90. *a.* 1. le-

1. legem derivat à ligando: ait enim: *Lex quædam regula eſt, & menſura actuum, ſecundùm quam inducitur aliquis ad agendum, vel ab agendo retrahitur. Dicitur enim lex à ligando, quia obligat ad agendum.* Cui derivationi, nedum multi Doctores adhærent; ſed & Scriptura ipſa patrocinari videtur, quæ leges nomine vinculi non raró uſurpat: ut Pſalm. 2. v. 3. *Dirumpamus vincula eorum.* Jeremiæ 2. v. 20. *Rupiſti vincula mea, & dixiſti, non ſerviam.*

IV. Lex non uno modo uſurpatur. Interdum enim pro conditione, & pacto accipitur: veluti cum paſſim in contractibus dicitur, *ea lege*, ut hoc, aut illud facias. — Secundò generaliter pro quacumque regulâ, vel præcepto præſcribente quidpiam ſuis, ſive bonum, ſive malum. Sic grammaticæ, aliarumque artium regulæ, ac præcepta leges vocantur, & tyrannorum edicta, quamvis injuſta: unde illud Iſaiæ 10. v. 1. *Væ, qui condunt leges iniquas.* — Tertiò pro inclinatione, & inſtinctu naturali ad aliquid; quomodo concupiſcentia inclinans ad malum vocatur à Paulo, Rom. 7. v. 23. *Lex peccati, Lex membrorum.* Et naturalis obligatio aquis impoſita, ne tranſeant fines ſuos, lex vocatur, Proverb. 8. v. 27. *Contra legem, & gyro vallabat abyſſos.* Et infra: *Legem ponebat aquis, ne tranſirent fines ſuos.* Et Job. 28. v. 26. *Quando ponebat pluviis legem.*

V. Sumitur etiam Lex pro eo, quod fit juxta præſcriptum legis, ſeu pro opere per legem præſcripto; ut Joan. 7. v. 19. *Nemo ex vobis facit legem* — Item pro Religione, vel diſciplinâ legem continente: ſic dicimus, legem veterem, legem novam, legem Chriſtianorum, ſeu Evangelicam, pro Religione varias leges, & conſilia continente. Hinc aliqui libri vocantur lex, tametſi multa alia contineant, quæ non ſunt leges: velut cum Joann. 15. v. 25. dicitur: *Sed ut adimpleatur ſermo, qui in lege eorum ſcriptus eſt: quia odio habuerunt me gratis.* Quibus deſignatur liber Pſalm. cùm verſiculus ille habeatur *Pſalm.* 24. *v.* 19. & 1. *Cor.* 14. *v.* 21. cum dicitur: *In lege ſcriptum eſt: Quoniam in aliis linguis, & labiis loquar populo huic:* ubi per legem indicatur liber Iſaiæ *cap.* 28. *v.* 11. qui liber multa continet, quæ non ſunt leges.

VI. Hæ autem omnes impropriæ uſurpationes legis ſunt. Lex ergo, propriè dicta, eſt regula præſcribens communitati, quod rectum eſt; ut Proverb. 8. v. 15. *Per me Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt.* Et de lege hoc modo acceptâ acturi ſumus in hoc tractatu: quæ à D. Thoma hoc *art.* 4. definitur ſic: *Lex eſt quædam rationis ordinatio ad bonum commune ab eo, qui curam Communitatis habet, promulgata.* Ubi ly *rationis ordinatio* activè ſumitur pro actu rationis, quo Superior ordinat, ac præſcribit ordinatione, quæ ſit efficax vim cogendi habens, ſeu obligatoria, & fixa, ac ſtabilis: quo à ratione legis excluditur monitio, oratio, & conſilium, quæ per modum ſuaſionis, non obligationis, aut ordinationis proponuntur. Debet etiam eſſe fixa, & ſtabilis, ut diſtinguatur à præcepto. Nam etſi Princeps faceret præceptum toti Communitati, per unum, aut alterum diem ſervandum, illud non eſſet lex; quia non haberet eſſe fixum, & quaſi perpetuum, ſed vel ſtato tempore, vel ſaltem morte præcipientis, etſi non revocatum, deſineret. Ly *ad bonum commune* excludit tùm leges tyrannicas, quæ non eſſent honeſtæ, & juſtæ. Tùm præcepta, aut ſtatuta, quæ in privatum bonum à Rege, vel Principe conderentur. Ly *ab eo, qui curam Communitatis habet*, rejicit à ratione veræ legis præcepta Patrumfamilias, & alia ejuſmodi; quæ eſtò obligatoria ſint, leges tamen propriæ non ſunt. Ly tandem *promulgata*, indicat, ſtatuta, & leges à legitima poteſtate conceptas, ac etiam conſcriptas non habere propriè vim legis, & obli-

& obligatoriam, quouſque promulgatione non intimentur. Ita explicata definitio legis tradita à D. Tho. optima eſt. Quòd ſi aliam fuſiorem velis, lex in genere deſcribi poteſt, quòd ſit: *Regula perſeverans ordinativa actionum humanarum ingenita, vel præſcripta propter bonum commune ab eo, qui curam gerit Communitatis, & in ea obtinens ſupremam auctoritatem promulgata, obligans ad aliquid faciendum, vel omittendum.* Quæ definitio complectitur, tam legem poſitivam divinam, ſive humanam, quàm naturalem, & tam affirmativam, quàm negativam. In reliquis exponenda eſt, ut ſuperior.

VII. Abſtineo ab oſtendenda legum neceſſitate, exiſtentiâ, & utilitate: hæc enim certa ſunt. Neceſſitas quidem patet ex ipſius creaturæ intellectualis natura. Cùm enim, utpote defectibilis, plerumque à fine honeſtatis, ad quem debet tendere, deflectat; eget aliquo ſuperiore, à quo certâ lege, ac regulâ in ſuis actionibus debitè contineatur, ne à fine debito recedat. Quòd ſi de fine naturali apparet neceſſitas; multò magis lege indigebit, ut benè regatur in ordine ad finem ſupernaturalem humanæ menti prorsùs ignotum. Exiſtentiam legum oſtendunt, quoad naturalem quidem, ipſum lumen rationis; & inſuper Sacra Scriptura multa præſcribens ad legem naturalem ſpectantia, & ſupernaturalem; multa etiam ad legem poſitivam divinam habentur tam in veteri, quàm in novo Teſtamento. Quoad leges humanas, eas legere eſt in Jure, tùm Civili, tùm Canonico. Legum etiam utilitatem ipſa experientia teſtatur: Conſtat enim, per leges juſtitiam, pacem, ac concordiam, aliaque multa bona in ſocietate humana promoveri, multa etiam mala impediri; adeo ut Reipublicæ ſalutem in legibus conſtitutam eſſe, dixerit Ariſtoteles 5. *Rhetoric.*

VIII. His prænotatis: quod circa ſubſtantiam legis in Scholis diſputatur, eſt: in quo actu lex collocanda ſit; an in actu intellectus, an voluntatis, an in utroque. Scotus eam formaliter collocat in actu voluntatis præſupponente actum intellectus. Sanctus Thomas hoc *a.* 1. ſentit, legem eſſe formaliter actum rationis, connotantem tamen actum voluntatis. Aliqui extra utramque ſcholam, legem, dicunt, æqualiter conſiſtere in utroque actu, intellectus, & voluntatis.

§. II.

An Lex eſſentialiter ſit Actus Intellectus?

IX. DIco. Lex eſſentialiter eſt actus intellectus, præſupponens tamen, & connotans actum voluntatis. Hæc reſolutio affinis eſt alteri, quam ſtatuimus *Tom.* 4. *in* 1. *p. Qu.* 1. *de Providentia Dei Dub.* 3. ubi Providentiam diximus eſſe eſſentialiter actum intellectus, præſupponentem tamen actum voluntatis, contra eumdem Scotum. Prior ergo pars probatur à D. Tho. hoc *art.* 1. *in Arg. ſed contra*, hoc diſcurſu. Actus legis eſt *præcipere*, & *prohibere*: ſed imperare eſt actus rationis; ergo & actus legis. Min. oſtendit ex ſupra dictis *qu.* 17. *a.* 1. ubi hæc habet: *Imperare eſt eſſentialiter actus rationis; imperans enim ordinat eum, cui imperat, ad aliquid agendum intimando, vel denunciando: ſic autem ordinare per modum cujuſdam intimationis, eſt rationis.*

Deinde *in Corp. articuli* ſic diſcurrit: Lex eſt regula, & menſura actuum humanorum, ſecundùm quam inducitur aliquis ad agendum, vel ab agendo retrahitur: ſed regula, & menſura humanorum actuum eſt ratio, rationis enim eſt, per modum primi principii ordinare; ergo &c.

X. Confirm. Superior mediante lege obligat ſubditos ad obediendum: obligare autem proprium eſt imperii, quod in hoc differt à conſilio; conſilium enim dirigit, ſed non obligat: atqui

atqui actus imperii eſt rationis; ergo &c. — Addo, quòd legem ferre eſt quoddam loqui: ſed locutio interior eſt actus intellectus, qui eſt ſpirituale os animæ; ergo ad eumdem pertinet ipſa lex.

XI. Accedit: quòd lex in Scripturis dicitur illuminare. Pſal. 18. v. 9. *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos*. Pſal. 118. v. 105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis*. Et Proverb. 6. v. 23. *Mandatum lucerna eſt, & lex lux*. Hæc autem pertinent ad intellectum; ergo &c.

XII. Quòd verò lex ita ſit actus rationis, ut per ſe in ſuo eſſentiali conceptu non includat actum voluntatis; Prob. primò. In lege naturali, quæ jubet, ea ſuo tempore, & loco fieri, quæ ſecundùm ſe bona ſunt; prohibet autem, quæ per ſe, & ex natura ſuâ ſunt mala: ſed hæc prævenit omnem voluntatem: Nam quòd Deus ſit colendus, & amandus, parentes honorandi, quòd furtum, & adulterium ſint fugienda, ratio naturalis ſic dictat; ut præveniendo omnem Legislatoris voluntatem, imò, ſuppoſito per impoſſibile, nullam eſſe in eo voluntatem, nihilominus lege naturali teneremur illa facere, & iſta fugere; ergo &c.

Probatur ſecundò. Poſitâ voluntate Superioris, etſi ſubditus eam cognoſcat, non obligatur ad legem ſervandam, quouſque ei non intimetur: unde Religioſus, etſi ſciat voluntatem Superioris eſſe, ut faciat aliquid, non obligatur illud facere, antequam ei imperetur. E contra verò ſi aliquid præcipiat Superior, etſi non habeat voluntatem, ut ponatur in executione, tenetur illud exequi. Sic Abraham verum habuit præceptum de immolando filio, & tenebatur illud implere; cùm tamen Deus non haberet voluntatem, ut illum de facto immolaret. Et ſi Princeps aliquis legem ferret, non cupiens (ſive ex malitia, ſive ex alia cauſâ) ut ſubditi rem præceptam faciant, volens tamen legem eis ponere, eſſet vera lex; ergo non requiritur ad eſſentiam legis, ut Legislator velit à ſubditis fieri, quod jubet; ergo ad eſſentiam legis ſola intimatio per rationem ſufficit.

XIII. Secunda verò pars, nempe, quòd eſtò lex ſit eſſentialiter aliquid rationis; omnis tamen lex poſitiva, non ſolius rationis ſit, ſed actum voluntatis connotet, & ſupponat; Prob. Tùm quia actus legislativus, eſtò ſit actus rationis, eſt tamen rationis non ſpeculativæ, ſed practicæ, nimirùm actus imperii, ut dictum eſt, & dicetur: ſed actus imperii licèt elicitivè, & quantùm ad ſubſtantiam ſit ab intellectu, ſupponit tamen, & connotat actum voluntatis, à quo efficaciam, & vim movendi participat, ut docet D. Thom. 1. 2. q. 17. a. 1. ergo &c. Tùm etiam: quia proprium eſt legis movere ſubditos ad aliquid agendum, & ad deſiſtendum ab aliquo: ſolus autem intellectus abſque voluntate movere non poteſt quoad exercitium.

XIV. Quæres: Quis ſit actus intellectus practici, in quo eſſentialiter conſiſtit lex. Et quis ſit actus voluntatis, quem lex connotat, & ſupponit.

Reſpondeo ad primum. Verius eſſe, quòd actus rationis, in quo eſſentialiter conſiſtit lex, ſit actus imperii, nec ſufficiat actus judicii. Quantumcumque enim Superior judicet, aliquid eſſe bonum, & faciendum; quamdiu illud non præcipit, non fert legem, nec ſubditi tenentur illud facere; quod manifeſtum eſt in iis, quæ cadunt ſub conſilio. Nam hæc judicantur à Deo eſſe bona, imò meliora: quia tamen nec Deus illa præcipit, nec alius habens poteſtatem legislativam; ideo nec de illis eſt lex, nec Fideles ad ea ſervanda obligantur. Debet ergo accedere imperium rationis practicæ præſcribentis, & dicentis: Hoc debet fieri: & ſtatim aderit lex. Quemadmodum enim ex principiis univerſalibus ſpeculabilibus per vim conſequentiæ ſequitur

Digitized by Google

quitur concluſio: ita ex principiis univerſalibus rationis practicæ ſequitur per imperium dictamen, vel proportio rationis, juxta quam agi oportet; ut indicat D. Tho. hoc *a* 1. *ad* 2.

XV. Reſpondeo ad ſecundum. Actum voluntatis, quem debet ſupponere lex, non eſſe actum, quo Superior velit fieri id, quod jubet: nam ut nuper dicebamus talis actus nec requiritur ad rationem veræ legis, ut oſtendimus exemplo Abrahæ, nec ſufficit. Etenim ſi Superior aliquid fieri velit, non tamen præcipiat: neque erit lex, nec ſubditi tenebuntur illud præſtare. Debet ergo eſſe actus voluntatis approbantis id, quod intellectus bonum judicavit, & volentis de illo ſtatutum, ſeu legem ferri; ideoque moventis intellectum ad illud imperandum.

XVI. Itaque hunc, vel ſimilem progreſſum in lege ferenda tenet Legiſlator. Primò. Ponderatis prudenter omnibus, tùm circumſtantiis, tùm mediis, judicat bono publico expedire, ut talis, aut talis lex feratur. Deinde per voluntatem hoc approbat, eligitque, hanc legem ferre præ alia. Poſtea intellectum ad imperandum ſui decreti executionem, eamque mediâ promulgatione, tanquam mentis ſuæ interprete, manifeſtat.

§. III.

Scotiſtarum Rationes contrariæ.

XVII. OBjiciunt primò varias auctoritates, quibus conantur oſtendere, legem in actu voluntatis conſiſtere. Pſalm. 39. v. 9. *In capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei*. Pſ. 102. v. 7. *Notas fecit vias ſuas Moyſi, filiis Iſrael voluntates ſuas*, ideſt leges. Et 2. Machab. 1. v. 3. *Det vobis cor omnibus, ut colatis eum, & faciatis ejus voluntatem*, ideſt, ejus legem ſervetis, ac impleatis.

XVIII. Confirmant. Leges civiles dicuntur eſſe Principum placita. Nam *l.* 1. *ff. de conſt. Princ.* dicitur: *Quod Principi placuit, legis habet vigorem*. Hinc S. Aug. l. 4. de Civit. Dei c. 6. *Arbitria* (inquit) *Principum pro legibus erant*. Et Ariſt. in *Rhetoric. cap.* 1. *Legem* dicit: *eſſe communem civitatis conſenſum*. Et Cicero l. 1. de legibus: *Legem ab electione dictam eſſe*. Sed placitum, conſenſu probatum, & quod ab electione procedit, voluntatis actum importat; ergo &c.

XIX. Reſpondeo primò. Hoc argumentum retorqueri poſſe in Adverſarios; nam leges in Scriptura vocantur: *Lucerna, lux, præceptum illuminans*, ut ſupra diximus. Dicuntur etiam *judicia* Pſalm. 147. v. 20. *Non fecit taliter omni nationi, & judicia ſua non manifeſtavit eis*. Sed lucere, illuminare, judicare, actus intellectus ſunt; ergo &c.

Reſpondeo communi ſolutione, præfatas auctoritates convincere, legem à voluntate Legiſlatoris procedere, non elicitivè, ſed motivè; quia Princeps non fert legem, niſi volens eam ferre. Unde D. Tho. 1. *p. q.* 19. *a.* 12. inter ſigna voluntatis divinæ ponit præceptum; quia ſi Deus aliquid præcipit, ſignum eſt, quòd illud vult. Ex quo ſequitur, quòd lex includat quidem actum voluntatis, & illum ſupponat; non tamen quòd in eo formaliter conſiſtat. Dicimus autem, dum legi obedimus, voluntatem Dei facere; quia opera, quæ à Deo præſcribuntur, bona ſunt, & Deo placent.

Quod additur ex Jure Civili, ſenſum facit: id, quod placuit Principi, habere vigorem legis, quando ſuam voluntatem, rectam rationis regulam ſequens, hoc, quod vult, ſubditis præſcribit, & imperat. Auguſtinus autem (ſeu verius Juſtinus hiſtoricus) dicit: quòd *cum populi nullis legibus tenebantur, arbitria Principum pro legibus erant*, ut judicata tamen, & populis intimata. Quod indicat, voluntatem eſſe quidem cauſam motivam, non tamen eſſe formaliter legem.

XX.

XX. Nec dicas: voluntatem non ſupponi ad actum intellectus, ſed potiùs intellectum ſupponi, & antecedere actum voluntatis; maximè in operationibus, quæ exteriùs ſunt exercendæ: per voluntatem enim potentiæ exteriores applicantur — Nam reſpondeo, quòd eſtò actus voluntatis, qui dicitur *uſus*, ſit poſtremus, quia applicativus potentiarum exteriorum ad executionem; eas tamen non applicat, niſi ex imperio rationis: eſſentia autem legis in actu imperativo conſiſtit, non in executivo. Pro quo noto, quòd lex poteſt tripliciter conſiderari. Primò. Ut eſt in Legiſlatore tanquam regulante, & imperante. Secundò. Ut in ſubditos tanquam regulatos, & imperatos derivatur. Tertiò. Ut in aliquo ſigno exteriori: quomodo lex eſt, vel verbum ore prolatum, vel ſcriptura ab interno Legiſlatoris actu derivata; qui actus eſt vera, & quaſi primaria lex, à quavim legis habent tùm voces exteriores, tùm ſcripturæ, quæ legem continent. De lege ergo, ut in Legiſlatore, quatenus dicit actum imperantem, & intimantem executionem externam per voces, & ſcripturam, ac ſubditis obedientiam, loquimur hìc: & hunc dicimus eſſe actum imperii intellectus, quamvis ſupponat, & inferat actum in voluntate.

XXI. Objiciunt ſecundò. Ad eam facultatem eſſentialiter ſpectat ratio legis, ad quam pertinet ordinare in finem; quia lex ad hoc tendit, ut homo in ſuum finem recto veluti tramite manuducatur: ſed ad voluntatem, cujus objectum eſt finis, ſpectat manuducere in finem; ergo &c.

Confirmatur primò. Munus legis, ejuſque propria ratio in decreto obligativo conſiſtit, quo moventur ſubditi ad rectè operandum: ſed movere ad exercitium operationis, proprium eſt voluntatis; ergo &c.

Confirmatur ſecundò. Lex eſt eſſentialiter regula, & menſura humanarum actionum: ſed regulare humanas actiones pertinet ad voluntatem: unde D. Tho. 2. 2. *q.* 104. *a.* 1. *ad* 2. docet: quòd *Divina voluntas eſt prima regula, qua regulantur omnes rationales voluntates, cui una magis appropinquat, quàm alia .... & ideo voluntas unius hominis præcipientis poteſt eſſe quaſi ſecunda regula voluntatis alterius obedientis.*

XXII. Reſpondeo, neg. abſolutè min. Ordinare enim in finem formaliter ſpectat ad intellectum; voluntatis autem potiùs eſt, ſequi ductum, & ordinationem à ratione præſcriptam. Non enim ideo intellectus rectè ordinat, quia ſequitur voluntatem; ſed ideo voluntas ordinatè procedit erga finem, quia ſequitur ordinem rectæ rationis ſibi ab intellectu præſcriptum. Unde quòd lex rectè ordinet, primariò habet à ratione, non à voluntate.

XXIII. Ad primam Confirm. dico, vim obligandi eſſe in voluntate, quatenus imperium ſemper ſupponit voluntatem: eſſe tamen formaliter in intellectu, quatenus intellectus eſt, qui imperat. Unde lex ſupponit quidem actum voluntatis, ſed in eo formaliter non conſiſtit. Lex inſuper movet quidem, ſed dirigendo, & præcipiendo: voluntas verò movet, præcisè applicando ad exercitium, non dirigendo, imò in ſuo actu dirigitur ab intellectu.

XXIV. Ad ſecundam Conf. dico, voluntatem dici regulam, non ratione ſui per ſe, ſed quatenus dirigitur à ratione. Et in hoc ſenſu dicit S. Th. quòd voluntas divina eſt prima regula, ut dirigitur à ratione divina: ac proinde ratio primæ regulæ competit per ſe primò rationi divinæ, & participativè rationi creatæ. Unde voluntas Superioris creati eſt ſecunda regula, quatenus dirigitur à ratione creatâ participatâ, & conformi rationi divinæ.

XXV. Objiciunt tertiò. Ferre legem eſt actus juſtitiæ, cùm lex ordinetur ad bonum commune, quod reſpi-

Digitized by Google

reſpicitur à juſtitia legali: ſed juſtitia legalis reſidet in voluntate; ergo &c.

Reſpondeo, neg. maj. Condere enim leges præſupponit quidem voluntatem ſervandi juſtitiam legalem; non tamen formaliter, & eſſentialiter eſt actus juſtitiæ legalis, ſed prudentiæ politicæ, & regalis, quæ eſt virtus reſidens in intellectu practico.

XXVI. Objici poteſt quartò in gratiam eorum, qui ponunt legem in utroque actu intellectus, & voluntatis. D. Auguſtinus l. 22. contra Fauſtum cap. 27. *Lex æterna* (inquit) *eſt ratio divina, vel voluntas Dei ordinem naturalem conſervari jubens, perturbari vetans*; ergo in intellectu, & voluntate conſiſtit lex.

XXVII. Reſpondeo, neg. conſeq. Non enim S. Auguſtinus loquitur copulativè, dicens: lex æterna eſt ratio divina, & voluntas Dei; ſed disjunctivè, eſt ratio divina, vel voluntas Dei, ideſt vel una, vel altera; conſultò volens ab hac controverſiâ abſtinere, quia nihil ad rem ibi conducebat: quamvis ſi attentè conſiderentur, quæ ſubjungit, eam in ratione potiùs collocet, quàm in voluntate. Cæterum *lib. 1. de Lib. arb. c. 6.* ubi hanc materiam tractat, legem definiens, eam determinatè ponit in intellectu dicens: legem æternam eſſe *Rationem ſummam, cui ſemper obtemperandum eſt*.

DUBIUM II.

An Lex ordinetur ſemper ad Bonum Commune?

§. I.

An Lex ad aliquam Communitatem dirigi debeat?

I. Duplex hujus Dubii ſenſus reddi poteſt. Unus, an lex ad aliquam Communitatem ſemper dirigi debeat: alter, an lex ordinari ſemper debeat ad bonum commune tanquam ad finem. Ad priorem ergo ſenſum

II. Dico. Lex, ut veram legis rationem habeat, debet dirigi ad Communitatem; nec ſatis eſt, ut uni, vel alteri homini imponatur. Ita cum D. Tho. hâc *q. 90. a. 3. ad 3.* communiter omnes. Probatur primò inductione. Nam lex æterna, & naturalis, non uni tantùm homini datur, ſed in cordibus omnium hominum inſeritur. Lex etiam divina poſitiva pro Communitate data eſt: vetus quidem pro populo Iſraelitico: nova autem pro toto Mundo. Humanæ etiam leges, ſive civiles, ſive canonicæ ad Communitates diriguntur.

III. Probatur ſecundò. Lex in eo diſtinguitur à præcepto, quòd præceptum poſſit uni, vel duobus imponi, non ſimiliter lex. Hinc ſecundùm communem ſenſum, Rex non cenſetur legem ferre, quando quidpiam uni, vel alteri mandat: ſicut neque quando Deus *Gen. 22. v. 2.* mandavit Abrahæ, ut filium ſuum immolaret, cenſetur tuliſſe legem, etiamſi verum præceptum dederit. Contra verò quando Adæ præcepit, ne de ligno comederet *Gen. 2. v. 17.* veram legem tulit; quia mandatum illud, non ſoli Adæ factum fuit, ſed totam ejus poſteritatem, in eo ſeminaliter contentam, comprehendebat.

IV. Ratio autem hujus eſt. Tùm quia lex eſt principalis actus prudentiæ politicæ, vel regalis; quæ per ſe primò reſpicit bonum commune, & totius, & non tantùm bonum partis. Quapropter docet D. Tho. loco citato art. 3. *Quòd lex propriè, primò, & principaliter reſpicit ordinem ad bonum commune. Ordinare autem aliquid in bonum commune, eſt, vel totius multitudinis, vel alicujus gerentis vices totius multitudinis.* Et ibi *ad 3.* dicit, Patresfamilias pro ſua domo poſſe quidem facere præcepta, ſed non leges. Quia *ſicut homo eſt pars domus: ita domus eſt pars Civitatis: Civitas autem*

autem eſt Communitas perfecta .... Et ideo ſicut bonum unius hominis non eſt ultimus finis, ſed ad commune bonum ordinatur: ita etiam bonum unius domus ordinatur ad bonum totius civitatis, quæ eſt Communitas perfecta. Unde ille, qui gubernat aliquam familiam, poteſt quidem facere aliqua præcepta, vel ſtatuta; non tamen quæ propriè habeant rationem legis.

Tùm etiam: quia, ut dictum eſt, & dicetur, de ratione legis eſt, quòd ſit perpetua: ſed nulla perſona particularis pro hoc mortali ſtatu, pro quo fertur lex, eſt perpetua; ergo ipſi propriè non poteſt ferri lex, ſed communitati perfectæ: quæ, cùm per continuam ſucceſſionem perſeveret, hac ratione dici poteſt perpetua.

V. Nota tamen, ad veram rationem legis non requiri, ut feratur pro tota communitate totaliter: ſed ſatis eſt, ut ſic feratur, quòd eam, vel totam obliget, vel aliquam ejus partem, ſecundùm exigentiam rerum, ac perſonarum, ob tamen commune bonum, & modo fixo, ac ſtabili. Quare ſi ad commune bonum civitatis pertineat, poterit ferri lex, quæ, vel concernat unius opificii artifices, & non alios; vel comprehendat unius tantùm conditionis homines, veluti plebejos, & non nobiles, aut contrà: vel obliget deſcendentes ex Hebræis, aut ex Saracenis converſos, & non alios; habitantes unam plateam, & non aliam: vel obſtringat ad certa aliqua ædificia, aut arma alicujus generis aliquos habitatores, eſtò non omnes. His enim in caſibus, modò ſervetur debita proportio, non ſolùm erit juſtum præceptum, ſed etiam vera lex; quia procedens ex jurisdictione politica, immediatè pertinens ad bonum commune totius: & obligans, eſtò non abſolutè omnes, omnes tamen iſtius, vel illius conditionis, vel opificii, vel ſitus, non ſolùm præſentes, ſed etiam futuros. Et propterea dixi: ſi feratur modo fixo, & ſtabili; quia lex, ut differt à præcepto, habere debet perpetuitatem, nec expirare morte Legiſlatoris; obligare nedum præſentes, ſed etiam futuros, & dari ob cauſam non extemporaneam, ſed permanentem. Unde ſi Princeps ob extemporaneam aliquam neceſſitatem juberet, ut ſubditi uno die incederent armati, vel aliud ad breve tempus, non faceret legem, ſed præceptum.

VI. Sed dices primò. Innocentius III. C. *licet de Regularibus*. Et Urbanus II. C. *duæ ſunt*. 19. q. 2. Duas leges eſſe dicunt: unam publicam, aliam privatam. Similiter Ulpianus *L.* 1. *Digeſt. tit.* 4. Quaſdam dicit eſſe leges perſonales, quæ non trahuntur ad exemplum. Et in Inſtit. *De Jure naturali, gentium, & civili* Idem dicitur.

VII. Reſpondeo, Innocentium, & Urbanum pro lege privata ſumere privatum Spiritus Sancti inſtinctum, quo quiſpiam ad aliquod certum bonum inſpiratur. Unde ait Urbanus: *Lex verò privata eſt, quæ inſtinctu Spiritus Sancti in corde deſcribitur, ſicut de quibuſdam dicit Apoſtolus* (Roman. 2. v. 15.) Qui habent legem ſcriptam in cordibus ſuis. Loquitur autem de Clerico, qui Spiritu Sancto afflatus, ad religionem tranſire cupit. Et Innocentius loquitur de Religioſo ad arctiorem vitam aſpirante; vultque, ad illam tranſire poſſe, etiam Prælato licentiam denegante.

Jus autem civile nomine legis perſonalis intelligit privilegium, vel pœnam particulari perſonæ conceſſum, vel inflictam. Quæ propterea legem nominat, quia ſaltem mediatè reſpiciunt bonum Communitatis. Quamvis enim executio cadat in unam tantùm perſonam, dum tamen in ea præmiatur virtus, acceditur in aliis ſtudium: & dum vitia pœnâ mulctantur, alii à vitiis deterrentur, ex quo bonum Reipublicæ emergit.

VIII. Dices ſecundò. Quòd præceptum uni, vel pluribus detur, non variat eſſentiam præcepti; ergo ſi præceptum multis, ſeu communitati impo-

Digitized by Google

ſi:um eſt lex, erit etiam lex cùm uni, vel alteri imponitur.

IX. Reſpondeo, diſt. ant. Non variat phyſicè, tranſeat ant. Moraliter, nego ant & conſ. Licèt enim omnis lex ſit præceptum; non tamen omne præceptum eſt verè lex. Nam tres conditiones requirit lex, quas non requirit præceptum. Prima. Quia lex totam reſpicit Communitatem, cui immediatè datur, quod ad præceptum non requiritur. Secunda. Quia lex ex natura ſuâ petit eſſe perpetua, nec morte Legislatoris ceſſat; præceptum autem morte, vel amotione imponentis ceſſat. Tertia. Quia præceptum à quocumque Superiore imponi poteſt: lex autem ab eo ſolo, qui à Deo, vel à Republica ſupremam, ac legislativam obtinet poteſtatem.

X. Dices tertiò. Lex utpote directiva humanarum actionum debet reſpicere perſonam, quæ ſecundùm eam agere debet: ſed hæc eſt perſona particularis, quæ eſt vera perſona; Communitas enim non eſt perſona, niſi ficitia, quæ nonniſi per particulares perſonas poteſt operari, & legem implere; ergo lex potiùs dirigi debet ad particulares perſonas, quàm ad Communitatem.

XI. Reſpondeo, hanc inſtantiam in æquivoco laborare: putat enim, legem dirigi ad ſolam communitatem, ut eſt corpus myſticum abſtractivè conſideratum; cùm tamen dirigatur ad illam concretivè ſumtam, & ut includit perſonas ſingulares, per quas lex debet impleri, & executioni mandari. Potiùs tamen dirigitur ad Communitatem, quàm ad ſingulares perſonas; quia lex non reſpicit particulares perſonas, propter bonum particulare ipſarum, ſed propter bonum Communitatis, & ut ſunt partes illius. Et ideo licèt quantùm ad executionem pertineat ad ſingulares perſonas, quantùm ad præſcriptum tamen, & deſignationem totam reſpicit Communitatem.

XII. Eſtò autem lex reſpiciat immediatè Communitatem, non tamen omnis eodem modo. Nam aliqua lex eſt, quæ ad Communitatem fertur, non collectivè, ſed diviſivè, ſeu diſtributivè ſumtam; quia à ſingulis de Communitate ſervanda eſt, vel juxta legis conditionem, & perſonarum, vel abſolutè. Alia verò eſt, quæ ad Communitatem collectivè ſumtam fertur; præcipiendo videlicet, aut prohibendo aliquem actum, qui à ſola communitate collectâ fieri debet, non verò à ſingulis membris ſeorſim ſpectatis: ut ſunt ſtatuta, & leges, quibus Univerſitatum, Communitatum, Capitulorum Rectores tenentur, aliqua præſtare circa publicam, & communem adminiſtrationem ſuæ directioni commiſſam.

§. II.

An Lex debeat dirigi ad Bonum Commune, ſeu ad Publicam Utilitatem, ut ad Finem?

XIII. Dico. De ratione legis eſt, quòd ſit propter bonum commune, ut propter finem. Ita Plato *L. 1. de Legibus* dicens: *Leges condendas eſſe publicæ pacis gratiâ*. Ariſtoteles 4. Politic. c. 1. *Leges* (inquit) *ad communem populi ſalutem ſunt accommodandæ*. Et Cicero l. de Legibus dicit: *Conſtat, leges pro ſalute Republicæ tuenda eſſe inſtituendas*. Probatur inductione. Lex naturalis de ſe tendit ad bonum commune totius naturæ humanæ. Leges divinæ poſitivæ ordinantur ad Dei gloriam, & hominum utilitatem; dicente Iſaia c. 51. v. 4. *Lex à me exiet, & judicium meum in lucem populorum requieſcet*. Leges etiam humanæ tam civiles, quàm canonicæ referuntur reipsâ, & omnino referri debent ad bonum commune, & ad illud utiles eſſe. Nam poteſtas ferendi leges non eſt conceſſa hominibus, ſive à Deo, ſive à Republica, niſi propter bonum commune, & publicam felicitatem.

XIV. Confirm. Lex omnis, aut eſt à Deo

Deo Legiſlatore; aut ab homine: ſi à Deo, ordinatur in bonum commune. Nam vel eſt à Deo, ut auctore naturæ; vel à Deo, ut auctore gratiæ: utroque autem modo ad bonum commune hominis ordinatur; nempe, ad beatitudinem, ſive naturalem, ſive ſupernaturalem, & æternam, quæ eſt ultimus ejus finis. Si verò ſit ab homine, debet eſſe exemplata à lege divina: quia Reges, & Principes ſunt miniſtri Dei, cujus Mundus eſt Regnum; juxta illud Sap. 6. v. 5. *Cùm eſſetis miniſtri regni illius, non rectè judicaſtis*: & Rom. 13. v. 6. *Miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum ſervientes*; ergo non habent poteſtatem legum condendarum, niſi propter bonum commune, quod Deus præcipuè intendit. Quòd ſi etiam poteſtatem legiſlativam acceperint à populo; certum eſt, ipſis eſſe ab eo collatam, ut illam exerceant in publicam utilitatem, non ad privatum commodum. Quapropter in Concil. Tolet. 8. *Can.* 10. ſancitum legimus: quòd Reges ſint *non proſpectantes proprii juræ commodi, ſed conſulentes patriæ, atque genti*. Et Iſidorus l. Etymol. cap. 21. *Lex* (inquit) *eſt nullo privato commodo, ſed pro communi civium utilitate conſcripta*.

XV. Hanc veritatem probat D. Th. hâc *q.* 90. *a.* 2. hoc diſcurſu. Lex ex ſua naturâ ordinat hominem ad debitum finem illius: ſed debitus finis hominis eſt felicitas, ſeu bonum commune; ergo &c. Min. probat S. Doct. ſic. Felicitas, ſeu bonum partis eſt ſecundùm ordinem ad bonum, & felicitatem ſui totius: ſed homo eſt pars totius Communitatis perfectæ; ergo felicitas hominis, & ultimus finis ejus eſt ſecundùm ordinem ad bonum commune.

XVI. Dices tamen primò. Multæ ſunt leges, quæ privatum bonum reſpiciunt: ut lex naturalis de tuenda propriâ vitâ, lex eleemoſynæ, lex correctionis fraternæ, lex confeſſionis ſacramentalis, quæ ſalutem ſupernaturalem pœnitentis reſpicit, & leges de aliis Sacramentis ſuſcipiendis; ergo &c.

XVII. Reſpondeo, diſt. ant. Privatum bonum, ut materiam proximam, co. ant. Ut motivum, & finem, nego ant. & conſeq. Aliud eſt enim loqui de materia proximâ, circa quam verſatur lex; aliud de motivo formali, & fine, propter quod verſatur circa talem materiam. Lex ergo naturalis de tuenda propriâ vitâ reſpicit quidem bonum privatum perſonæ particularis, ut materiam proximam, circa quam verſatur; pro motivo autem, & fine propter quod agit, & quod primò, & per ſe reſpicit, habet bonum commune, nempe, conſervationem naturæ humanæ; cujus homo particularis cùm ſit pars, & natura conſervari nequeat niſi in ſingularibus: propterea naturæ auctor, & conſervator ſingulis præcipit, ut propriam vitam tueantur. Idem cum proportione dicendum eſt de legibus correctionis fraternæ, & eleemoſynæ: quæ licèt reſpiciant bonum privatum, ut materiam proximam, tamen per ſe primò ordinantur ad commune bonum; ad quod ſpectat, ut pauperes alantur, ne peſtes, aut furta in Republica graſſentur, & quòd vitia emendentur, quæ ſunt contra commune bonum naturæ rationalis. Idem dico de legibus Sacramentorum, & aliis ſupernaturalibus: hæc enim eſtò habeant pro materia proximâ ſalutem perſonæ particularis; per ſe tamen ordinantur ad cultum Dei ultimi finis, in quo omnes homines communicant, & in cujus adeptione natura humana beatificatur.

XVIII. Inſtabis. Privilegium veram habet rationem legis: dicitur enim in Cap. Privilegium diſt. 3. *Privata lex*: & tamen reſpicit ſolam perſonam particularem, in favorem cujus conceditur; ergo &c.

XIX. Reſpondeo primò, neg. maj. Privilegium enim, ſicut & de præcepto dictum eſt, à vera ratione legis declinat; ſicut etiam ſententiæ

Judi-

Judicis, quæ potiùs eſt applicatio legis circa privatam perſonam, & eventum. Quare D. Tho. infra q. 96. a. 1. ad 1. *Quædam verò* (inquit) *ſunt, quæ ſunt communia quantùm ad aliquid, & ſingularia quantùm ad aliquid: & hujuſmodi dicuntur privilegia, quaſi* leges privatæ; *quia reſpiciunt ſingulares perſonas, & tamen poteſtas eorum extenditur ad multa negotia .... Dicuntur etiam quædam legalia, non quia ſint leges; ſed propter applicationem legum communium ad aliqua particularia facta: ſicut ſunt* ſententiæ, *quæ pro jure habentur*.

XX. Reſpondeo ſecundò. Dato etiam, quòd privilegium poſſit vocari lex quod eſtò reſpiciat bonum privatum, tanquam materiam proximam; hoc tamen cedit in bonum commune, quòd aliqui ſint privilegiati propter ſtrenuè facta in bonum Reipublicæ: quia ex hoc accenduntur alii ad opera egregia, & ſtrenua in bonum ejuſdem.

XXI. Dices ſecundò. Etſi nulla eſſet prorsùs Reſpublica, unuſque dumtaxat homo exiſteret, adhuc in eo vigeret lex naturæ; unde Adam, dum ſolus erat, erat capax legis naturalis: ſed tùm lex non ordinaretur ad bonum commune; quia nulla eſſet Communitas, ſeu ſocietas hominum; ergo &c.

XXII. Reſpondeo, quòd ſi nulla eſſet Reſpublica, imò unicus tantùm homo, ut ab initio fuit in ſolo Adamo; eſtò lex in uno ſolo ſubjecto inveniretur, adhuc tamen de ſua natura ordinaretur ad bonum commune: quia ſic eum inſtitueret ad rectè vivendum, non ſolùm ſibi, ſed etiam in ſocietate aliorum, quamvis per accidens de facto non eſſent; homo enim eſt animal ſociabile: unde dixit Deus Gen. 2. v. 18. *Non eſt bonum, hominem eſſe ſolum*.

XXIII. Dices tertiò. Leges poſitivæ exigentes tributa verè leges ſunt: ſed tamen non reſpiciunt bonum commune ſubditorum, ſed potiùs privatam regis utilitatem; ergo non eſt de ratione legis, quòd reſpiciat bonum commune.

XXIV. Reſpondeo, diſt. min. Leges de tributis pendendis reſpiciunt privatam Regis utilitatem, ut materiam proximam, co. min. Ut finem ultimum, nego minorem. Ulteriùs enim per ſe ordinantur ad Reipublicæ felicitatem, & ſecuritatem: ut nimirùm Rex per vectigalia poſſit pecuniam comparare, quâ Reſpublica in bello defendatur, & in pace conſervetur.

§. III.

An poſſit Princeps justè Legem ferre, quæ Bona particularia Subditorum in ſuam Utilitatem convertat, ut nec remotè ad Bonum Publicum ordinetur?

XXV. Dico. Non poteſt Princeps, niſi tyrannicè, & injuſtè legem ferre, quâ bona particularia ſubditorum in propriam vertat utilitatem: ita ut nec mediatè in bonum commune ordinentur. Prob. primò. Nam Ariſt 8. Ethic. c. 10. *Tyrannus* (inquit) *ſuam, Rex ſubditorum utilitatem ſpectat*. Et S. Baſilius *Homil.* 12. *in principium Proverbiorum* ait: in hoc Tyrannum à Rege differre, *quòd ille ſua ipſius quomodocumque, & undecumque reſpicit, hic ſubditis conſulere tantùm quærit*.

XXVI. Probatur ſecundò ex Sacra Scriptura. Nam *Deuteron.* 17. ubi deſcribuntur, & præſcribuntur à Deo ea, quæ à Rege ſervari debent, præcipitur primo loco ſervanda in Deum pietas, in Religionem zelus, in ſubditos prudens, & clemens adminiſtratio, & in ſe ipſis ordinata moderatio. Item *Ezechiel.* 34. ubi graviter arguuntur Paſtores, & hoc nomine omnes Reges, ac Principes; eo quòd ſemetipſos paſcerent, non gregem, v. 8. dicitur: *Vivo ego, dicit Dominus Deus: quia pro eo quòd facti ſunt greges mei in rapinam, & oves meæ*

in

Digitized by Google

in devorationem omnium beſtiarum agri, eo quòd non eſſet paſtor: neque enim quaſierunt paſtores mei gregem meum, ſed paſcebant paſtores ſemetipſos, & greges meos non paſcebant. Propterea Paſtores audite verbum domini. Hac dicit Dominus Deus: Ecce ego ipſe ſuper paſtores requiram gregem meum de manibus eorum, & ceſſare faciam eos, ut ultra non paſcant gregem, nec paſcant amplius paſtores ſemetipſos: & liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit ultra ejus in eſcam. Et cap. 46. v. 18. additur: *Et non accipiet Princeps de hareditate populi per violentiam, & de poſſeſſione eorum: ſed de poſſeſſione ſua hareditatem dabit filiis ſuis, ut non diſpergatur populus meus unuſquiſque à poſſeſſione ſua.* Quamobrem cùm Achab Rex 3. *Reg. cap.* 21. ſuadente uxore ejus Jezabel, vineam Naboth invito violenter uſurpaſſet; ipſe & Jezabel ſeveriſſimâ ultione puniti ſunt, domus Achab deleta, & Jezabel à canibus devorata fuit. Comminatio legitur eodem Capite *v.* 21. 22. & 23. & hoc, opere impletum, quiſque videre poterit 4. *Reg.* 9.

XXVII. Hinc patet, turpiter hallucinari eos, qui exiſtimant Principes, & Reges ita eſſe ſubditorum ſuorum dominos; ut verum habeant dominium in eorum bona, poſſintque ea in proprium commodum convertere, ac ferre leges in ſuam privatam utilitatem unicè ordinatas. Contrarium enim ſanxit Deus, ut dictum, & oſtenſum eſt. Contrarium ſenſerunt quovis ſeculo Patres. Anno 653. *Concil. Tolet.* 8. *Can.* 10. Reges Gothorum Chriſtianos dum principatum induebant tales debere exiſtere ſtatuit, quales deſcribuntur, his verbis: *Erunt Catholica fidei aſſertores .... erunt actibus, judiciis, & vitâ modeſti: erunt in proviſionibus rerum tàm parci amplius, quàm extenti; ut nullâ vi, aut factione ſcripturarum, vel definitionum qualiumcumque contractus à ſubditis vel exigant, vel exigendos intendant ... non proſpectantes proprii jura commodi, ſed conſulentes patria, atque genti. De rebus congregatis ab eis illas tantùm ſibi vindicent partes, quas dictaverit auctoritas principalis &c.* Eadem monita *Concil. Pariſienſe* 6. ſub Ludovico, & Lothario anno 829. Regi tradit *cap.* 1. inter quæ præcipuum eſt: *Neminem injuſtè per potentiam opprimere.* Quapropter D. Bernardus *l.* 3. *de Conſiderat.* ad Eugenium III. Summum Pont. cap. 3. *Praes* (inquit) *& ſingulariter. Ad quid? ..... numquid ut de ſubditis creſcas? Nequaquam, ſed ut ipſi de te. Principem te conſtituerunt; ſed ſibi, non tibi.* Et cap. 4. *Quid item tàm indignum tibi, quàm ut totum tenens, non ſis contentus toto; niſi minutias quaſdam, atque exiguas portiones ipſius tibi credita Univerſitatis, tanquam non ſint tua, ſatagas, neſcio quomodo, adhuc facere tuas? Ubi etiam meminiſſe te volo parabola Nathan de homine, qui multas oves habens, unam, qua erat pauperis, concupivit. Huc quoque veniat factum, imò facinus Regis Achab, qui rerum ſummam tenebat, & unam vineam affectavit. Avertat Deus à te, quod ille audivit* (3. Reg. 21. v. 19.) occidiſti, & poſſediſti. His in Eugenio Principes omnes monebat S. Bernardus.

XXVIII. Rationes, quæ in contrarium militare poſſunt, ſunt. Prima Populo Judaico Regem poſtulanti 1. *Reg. cap.* 8. *v.* 11. Samuel nomine Dei, reſpondit: *Hoc erit jus Regis, qui imperaturus eſt vobis: Filios veſtros tollet, & ponet in curribus ſuis, facietque ſibi equites, & pracurſores quadrigarum ſuarum ...* v. 13. *Filias quoque veſtras faciet ſibi unguentarias, & focarias, & panificas. Agros quoque veſtros, & vineas, & oliveta optima tollet, & dabit ſervis ſuis &c.* ergo Princeps jus habet, in privatum commodum perſonas, & bona ſubditorum per leges, & edicta convertendi.

XXIX. Secunda ratio ſumitur ex illo Chriſti Lucæ 22. v. 25. *Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur.*

tur. Vos autem non ſic &c. Quibus verbis videtur Chriſtus diſcrimen ſtatuere inter poteſtatem regiam, & eam, quam erat ipſe inſtituturus; ut poteſtati civili, & regiæ tribuat auctoritatem dominandi ſubditis, ita ut horum ſint verè domini: ſed dominus poteſt ſervorum bona in proprium commodum convertere; ergo potiori jure poſſunt Reges, & Principes id legibus, & edictis ſancire.

XXX. Tertia ratio eſt. Principes Dei vices gerunt: ſed Deus omnia refert in ſeipſum; ergo Principes omnia ſubditorum bona ad ſuum privatum commodum referre poſſunt.

XXXI. Ad hæc reſpondeo. Ad primam, nego conſeq. Ibi enim ſermo eſt de jure Regio, non vero, ac legitimo, ſed tyrannico, quod Reges eſſent uſurpaturi. Hoc patet ex contextu. Ibi enim refertur, quod populus Regem petendo, *diſplicuit ſermo in oculis Samuelis*. Cùmque hac de re Deum conſuluiſſet, reſpondit indignatus Dominus v. 7. *Non te abjecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos.* Et v. 9. *Verumtamen conteſtare eis, & prædic jus Regis, qui regnaturus eſt ſuper eos.* Quaſi diceret, nolunt me amplius regnare ſuper eos, qui tot eis contuli bona: habeant Regem; ſed talem, qui jus regium convertat in deſpoticum, & tyrannicum. Unde noto, quòd Deus non dixit abſolutè: *prædic eis jus Regis*; ſed: *Regis qui regnaturus eſt ſuper eos*: nimirùm jus, quod ſibi faciet, & uſurpabit ille, qui ſuper eos erit regnaturus. Unde S. Gregorius lib. 4. in 1. Reg. cap. 2. *Cùm ergo* (inquit) *jus Regis prædicitur, nimirum in unius carnalis Præpoſiti converſatione oſtenditur, quòd carnales cæteri ex tyrannide acturi ſunt, non quòd electi debeant imitari. Nam in eadem Regum hiſtoriâ legitur, quia cum Rex Achab Naboth vineam abſtulit, iram Dei omnipotentis incurrit... Cum ergo hîc prædicitur, quod commiſſum illic punitum eſt, oſtendit, quòd divino judicio non jubetur.*

XXXII. Ad ſecundam reſpondeo primò. Chriſtum ibi non approbare, ſed reprobare potiùs modum, quo Reges gentium dominabantur, dum ait: *Vos autem non ſic*. Unde nihil conficitur pro contraria opinione. — Secundò. Chriſtus ibi loquitur de jure regio, non vero, ac legitimo, ſed qualiter illud exercebant Reges gentiles: & ideo non dixit abſolutè: *Reges dominantur*; ſed *Reges gentium*: proponens diſcrimen ſecularis Principatus, & dominationis, qualem gentium, Deum ignorantium, Reges exercebant, ad proprium faſtum, voluptates, utilitatem, & commodum eam convertentes; & Eccleſiaſtici regiminis, in quo qui præeſt, miniſtrum potiùs, & ſervum ſeſe exhibere debet, quàm dominum: nec propria, ſed eorum, quibus præeſt, commoda quærere, ac ſeipſum pro eorum animabus, ac ſalute devovere.

Non inficior tamen, Reges, & Principes jus dominii in ſubditos obtinere: ſed dico, eſſe jus dominii civilis, & politici, non diſpotici, & herilis. Eſtò autem dominus diſpoticus, & herilis, poſſit pro libito in proprios uſus convertere ea, quorum eſt dominus; non autem dominus politicus, & civilis: membra namque Reipublicæ, in quæ dominium habet, ſunt cives, & liberi, non ſervi, aut captivi. Quare politica dominatio, ſecundùm D. Tho. in 2. *diſt.* 44. *q.* 1. *a.* 3. *ad* 1. fuiſſet etiam in ſtatu innocentiæ: quia (inquit) *nullum præjudicium libertati affert, dum ſubditi ad bonum Præpoſiti non ordinantur; ſed è converſo regimen Præpoſiti ad bonum ſubditorum: unde non incongruè ſe eorum ſervos appellant*. Idem docet ibi *q.* 2. *a.* 2. *ad* 1. oſtendens, Chriſtianos, etſi liberos, poteſtatibus ſecularibus obedire debere.

XXXIII. Ad tertiam, diſt. min. In ſeipſum, ut ultimum finem, co. min. In ſeipſum, ideſt in proprium commodum, nego min. & conſequ. Imò quemadmodum Deus nihil refert in

pro-

Digitized by Google

proprium commodum; quia, ut ait David Pſ. 15. v. 2. *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges:* ita reges, & Principes, ex quo vices Dei gerunt, non debent referre bona ſubditorum in privata ſua commoda; ſed quæ, ex ſolutis tributis colligunt, in ſubditorum utilitatem debent convertere. Quòd verò Deus omnia ad ſe referat, ut ultimum finem; hoc ideo eſt, quia *Domini eſt Regnum*, ut habetur *Pſ. 21. v. 29.* & finis regni non eſt extra ipſum. Finis autem Regni non eſt ipſe gubernator humanus, ſed aliud extra ipſum: ideoque, non proprium, ſed finem extra ſe procurare debet. Vide D. Tho. *l. 1. de Regim. Principum c. 14.*

DUBIUM III.

De Juſtitia Legis, Duratione, & Promulgatione ejuſdem.

§. I.

Quid requiratur, ut Lex ſit Juſta.

I. Lex poteſt eſſe juſta, vel injuſta: ſive ex parte objecti, quod præcipitur, ſive ex parte Principis legem ferentis, ſive ex parte formæ, & modi, ſecundùm quem præcipitur. Poteſt eſſe juſta ex parte objecti: vel negativè, quatenus id, quod præcipitur, non eſt turpe, aut inhoneſtum: vel poſitivè, quatenus, nempe, id, quod præcipitur, antecedenter ad legem erat honeſtum, vel conſequenter; quatenus eſtò ante legem eſſet ſecundùm ſe indifferens, per legem tamen in aliqua materia virtutis collocatur, & fit honeſtum: ut ſunt leges de abſtinentia à certo genere ciborum, de uſu veſtium talis, aut talis formæ, vel materiæ.

Ex parte legem ferentis poteſt lex cenſeri juſta; ſi, nempe, eam præſcribat ex affectu juſtitiæ, & honeſtatis, non ex perverſo, & malo animo.

Ex parte verò modi legem ferendi juſta eſſe poteſt; ſi feratur juſtè ex parte finis, nempe, ſi ad commune bonum Reipublicæ ordinetur: de quo egimus Dubio præcedente: vel ex parte poteſtatis, nempe, ut Legiſlator habeat poteſtatem eam ferendi, nec plus ſe extendat, quàm ejus poteſtas protenditur, nec ad alios, quàm ad ſibi ſubditos: vel tandem, ut feratur ſecundùm legem proportionis; nempe, ut juſtâ proportione ſubditis imponantur onera reſpectivè ad vires, & facultates: eſſet enim contra rectam rationem, gravare ſubditos ſupra vires. Ad ferendam enim legem juſtam debent ſervari Juſtitia legalis, cujus eſt commune bonum intendere; juſtitia commutativa, non obligando niſi eos, qui tenentur bono communitatis ſuæ conſulere, nempe, ſubditos; & tandem juſtitia diſtributiva: nam præcipiendo multitudini diſtribuere debet onus inter partes, ſervata æqualitate proportionis. Quare è contra ex hac triplici ratione lex poteſt eſſe injuſta; vel ex parte materiæ, quia præſcribat aliquid, vel communi bono, vel honeſtati repugnans, aut etiam impoſſibile obſervatu: vel ex parte agentis debitâ carentis auctoritate; vel ex parte formæ, nempe, juſtæ diſtributionis.

II. Dico ergo. De ratione legis eſt, ut ſit juſta, & juſtè lata ex parte objecti, Legiſlatoris, & formæ. Et quidem legem debere eſſe juſtam, fatentur omnes: unde S. Auguſt. l. 1. de lib. Arbitrio c. 5. *Mihi* (inquit) *lex eſſe non videtur, quæ juſta non fuerit.* Lex enim, vel eſt divina, vel humana. Si divina, eſſentialiter juſta eſt: ſi humana, exemplata eſſe debet, & derivata à lege æternâ Dei, ut dicemus, aliàs lex non eſt.

III. Prior ergo pars, quòd lex debet eſſe juſta ex parte objecti, ſeu materiæ, prob. primò ex S. Auguſt. *l. de vera Religione c. 31.* ubi poſtquam dixit, de lege æterna, quæ Deus eſt, ſecundùm quam judicat omnia, & de

de qua judicare nullus poteſt; ſubjungit: *Conditor tamen legum temporalium, ſi vir bonus eſt, & ſapiens, illam ipſam conſulit æternam, de qua nulli animæ judicare datum eſt: ut ſecundùm ejus incommutabiles regulas, quid ſit pro tempore jubendum, vetandumque, diſcernat.* Subſcribit D. Thomas 1. 2. *q. 96. a.* 4. dicens, omnes leges humanas, ſi juſtæ ſint, habere vim obligandi *à lege æterna, à qua derivantur; ſecundùm illud Poverb.* 8. Per me Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt. Ex quibus ita diſcurro. Omnis lex humana, quæ juſta ſit, & obligans, debet conſulere æternam, & ab ea derivata eſſe, & exemplata: ſed lex æterna non poteſt ſtatuere niſi recta, & honeſta; ergo &c.

IV. Confirm. Nullus inferior obligare poteſt contra legem Superioris: ſed lex præcipiens actum pravum, & inhoneſtum eſſet contra legem æternam Dei prohibentis illum; ergo &c. Aliàs ſequeretur, nos habere duas obligationes contradictorias: unam, faciendi, quia lex humana id præciperet; alteram, illud idem non faciendi, quia idipſum lex divina prohiberet. Et inſuper, quòd poſſet Deus licitè offendi: offenderetur enim, quia aliquid ab ipſo vetitum fieret; licitè autem, & impunè, quia lege ſancitum eſſet.

V. Probatur ſecundò ex fine legis, qui, teſte Ariſtotele, eſt homines bonos facere. Unde 2. *Ethic.* ait: *Legumlatores ipſos aſſuefacientes bonos efficere.* Et lib. 3. Polit. cap. 6. *De virtute, & vitio cogitant quicumque curam habent, benè inſtituendi Civitatem.* Hac ratione dicit S. Thom. *q. 96. a.* 4. citato, leges, quæ contrariantur bono divino, eſſe injuſtas: *Sicut leges Tyrannorum inducentes ad idolatriam, vel ad quodcumque aliud, quod ſit contra legem divinam. Quia ſicut dicitur Act.* 4. Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus.

VI. Dices. Nonnullæ ſunt humanæ leges, quæ malum permittunt; ergo lex poteſt eſſe injuſta ex parte objecti, ſicut lex permittens meretrices.

VII. Reſpondeo, diſt. ant. Statuendo, ut liceat illud patrare, nego ant. Illud non arguendo, aut vindicando, ob majus bonum, quod inde oritur, vel majus malum evitandum, concedo ant. *Humanum regimen* (inquit D. Thom. 2. 2. q. 10. a. 11.) *derivatur à divino regimine, & ipſum debet imitari. Deus autem, quamvis ſit omnipotens, & ſummè bonus, permittit tamen, aliqua mala fieri in univerſo, quæ prohibere poſſet; ne, eis ſublatis, majora bona tollerentur, vel etiam pejora mala ſequerentur. Sic ergo & in regimine humano illi, qui præſunt, rectè aliqua mala tolerant; ne aliqua bona impediantur, vel etiam ne aliqua mala pejora incurrantur: ſicut Auguſtinus dicit L. 2. de Ordine c. 4. Aufer meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus.* Ex quo infert S. Th. rectè Eccleſiam tolerare Infideles, quamvis in ſuis actibus peccent, & maximè Judæos, à quibus teſtimonium fidei noſtræ habemus.

VIII. Ex hac aſſertione ſequitur etiam, nullam legem ferri poſſe de re impoſſibili ſimpliciter, aut moraliter, hoc eſt, valdè difficili. Quia, ut aliquid cadat ſub lege, & ſit materia eius, debet cadere ſub libertate; ideſt, poſſibile eſſe, ut fiat, vel non fiat, ſicut præcipitur. Et in hoc lex humana imitari debet legem divinam, cujus præcepta impoſſibilia obſervatu non ſunt; ut contra Calvinum, & alios ſtatuit Concil. Trident. *Seſs. 6. Cap.* 11. & *Can.* 18. & Innocentius X. adversùs Janſenium. Unde S. Auguſt. (vel, ſi velis, Evodius) L de Fide contra Manichæos c. 10. *Quis* (inquit) *non clamat, ſtultum eſſe, præcepta dare ei, cui liberum non eſt, quod præcipitur, facere: & iniquum eſſe, eum damnare, cui non fuit poteſtas, juſſa complere?* Et L. de Nat. & Gratia c. 43. Auguſtinus concludit: *Non igitur Deus impoſſibilia jubet: ſed jubendo admonet, & facere, quod poſſis, & petere, quod non poſſis.*

Digitized by Google

poſſis. Quibus addit Trident. cit. cap. 11. *Et adjuvat, ut poſſis*.

IX. Secunda pars aſſerti, legem debere eſſe juſtam, ex parte Legiſlatoris, duplicem ſenſum facere poteſt. Unum; quòd, ut ſit juſta, ſupponere debeat in ferente illam, legitimam poteſtatem; alterum: quòd debeat in eo ſupponere intentionem rectam, eam ferendi, ob commune bonum. In hoc ergo ſecundo ſenſu aſſertio non procedit. Illa enim prava intentio Legiſlatoris eſſet merè perſonalis, nec redundaret in actum ferendi legem; ſi alioquin illa ad bonum commune ordinaretur: ſicut nec prava intentio Judicis officit ſententiæ, dummodo iſta non ſit contra juſtitiam: nec prava intentio miniſtri conferentis Sacramentum, ob malum finem, puta lucri, officit valori ejus; ſi tamen intendat facere, quod facit Eccleſia. Unde S. Auguſt. *l. 1. de Lib. arb. c. 5.* ait: *Siquidem ille, qui tulit, ſi Dei juſſu tulit, id eſt, quod præcepit æterna juſtitia, expers omnino libidinis id agere potuit. Si autem ille eum aliqua libidine hoc ſtatuit, non ex eo ſit, ut ei legi cum libidine obtemperari neceſſe ſit; quia bona lex & à non bono ferri poteſt*.

Procedit ergo aſſertum in priori ſenſu. Et probatur ex D. Thom. 2. 2. *q. 16. a. 1.* ubi ait: *Lex non imponitur ab aliquo domino, niſi ſuis ſubditis: & ideo præcepta legis præſupponunt ſubjectionem cujuslibet recipientis legem ad eum, qui dat legem*. Et meritò. Cùm enim actus legiſlativus ſit actus poteſtatis, & obligativus, exerceri non debet niſi in eum, qui tali poteſtati ſubjicitur, eique obedire tenetur.

X. Tertia verò aſſerti pars, quòd lex debeat eſſe juſta ex parte formæ, ſcilicet, quòd feratur ob bonum commune, & diſtribuantur onera, ordine proportionis ſervato; traditur à D. Th. hîc 1. 2. q. 96. a. 4. his verbis: *Dicuntur autem leges juſtæ, & ex fine, quando ſcilicet ordinantur ad bonum commune; & ex auctore, quando ſcilicet non excedit poteſtatem ferentis; & ex forma, quando ſcilicet ſecundùm æqualitatem proportionis imponuntur ſubditis onera in ordine ad bonum commune*. Et probat: cùm enim unus homo ſit pars multitudinis, quilibet homo hoc ipſum, quod eſt, & quod habet, eſt multitudinis; ſicut & quælibet pars id, quod eſt, eſt totius: unde natura aliquid detrimentum infert parti, ut ſalvet totum. Et ſecundùm hoc leges hujuſmodi onera proportionabiliter inferentes juſtæ ſunt, & obligant in foro conſcientiæ, & ſunt leges legales. Quemadmodum ergo anima imperat parti, ut aliquod incommodum ſubeat, propter bonum totius, proportionabiliter tamen ad actum ſuum: *Omnia* enim *membra non eumdem actum habent*; ut ait Paulus Rom. 12. *v.* 4. Ita qui præeſt in corpore politico, debet ſingulis præcipere proportionaliter ad ſtatum, vires, & conditionem ſuam. Quare ſubdit S. Doct. injuſtæ ſunt leges *ex forma; puta, cum inæqualiter onera multitudini diſpenſantur, etiamſi ordinentur ad bonum commune; & hujuſmodi magis ſunt violentiæ, quàm leges*; quia non ſervatur juſtitia diſtributiva, ut ſupra diximus.

§. II.

De Duratione Legis.

XI. Indicavimus ſupra, de ratione legis eſſe, ut ſit perpetua. Quia verò perpetuitas, alia eſt ex parte initii, quatenùs non habuit initium; & hâc certè non gaudet, niſi ſola lex æterna. Alia verò ex parte termini, quæ adhuc poteſt eſſe duplex: una ſimpliciter talis; quæ nunquam finem eſt habitura, quo pacto perpetua eſt anima rationalis, & Angelus: alia ſecundùm quid; qualis eſt diuturna temporis duratio, quatenus illud dicitur perpetuum, quod ex ſua natura habet eſſe firmum, permanens, & ſtabile, ut de ſe, vel ſemper, vel ſaltem per diuturnum tempus perſeveret. De hac ſecunda loquimur. Qui

tamen perpetuitatis modus, vel eſt negativus indefinitam habens durationem, niſi revocetur; quomodo ſuſpenſio dicitur perpetua negativè: vel poſitivus, quatenùs, vel naturâ ſuâ, vel expreſſione verborum ita fertur, ut ſemper duret, & revocetur nunquam: ſic depoſitio, & degradatio dicitur perpetua. His præmiſſis

XII. Dico. De ratione legis in communi eſt, quòd ſit ſtabilis, ac permanens, duret, & obliget ſaltem indefinitè, & quouſque non revocetur; ideoque aliquomodo eſt perpetua. Patet ex differentia, quam communiter juris periti adſtruunt inter præceptum, ſeu præſcriptum perſonale, & legem: quòd præceptum perſonale morte præcipientis expirat; lex verò per obitum Legiſlatoris non extinguitur. Et ratio eſt. Nam lex cùm feratur Communitati, & pro bono communi, videtur ferri à Principe nomine, & auctoritate Communitatis, & Reipublicæ; quæ cùm ſemper maneat, ideo & vigor legis, etiam mortuo Legiſlatore, perſeverat. At præceptum perſonale alicui ſingulari perſonæ præſcribitur à Principe, vel Superiore, qui curam ejus gerit, prout non tam commune, quàm bonum proprium illius perſonæ reſpicit: quæ cura cùm per mortem, vel mutationem Superioris deſinat, ideo deſinit etiam obligatio præcepti.

XIII. Hæc veritas etiam inductione probatur. Lex enim æterna cùm in mente divina exiſtat, perpetua eſt, ac immutabilis. Lex naturalis, quæ eſt participatio legis æternæ, perpetuò durat; ea enim, quæ præcipit, ſemper, ac neceſſariò ſunt bona; quæ verò prohibet, ſemper, ac neceſſariò mala. Lex divina vetus perpetua fuit, conſtanter obligandò pro eo tempore, pro quo lata fuit, ſcilicet uſque ad Chriſti adventum: lex verò nova duratura eſt uſque ad finem Mundi. Ergo etiam leges humanæ, quæ, quantùm poſſunt, imitari debent legem æternam, naturalem, & divinam, ex quibus deducuntur, debent ſuo modo perpetuitatem habere.

XIV. Si dicas. Lex vetus duravit ſolùm uſque ad adventum Chriſti: multæ itidem ſunt leges humanæ, quæ tractu temporis mutantur; ergo non ſunt perpetuæ, & maximè humanæ: cùm enim ferantur ab hominibus, qui mortales ſunt, quomodo poſſunt in perpetuum obligare?

XV. Reſpondeo, ex ſuperius notatis, perpetuitatem, quam affingimus legibus poſitivis, non eſſe poſitivam, ut ſemel latæ numquam mutari poſſint: ſed negativam, quatenus ſemper durent, donec contrariâ, vel conſuetudine, vel Principis voluntate, non revocentur. Sic lex vetus fuit perpetua pro eo ſtatu, pro quo lata fuit, donec ſuccederet ei lex Evangelica, ad quam præparabat. Leges etiam humanæ perpetuæ hoc modo ſunt, durant enim ſemper, donec revocentur. Homo autem eas condit, non nomine ſuo, ſed ſi ſint Eccleſiaſticæ, nomine, & auctoritate Chriſti, qui non moritur, & hanc poteſtatem contulit Eccleſiæ. Si verò ſunt civiles, auctoritate Reipublicæ, quæ ſuum jus tranſtulit in ſuos Gubernatores, ac Legiſlatores, hæc autem non moritur. Quare leges dicuntur quaſi fundamenta Reipublicæ, & quaſi vincula, quibus firma, & fixa in bono cohæret: unde Cicero *Orat. pro Cluentio*, nervos, ac ſanguinem Reipublicæ appellat; atque, quòd ſicut corpora noſtra ſinè ſanguine, & nervis ſubſiſtere nequeunt, ita nec Reſpublica ſinè legibus.

XVI. Triplici ergo reſpectu lex perpetuitatem ſibi vindicat. Primò, reſpectu finis, qui eſt bonum commune; hoc enim etiam Legiſlatore mortuo durat, exigitque firmitatem in legibus: alioquin ex legum humanarum ceſſatione, vel mutatione magnum detrimentum pateretur. Secundò, reſpectu eorum, quibus imponitur lex: non enim ſolos præſentes obligat, ſed etiam quotquot impoſterum erunt partes illius Communitatis. Tertiò, reſ-

pectu

Digitized by Google

pectu ipſius legis, quia ſemel lata, ſemper durat; donec, vel revocetur, vel materia ejus, aut cauſæ ita mutentur, ut juſtæ eſſe deſinant.

§. III.

De Legis Promulgatione.

XVII. Duo hìc quæremus. Unum: an ad obligationem legis neceſſaria ſit promulgatio. Alterum: an ſit de eſſentia Legis.

Dico primò. Ut lex obliget in actu ſecundo, aliqualis ejus promulgatio neceſſaria eſt. Ita communiter Theologi cum D. Tho. hâc *qu.* 90. *art.* 4. cujus iſta eſt ratio: *Lex imponitur aliis per modum regulæ, ac menſuræ* actuum humanorum: ſed *regula, & menſura imponitur per hoc, quòd applicatur his, quæ regulantur, & menſurantur; ergo ad hoc, ut lex virtutem obligandi obtineat, quod eſt proprium legis, oportet, quòd applicetur hominibus, qui ſecundùm eam regulari debent: Talis autem applicatio fit per hoc, quòd in notitiam eorum deducitur ex ipſa promulgatione; ergo promulgatio neceſſaria eſt ad hoc, ut lex habeat ſuam virtutem.* Aliàs, cùm voluntas non poſſit ferri in incognitum, ſequeretur, homines obligari ad impoſſibile, ſi tenerentur ſervare legem, antequam illis per promulgationem innoteſceret.

XVIII. Dixi, ad hoc ut lex in actu ſecundo obliget, neceſſariam eſſe *aliqualem* ejus promulgationem: quia pro omnibus legibus non requiritur æqualis promulgatio. Nam lex æterna, ut dicetur, promulgatur per quamdam impreſſionem luminis in intellectu. Lex naturalis, per hoc, quòd eam Deus mentibus hominum inſeruerit cognoſcendam, ut ait D. Tho. hìc *ad* 1. Lex divina poſitiva non eget promulgatione tàm ſolemni, quàm humanâ: aliquando enim promulgatur ſolâ internâ revelatione, ut multis Prophetarum contigit: aliquando ſolâ externâ propoſitione factâ à Deo ſinè aliquâ ſolemnitate, quomodo Chriſtus promulgavit legem ſuam Apoſtolis: aliquando per aliqua ſigna externa cum ſolemnitate quadam, quo modo promulgata fuit lex Moſaica in Monte Sina, & lex Evangelica in die Pentecoſtes. Lex tamen humana, ut in actu ſecundo obliget, debet ſemper promulgari per ſigna externa, & cum aliqua ſolemnitate; & ſic obtinuit uſus tam in Republica ſeculari, quàm Eccleſiaſtica.

Et ratio eſt. Nam Deus cùm ſit ſupremus Princeps, ac Dominus, poteſt modo, quo voluerit, legem ſuam intimare; & quocumque modo eis innoteſcat: tenentur homines obedire. at homo cùm gerat duplicem perſonam, publicam ſcilicet, & privatam, debet tali modo legem proponere; ut ex modo proponendi ſignificet, ſe loqui, ut Principem, & perſonam publicam nomine Reipublicæ, non ut perſonam particularem. De modo autem, quo hæc ſolemnis promulgatio fieri debeat, dicetur, cùm de lege humana ſermo erit.

XIX. Oppones. Ad revocationem legis non requiritur promulgatio; ergo neque ad ejus conſtitutionem.

Reſpondeo, vel negando ant. Dum enim lex non revocatur per ſolemnem revocationem, moraliter dicitur perſeverare in ſua primævâ promulgatione, & conſequenter in actu ſecundo obligare: ſicut valor monetæ, dum ſolemniter non revocatur, moraliter cenſetur manere. Vel dato antecedente, negari poteſt conſequ. Plura enim requiruntur ad conſtituendum, quàm ad deſtruendum: nam lex ceſſare poteſt ab obligatione, ſive per contrariam conſuetudinem, ſive per tacitum Reipublicæ conſenſum: conſtitui tamen non poteſt, ut obliget, niſi ſolemni promulgatione; cùm nemo obligetur ad id, quod ignorat.

XX. Advertò tamen cum D. Tho. hìc *ad* 2. non oportere promulgationem legis omnibus immediatè fieri: nam *illi, coram quibus lex non promul-*

Digitized by Google

mulgatur, *obligantur ad legem obſervandam; inquantùm ad eorum notitiam devenit per alios, vel devenire poteſt promulgatione factâ*. Eadem ratione etſi promulgatio fiat ſolùm ad præſentes; attamen *promulgatio præſens in futurum extenditur per firmitatem ſcriptura, qua quodammodo ſemper eam promulgat. Unde Iſidorus dicit in l. Etymologiarum* (c. 3. & l. 2. c. 10.) *Quòd lex à legendo vocata eſt, quia ſcripta eſt*. Ita S. Tho. hic *ad* 3.

XXI. Dico ſecundò. Probabilius cenſeo, promulgationem non eſſe de eſſentia legis, ſed conditionem eſſentialiter requiſitam, ut lex in actu ſecundo obliget ſubditos. Dico eſſe conditionem eſſentialiter requiſitam; ut diſtinguam à conditione requiſita ſolùm connaturaliter, qualis eſt applicatio ignis ad comburendum, quæ à Deo eſt ſupplebilis: ſed volo, eſſe conditionem eſſentialem, & inſupplebilem, qualis eſt propoſitio objecti per intellectum, ut objectum moveat voluntatem ad ſui amorem. Quemadmodum ergo ut objectum in actu ſecundo moveat voluntatem ad ſui amorem, requiritur quidem indiſpenſabiliter, ut ab intellectu voluntati proponatur, cùm nihil ſit volitum, quin ſit præcognitum; ratio tamen, ſeu vis movendi voluntatem, non eſt propoſitio, ſed bonitas in objecto reperta: ita ad hoc, ut lex in actu ſecundo obliget ad ſui obſervantiam, requiritur quidem indiſpenſabiliter, ut ſubditis promulgatione proponatur: ratio tamen, ſeu vis obligandi, non eſt ipſa promulgatio, ſeu propoſitio, ſed auctoritas, quam in ſe habet, prout emanat à Principe ut perſonam reipublicæ gerente.

XXII. Hanc opinionem judico veriorem. Primò. Quia conformior videtur menti S. Thomæ, qui hoc *art.* 4. legem comparat regulæ, ac menſuræ, dicens, quòd ſicut menſura, ut actu menſuret, debet applicari menſurabili; ita lex, ut actu obliget, debet promulgatione imponi ſubditis: ſed menſura eſtò in actu ſecudo non menſuret, nec menſurare poſſit, niſi applicetur menſurabili, puta panno; ratio tamen menſurandi, non eſt ipſa applicatio, ſed vis intrinſeca, ſeu longitudo, vel latitudo ipſius menſuræ; ergo eſtò lex in actu ſecundo obligare nequeat, niſi promulgatione ſubditis imponatur, vis tamen obligandi non eſt ipſa promulgatio. Et ratio mihi videtur eſſe: nam virtus obligandi eſt in lege, non quatenus reſpicit ſubditos, ſed quatenus eſt à Legislatore, à quo auctoritatem habet: ſed promulgatio unicè reſpicit ſubditos; ergo &c.

Itaque lex antequam promulgetur, prout eſt in pectore Legislatoris, & ab eo jam conſtituta, habet totam vim obligandi in actu primo, & proinde totam eſſentiam legis, antequam promulgetur; ut autem in actu ſecundo obliget, requirit promulgationem, tanquam conditionem: ſicut menſura, antequam applicetur menſurabili, habet vim menſurandi in actu primo, eſtò in actu ſecundo non menſuret, niſi menſurabili applicetur.

XXIII. Nec dicas, S. Thomam hoc *art.* 4. hæc habere: *Ad hoc, ut lex virtutem obligandi obtineat, quod eſt proprium legis, oportet, quòd applicetur hominibus, qui ſecundùm eam regulari debent*; ergo ante applicationem non habet virtutem obligandi. Deinde: in definitione legis ponit, quòd ſit *ab eo, qui curam Communitatis habet, promulgata*; ſentit ergo, promulgationem eſſe de eſſentia legis.

XXIV. Nam reſpondeo, S. Doctorem ſolùm velle, quòd, ut lex virtutem habeat obligandi in actu ſecundo, oporteat, quòd applicetur, quod nos concedimus; non verò ad hoc, ut habeat obligandi virtutem in actu primo; contrarium enim apparet in exemplo menſuræ ab ipſo ibi allato. Quòd verò in definitione legis apponat, quòd ſit promulgata, non arguit, eum velle, quòd promulgatio ſit de eſſentia legis; ſed ſolùm, quòd

ſit

Digitized by Google

ſit conditio indiſpenſabilis, ut lex in actu ſecundo obliget. Sicut in definitione fidei ponitur obſcuritas, & in definitione objecti voluntatis propoſitio intellectus; cùm tamen neutra ſit de eſſentia, ſed ſolùm conditio, intrinſeca tamen.

DUBIUM IV.

De Diverſitate, Effectibus, & Actibus Legis.

§. I.

Diviſiones Legis.

EXplicatâ eſſentiâ, & conditionibus ad naturam legis in communi requiſitis, ordo rectus poſtulat, ut legem in ſuas ſpecies dividamus: & hoc cum D. Tho. hâc 1. 2. *q.* 91.

I. Primò ergo dividitur lex in æternam, & temporalem: omnis enim lex vel in Deo eſt, vel extra Deum: ſi in Deo eſt, æterna eſſe debet; quidquid enim in Deo eſt, Deus eſt, & proinde æternum. Si verò ſit extra Deum, erit in creatura; quidquid enim extra Deum eſt, creatum eſt, & conſequenter temporale: cùm fides doceat, nihil creatum eſſe æternum.

II. Lex æterna deſcribitur à D. Tho. hâc *q.* 91. *a.* 1. quòd ſit: *Ratio gubernationis rerum in Deo, ſicut in Principe univerſitatis, exiſtens.* Vel ut ait infra q. 93. a. 1. *Lex æterna nihil aliud eſt, quàm ratio divinæ ſapientiæ, ſecundùm quòd eſt directiva omnium actuum, & motionum.* Divina enim ſapientia, *inquantùm per eam cuncta ſunt creata, rationem habet artis, vel exemplaris, vel ideæ:* ſed *ratio divinæ ſapientiæ moventis omnia ad debitum finem obtinet rationem legis* (inquit S. Doct. ibidem) ſed de hac agemus Qu. ſequenti.

III. Lex temporalis eſt, quæ vel à Deo, vel ab homine condita eſt in tempore; eſtque velut participatio legis æternæ in homines derivata: unde lex participata dicitur.

Lex temporalis dividitur in naturalem, & poſitivam. Naturalis, ait D. Tho. hâc *q.* 91. *a.* 2. eſt participatio legis æternæ in creatura rationali, per quam habet naturalem inclinationem ad debitum actum, & finem: *Unde cùm Pſalmiſta dixiſſet* (Pſal. 4.) Sacrificate ſacrificium juſtitiæ, *quaſi quibuſdam quærentibus, quæ ſunt juſtitiæ opera, ſubjungit:* Multi dicunt, quis oſtendit nobis bona? *Cui quæſtioni reſpondet, dicens:* Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine: *quaſi lumen rationis naturalis, quo diſcernimus, quid ſit bonum, & quid malum, quod pertinet ad naturalem legem, nihil aliud ſit, quàm impreſſio divini luminis in nobis. Unde patet, quòd lex naturalis nihil aliud eſt, quàm participatio legis æternæ in rationali creatura.* Hæc S. Tho. Quare deſcribi poteſt: ratio, ſeu lumen ordinans de licitis, & illicitis, de agendis, & non agendis in creatura rationali ab auctore naturæ impreſſum, & dictamine naturalis rationis velut promulgatore cuique intimatum.

Quibus indicatur, legem naturalem in ſolis creaturis rationalibus eſſe impreſſam. Nam, ut ait D. Tho. loco citato ad 3. *Etiam animalia irrationalia participant legem æternam ſuo modo, ſicut & rationalis creatura. Sed quia rationalis creatura participat eam intellectualiter, & rationaliter; ideo participatio legis æternæ in creatura rationali propriè lex vocatur: nam lex eſt aliquid rationis, ut ſupra dictum eſt. In creatura autem irrationali non participatur rationaliter: unde non poteſt dici lex, niſi per ſimilitudinem.* Sed de lege naturali dicetur infra.

IV. Lex poſitiva eſt, quæ ab aliquo poteſtatem legiſlativam habente poſita eſt (ideoque poſitiva dicitur) & non indita ſimul cum natura.

Rurſùs lex poſitiva dividitur in divinam, & humanam. Lex divina poſitiva

ſitiva eſt, quam Deus in tempore hominibus notificavit, poſuit, ac præſcripſit; idque, vel per miniſterium Angelorum, aut hominum. Hæc autem eſt duplex. Prima eſt lex veteris Teſtamenti, quam Deus per miniſterium Angelorum Moyſi, & per Moyſen populo Iſraelitico poſuit, ac præſcripſit. Altera eſt lex novi Teſtamenti, quam Chriſtus Dominus præſcripſit, & partim per ſeipſum, partim per Apoſtolos promulgavit.

V. Lex poſitiva humana eſt, quæ ab homine habente legislativam poteſtatem poſita eſt. Cùm autem hæc poteſtas ſit duplex, Eccleſiaſtica, & civilis, ſeu ſecularis; hinc lex humana, alia eſt Eccleſiaſtica, quæ fertur poteſtate Eccleſiaſticâ, vel Summorum Pontificum, vel Conciliorum: alia civilis, quæ fertur poteſtate ſeculari, ut Regum, & Imperatorum. Prima Jus Canonicum, altera Jus Civile appellatur. In quas autem partes utrumque Jus dividatur, Deo annuente, exponemus in *Tract. de Jure, & Juſtitia.*

VI. Petes tamen: Cur præter legem naturalem, quæ eſt à Deo indita, & humanam, ab homine poſitam, detur lex divina poſitiva?

Reſpondet D. Tho. hâc *q.* 91. *a.* 4. hoc fuiſſe neceſſarium propter quatuor rationes. Prima eſt altitudo ultimi finis, ad quem homo dirigendus eſt: *Et ſi quidem* (inquit S. Doct.) *homo ordinaretur tantùm ad finem, qui non excederet proportionem naturalis facultatis hominis, non oporteret, quòd homo haberet aliquid directivum ex parte rationis ſupra legem naturalem, & legem humanitùs poſitam, quæ ab ea derivatur. Sed quia homo ordinatur ad finem beatitudinis æternæ, quæ excedit proportionem naturalis facultatis humanæ, ut ſupra habitum eſt: ideo neceſſarium fuit, ut ſupra legem naturalem, & humanam, dirigeretur etiam ad ſuum finem lege divinitùs datâ.*

VII. Secunda ratio eſt: *Quia propter incertitudinem humani judicii, præcipuè de rebus contingentibus, & particularibus, contingit, de actibus humanis diverſorum eſſe diverſa judicia; ex quibus etiam diverſæ, & contrariæ leges procedunt. Ut ergo homo abſque omni dubitatione ſcire poſſit, quid ei ſit agendum, & quid vitandum; neceſſarium fuit, ut in actibus propriis dirigeretur per legem divinitùs datam, de qua conſtat, quòd non poteſt errare.* Quibus docemur, quòd cùm in materiis moralibus adſunt diverſæ contrariæ opiniones; non ad hominum judicia, & placita, ſed ad divinam legem recurrendum eſt, eaque ſincerè conſulenda.

VIII. Tertia ratio eſt: *Quia de his poteſt homo legem facere, de quibus poteſt judicare. Judicium autem hominis eſſe non poteſt de interioribus actibus, qui latent, ſed ſolùm de exterioribus motibus, qui apparent: & tamen ad perfectionem virtutis requiritur, quòd in utriſque actibus homo rectus exiſtat. Et ideo lex humana non potuit cohibere, & ordinare ſufficienter interiores actus, ſed neceſſarium fuit, quòd ad hoc ſuperveniret lex divina.*

IX. Quarta ratio ſumta ex Auguſt. *l.* 1. *de Lib. arb. c.* 5. *&* 6. talis eſt: *Lex humana non poteſt omnia, quæ malè fiunt, punire, vel prohibere; quia dum auferre vellet omnia mala, ſequeretur, quòd etiam multa bona tollerentur, & impediretur utilitas boni communis, quod eſt neceſſarium ad conſervationem humanam. Ut ergo nullum malum improhibitum, & impunitum remaneat, neceſſarium fuit ſupervenire legem divinam, per quam omnia peccata prohibentur.*

X. Has quatuor cauſas oſtendit S. D. contineri in eo verſiculo Pſalmi 18. *Lex Domini immaculata, convertens animas, teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans parvulis.* Quia namque eſt *immaculata*, nihil turpe relinquit, vel improhibitum, vel impunitum. Quia *convertit animas*, non ſolùm exteriores actus, ſed etiam interiores dirigit. Quia *fidele teſtimonium*,

certa,

certa, & infallibilis regula eſt. Quia *ſapientiam præſtans parvulis*, ordinat hominem ad ſupernaturalem finem, & divinum. Et propterea lex divina neceſſaria eſt creaturæ rationali, quæ ordinatur ad finem altiorem fine naturali; non verò creaturæ irrationali, quæ non ordinatur, niſi ad finem virtuti, & inclinationi ejus proportionatum, ut docet S. Thom. hoc *a.* 4. *ad* 3.

XI. Petes iterum: An præter aſſignatas legum ſpecies detur alia lex, quæ dicatur lex fomitis? Huic quæſito occaſionem dat S. Paulus *Rom.* 7. *v.* 23. dicens: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*.

XII. Dico cum D. Thom. hâc *q.* 91. *a.* 6. Lex fomitis in homine *non habet rationem legis, ſed magis eſt deviatio à lege rationis. Sed inquantùm per divinam juſtitiam homo deſtituitur originali juſtitia, & vigore rationis; ipſe impetus ſenſualitatis, qui eum ducit, habet rationem legis, inquantùm eſt pœnalis, & ex lege divina, conſequens hominem deſtitutum propria dignitate*. Ita expreſſis verbis S. Thom. Prior pars conſtat. Primò ex D. Paulo, qui legem fomitis vocat contrariam legi mentis, ideſt legi, quam Deus homini indidit in ſui conditione; vivendi, nempe, ſecundùm regulam rationis: lex autem contraria legi inditæ à Deo non eſt vera lex, ſed deviatio à lege; ideoque homo non tenetur eam ſequi, quod pertineret ad rationem legis, ſed potiùs contra eam ire. Secunda etiam pars conſtat. Quia rebellio fomitis contra rationem eſt homini permiſſa in pœnam peccati; ergo dici poteſt aliquomodo lex, ſeu effectus legis pœnalis. Ut enim ait D. Thom. citato *a.* 6. *ad* 1. fomes, ſecundùm quòd ſequitur ex divinæ legis juſtitiâ, rationem legis habet: *Tanquam ſi diceretur lex eſſe, quòd aliquis nobilis, propter ſuam culpam, ad ſervilia opera induci permitteretur*.

§. II.

Effectus Legis.

XIII. Dico. Proprius legis effectus eſt, homines facere bonos. Ita D. Thom. 1. 2. *q.* 92. *a.* 1. Et probat primò ex Philoſopho 1. *Ethic. c.* 14. dicente: Voluntas cujuslibet Legislatoris hæc eſt, ut faciat homines bonos: quod repetit 2. *Ethic. c.* 1. Secundò in *Corp art.* probat hoc diſcurſu. Quod inducit aliquos ad propriam ipſorum virtutem, facit illos bonos; quia virtus eſt, quæ bonum facit habentem: ſed proprius effectus legis eſt, facere bonos eos, quibus datur; ergo &c. Min. prob. Virtus ſubditi eſt, ut benè ſubdatur ei, à quo gubernatur; ſicut virtus iraſcibilis, & concupiſcibilis eſt, quòd ſint benè obedientes rationi: ſed ad hoc ordinatur lex, ut obediatur ei à ſubditis; ergo &c.

XIV. Quia verò legem facere homines bonos contingere poteſt dupliciter; vel ſimpliciter, vel ſecundùm quid: ideo non eſt mens D. Thomæ, quòd omnis lex faciat homines ſimpliciter, & abſolutè bonos, ideſt, in omni genere virtutum: hoc enim competit ſoli legi caritatis; quia caritas connexas habet omnes virtutes, & omne peccatum mortale excludit; & toti collectioni legum: nam ſi tota collectio legum ſervetur, homo fit ſimpliciter, & in omni materia virtutis obediens, & proinde etiam ſervat legem caritatis, quæ in ea collectione comprehenditur: ſed ſolùm, quòd de ratione legis ſit facere bonum ſecundùm aliquam veram rationem boni, & honeſtatis, etiamſi non ſecundum omnem virtutem, & honeſtatem. Unde lex temperantiæ facit bonum in materia temperantiæ; & lex de reddendo cuique, quod ſuum eſt, facit hominem bonum in materia juſtitiæ. Secundùm quid autem dicitur lex facere homines bonos, quando eos non facit bonos in virtu-

virtute aliqua, ſed in ordine ad finem intentum, etiamſi ſit per ſe malus: ſicut leges latronum faciunt bonos ſecundùm quid; quia faciunt bonos ad latrocinandum, ſeu bonos latrones. Sed hæc non eſſet vera lex, ſicut nec lex tyrannica. Nam, ut ait D. Thom. hìc q. 92. a. 1. ad 4. *Cùm non ſit ſecundùm rationem, non eſt ſimpliciter lex, ſed magis eſt quadam perverſitas legis. Et tamen inquantùm habet aliquid de ratione legis, intendit ad hoc, quòd Cives ſint boni. Non enim habet de ratione legis, niſi ſecundùm hoc, quod eſt dictamen alicujus præſidentis in ſubditis; & ad hoc tendit, ut ſubditi ſint benè obedientes: quod eſt eos eſſe bonos, non ſimpliciter, ſed in ordine ad tale regimen.*

XV. Itaque omnis etiam lex civilis, ſi ſit lex propriè dicta, debet ad hoc tendere, ut illi, quibus datur, fiant ſimpliciter boni viri: per unam quidem legem boni in materia unius virtutis; per aliam legem boni in materia alterius; per omnes verò leges boni in materia omnium. Sic enim exigit bonum commune, ad quod, ut diximus, lex ordinari debet; ſic vera Reipublicæ felicitas, quæ ſinè bonis moribus nequit conſiſtere: præcipuè ad hoc Legiſlator debet intendere, ut ſubditi benè ordinentur in Deum: *Omnis enim poteſtas à Deo eſt*, Rom. 13. ergo debet Deum imitari, qui omnia ad ſeipſum dirigit, & cà uti in ordine ad Deum, faciendo, ut ſubditi ſint boni viri, & Deo grati.

XVI. Quapropter turpiter errant Pſeudopolitici aliqui, qui dicunt, Principem, vel Magiſtratum civilem poſſe legem ferre cum detrimento Religionis, vel alterius virtutis moralis, pro tuenda pace reipublicæ. Tales enim leges veræ leges non ſunt, cùm non verè ordinentur ad bonum commune: & ſunt abuſus poteſtatis à Deo acceptæ, nempe, ad faciendos viros bonos. Quod ipſe Philoſophus naturali lumine ductus agnovit; dum *L. 7. Politic. c. 14.* ait: *Hoc utique erit legum poſitori intuendum, laborandumque, ut boni viri efficiantur, & per quæ exercitia, & quis finis optimæ vitæ.* Ac rursùm: *Ad cuncta igitur hæc aſpicere debet, qui legem ponit, ad partes animæ, & ad illarum actiones; magis autem ad ea, quæ meliora ſunt, & finis.*

§. III.

Actus Legis.

XVII. Dico. Actus legis ſunt quatuor: imperare, vetare, permittere, & punire. Ita S. Thom. hìc *q. 92. a. 2.* cujus ratio eſt. Quia legis officium eſt dirigere actus humanos: horum autem quidam ſunt ex genere ſuo boni, ut actus virtutum; & reſpectu horum actus legis eſt *imperare*: alii ex genere ſuo mali; & reſpectu horum actus legis eſt *vetare*, ſeu *prohibere*; quidam verò ſunt ex ſuo genere indifferentes; & reſpectu horum actus legis eſt *permittere*. Quia vero id, per quod inducit lex ad hoc, quòd ſibi obediatur, eſt timor pœnæ; & quantùm ad hoc ponitur legis actus *punire*. Noto tamen, hæc quatuor dici legis actus, non quia lex propriè eos eliciat, aut faciat: ſed partim quia à Principe, ſecundùm quòd habet poteſtatem legiſlativam, procedunt; partim quia ſunt officia ad legem pertinentia, & in lege contenta. Lex enim continet quarumdam actionum imperium, aliarum prohibitionem, & aliarum permiſſionem; & ordinat, puniendos eſſe eos, qui eam fuerint tranſgreſſi: qui proinde obligantur eam ſubire, ſi eis inferatur.

XVIII. Ponitur autem inter actus legis *punire*, non verò *præmiare*. Quia punire importat vim coactivam, quam non importat præmiare. Eàdem etiam ratione actus legis non eſt conſulere. Ut enim ait D. Thom. hìc ad 2. *Conſulere non eſt proprius actus legis, ſed poteſt pertinere etiam ad perſonam privatam, cujus non eſt condere legem.* Et ad 3. *Etiam* (inquit) *præmiare poteſt ad* quom-

quemlibet pertinere : ſed punire non pertinet , niſi ad miniſtrum legis , cujus auctoritate pœna infertur .

XIX. Ex his intelligi poteſt , omnem legem includere ſemper aliquam vim obligativam , ſeu præceptivam , etiam dum permittit . Etenim ſi permittat rem indifferentem , decernendo , debere cuique liberum eſſe illam facere ; obligat alios , ne eum , qui rem hanc facere voluerit , impediant : & ſimiliter ſi expreſsè permittat actum ex ſe bonum , dicendo: puta, ut vir fortis petat præmium ; etſi non obliget ipſum , ut præmium petat , obligat tamen , ne impediatur , caſu , quo petierit : Si verò permittat aliquod malum , in quo vel Legiſlator humanus non poteſt diſpenſare , vel ſi poteſt , non diſpenſat ; obligat judicem , ne propter illud puniat eum , qui tale malum fecerit . Licèt enim ſimiles actus in ordine ad finem legis naturalis , qui eſt ordo rationis , peſſimi ſint ; & ideo ab ea non permittantur , ſed prohibeantur : tamen in ordine ad finem legis civilis , qui eſt bonum temporale Reipublicæ, indifferentes ſunt , ideſt minus mali . Nam , ut ait D. Thom. hìc : *Poſſunt etiam indifferentes diei omnes illi actus , qui ſunt , vel parum boni , vel parum mali* . Parum boni , ut quibus ineſt minor bonitas , quàm eorum oppoſitis ; cujuſmodi ſunt tertiæ , & quartæ nuptiæ , quæ permittuntur , *Roman.* 7. 1. *Cor.* 7. & *Can.* 8. Concilii Nicæni . Parum mali , ex quibus , tametſi malis , non magna oritur injuria , vel abſurditas , comparatione eorum , ad quæ vitanda permittuntur : ſicut eſt ſimplex fornicatio , dum ad evitanda adulteria , vel majores adhuc turpitudines per humanas leges permittitur , ideſt , non punitur .

XX. Advertendum tamen cenſeo : prædictos quatuor legis actus non convenire omni legi , ſi fiat diſtributio pro ſingulis generum ; ita ut quælibet ſingularis lex omnes hos quatuor actus exerceat . Clarum enim eſt , non omnem legem in ſingulari imperare , permittere , prohibere , & punire , ſeu punitionem infligendam decernere; quamvis omnis lex aliquid iſtorum faciat . Sed æque certum eſt , quòd ſi fiat diſtributio pro generibus ſingulorum , cujuſvis generis legi omnia iſta conveniunt . Nam in genere legis naturalis datur aliqua lex , quæ præcipiat , aliqua , quæ prohibeat , aliqua , quæ permittat , aliqua quæ pœnas decernat . Idem in generè legis poſitivæ , ſive divinæ , ſive humanæ , ſive eccleſiaſticæ , ſive civilis , ut conſideranti patebit .

XXI. Solùm difficultas eſſe poteſt de lege naturali , quomodo dici poſſit aliqua permittere : cùm enim ſit participatio legis æternæ , nec peccata venialia , quæ mala ſunt minima , permittere poteſt . — Sed tollitur hæc difficultas , obſervando , non eſſe de ratione cujuslibet legis determinatè permittere actus malos moraliter ; ſed vel actus , qui licèt ſint boni , ſunt tamen minùs boni ; vel eſtò ſint mali , ſunt parum mali comparatè ad majus bonum , vel majus malum . Quare D. Thomas hìc tales actus vocat indifferentes , dicens : *Poſſunt etiam indifferentes diei omnes illi actus , qui ſunt , vel parum boni , vel parum mali* . Eſtò autem lex naturalis non permittat actus , vel leviter malos moraliter ; permittit tamen actus , vel minùs malos phyſicè , ob majus bonum phyſicum , ſicut ſciſſionem pedis , vel manus , ob tuendam vitam totius : vel minus bonum , ſicut permittit fieri rerum diviſionem , dominia acquirere , & ſervitutem in genus humanum inducere .

QUÆSTIO II.

De Lege Æterna.

EXplicatâ naturâ, & diviſionibus legis in communi, ad ſingulas ejus ſpecies deſcendendum eſt; inter quas meritò principem locum tenet lex æterna. De hac ergo cum D. Thom. hâc *qu.* 93. an ſit, quid ſit, an omnes aliæ leges ab ea deriventur, & an omnia ab ea dirigantur, eique ſubjiciantur, ſermo erit.

DUBIUM I.

An ſit, & quid ſit Lex Æterna?

§. I.

Aliqua Prænotantur.

I. NOto primò: rationem divinam practicam, in qua maximè lex divina ſtatuitur, ſub alia ratione dici legem æternam, ſub alia ſupremam artem, & ſub alia ideam. Quatenus enim omnia per ipſam ſunt creata, habet rationem artis; quatenus eſt forma, & ſimilitudo rerum agendarum, habet rationem ideæ, ſeu exemplaris: quatenus autem eſt ratio gubernationis omnium rerum in ſupremo Gubernatore exiſtens, movens, & dirigens omnia ad debitum finem, obtinet rationem legis æternæ.

II. Noto ſecundò: quòd eſtò divina æterna lex conveniat cum divina providentiâ in hoc, quòd utraque ſit ratio ordinans quaslibet res in ſuos debitos fines; tamen æterna lex videtur diſtingui à providentia divinâ in multis. Primò quidem: quòd lex æterna reſpicit per ſe primò bonum commune Univerſi; providentia bonum particulare cujuſcumque creaturæ. Secundò: lex eterna dicit in ſua ratione vim obligandi; providentia nullam obligationem infert. Tertiò: providentia comparatur ad legem æternam, ſicut concluſio particularis ad principium univerſale, & ſicut conſequens ad antecedens. Unde S. Tho. Q. 5. de Verit. art. 1. ad 6. *Providentia* (inquit) *in Deo propriè non nominat legem æternam, ſed aliquid ad legem æternam conſequens. Lex enim æterna eſt conſideranda in Deo; ſicut accipiuntur in nobis principia operabilium naturaliter nota, ex quibus procedimus in conſiliando, & eligendo, quod eſt prudentia, ſive providentia. Unde hoc modo ſe habet lex intellectus noſtri ad prudentiam, ſicut principium in demonſtratione: & ſimiliter etiam in Deo lex æterna non eſt providentia, ſed providentiæ quaſi principium.* Ita S. Thom. Quemadmodum ergo lex poſitiva divina tradit regulas in generali, puta, colendum eſſe Deum, parentes honorandos &c. juxta quas regulas prudentia colligit, quid hîc, & nunc ſit operandum: ita lex æterna in Deo tradit generales regulas gubernationis Univerſi v. g. lapidem deorſum, ignem ſurſum moveri, bonum eſſe ſectandum, malum vitandum; juxta quas regulas providentia de motibus creaturarum in particulari diſponit. Et ideo providentia legem æternam habet pro principio.

III. Noto tertiò: legem æternam diſtingui à temporali. Primò: quòd lex æterna non eſt lex lata, ſed ferens, non impreſſa, ſed imprimens; non participatio legis alicujus, ſed origo, & fons omnium aliarum, quæ ab ea derivantur, ut dicemus. Secundò: lex æterna eſt incommutabilis, cæteræ vero leges variabiles ſunt. Quare S. Auguſt. *lib. de vera Relig. cap.* 17. probat, unum eſſe Deum veteris, & novi Teſtamenti, unamque in eo æternam legem, & providentiam exemplo medicinæ. *Ut enim* (inquit) *ars medicina cùm eadem maneat, neque ullo pacto ipſa mutetur; mutat tamen præcepta languentibus, quia mutabilis eſt noſtra valetudo: ita divina providentia, cùm ſit ipſa omnino in-*

commu-

commutabilis, mutabili tamen creaturæ variè ſubvenit; & pro diverſitate morborum aliis alia jubet, aut vetat: ut à vitio, unde mors incipit, & ab ipſa morte ad naturam ſuam, & eſſentiam, ea, quæ deficiunt, ideſt, ad nihilum tendunt, reducat, & firmet. Et *l. 1. de Lib. arb. c. 6.* Idem S. Auguſtinus quærit: *Cùm ergo ſit una lex, ex qua illæ omnes temporales ad homines regendos variantur, num ideo ipſa variari ullo modo poteſt?* Reſpondet Evodius: *Intelligo omnino non poſſe.* Tertiò denique diſtinguitur lex æterna à temporali, quòd huic ſubjiciuntur tantùm homines mortales, & adhuc miſeri; illi verò etiam beati, & Deo fruentes. Ita reſpondet Evodius Auguſtino citato *l. 1. de lib. Arb. c. 15.* dicens: *Beatos illos ob amorem ipſorum æternorum ſub æterna lege agere exiſtimo; miſeris verò temporalis imponitur.* His igitur prænotatis.

§. II.

Reſolutio Prior.

IV. Dico primò. Admittenda eſt in Deo æterna Dei lex, quâ ſcilicet Deus ordinat ab æterno, quæ à rationali creatura facienda ſint, quæve cavenda. Ita S. Tho. hîc 1. 2. *q. 91. a. 1.* & cum eo Theologi omnes. Probat S. Doctor ſic: Lex nihil aliud eſt, quam dictamen practicæ rationis in Principe, qui gubernat aliquam Communitatem perfectam: ſed Deus eſt ſummus Princeps gubernans, & regens totam univerſitatem rerum; ergo in Deo debet eſſe ratio rerum gubernandarum, & conſequenter lex. Sed divina ratio nihil concipit in tempore, ſed habet æternum conceptum, ut dicitur *Proverb.* 8. ergo hujuſmodi lex in Deo exiſtens æterna eſt.

V. Confirmatur. In Deo datur providentia; ergo etiam datur lex. Conſ. prob. Providentia ex ſupra dictis cum D. Thom. comparatur ad legem ſicut concluſio particularis ad generale principium; quia ex generalibus regulis, quas tradit lex, providentia deducit quid in caſibus particularibus faciendum ſit: ſed in eo, in quo ponitur concluſio, debet poni principium, ex quo concluſio infertur: qui enim caret primis principiis, ſive ſpeculabilibus, ſive practicis, caret etiam concluſionibus, ſeu notitiâ earum; ergo ſi in Deo eſt providentia, erit etiam lex.

VI. Secundò probatur diſcurſu Sancti Auguſtini *l. 1. de Libero arb. c. 6.* Plurimæ ſunt leges temporales invicem contrariæ, quarum una concedit, quod alia negat, & omnes juſtæ ſunt; ergo hoc ideo eſt, quia eſtò invicem diſcordent, conveniunt tamen in una ratione, ſeu lege ſuperiori, ex cujus conformitate juſtæ ſunt. Afferamus S. Doctoris verba: *Cùm ergo duæ iſtæ leges ita ſibi videantur eſſe contrariæ; ut una earum bonorum dandorum populo tribuat poteſtatem, auferat altera... num dicemus, aliquam earum injuſtam eſſe, & ferri minimè debuiſſe?* Reſpondet Evodius: *Nullo modo.* At unde hoc: niſi quia ambæ in una ſuperiori lege, quæ juſta ſit, conveniunt?

VII. Legem æternam agnoviſſe, viſus eſt Tullius *l. 2. de Legibus.* ubi hæc habet: *Hanc video ſapientiſſimorum fuiſſe ſententiam: legem neque hominum ingeniis excogitatam, neque ſcitum aliquod eſſe populorum; ſed æternum quiddam, quod univerſum Mundum regeret, imperandi, prohibendique ſapientiâ. Ita principem legem illam, & ultimam mentem dicebant eſſe omnia ratione, aut cogentis, aut vetantis Dei, ex qua illa lex, quàm Dii humano generi dederunt, rectè eſt laudata.* His Tullius ſuam, & veterum Gentilium Philoſophorum promit ſententiam: in hoc tamen errans, quòd, Stoica ſequens placita, putat, Deum præcipere, idem eſſe, ac cogere.

§. III.

Digitized by Google

§. III.

Reſolvitur poſterior Pars.

VIII. **D**Ico ſecundò. Lex æterna benè definitur à D. Thom. *q.* 93. *a.* 1. quòd ſit: *Ratio divina ſapientiæ, ſecundùm quòd eſt directiva omnium actuum, & motionum creatarum in ordine ad bonum commune totius Univerſi*. Ubi ly *directiva* ſignificat directionem cum quadam neceſſitate, vel obligatione. Lex enim, ut ſupra docuerat *qu.* 90. *a.* 1. à *ligando* dicitur. Et hìc in arg. *ſed contra* ex Auguſt. lib. 1. de Libero arb. c. 6. *Lex æterna* (inquit) *eſt ſumma ratio, cui ſemper obtemperandum eſt*. Cui conformiter idem S. Auguſt. *lib.* 22. *contrà Fauſt. cap.* 27. ait: *Lex æterna eſt ratio divina, vel voluntas Dei ordinem naturalem conſervari jubens, perturbari vetans*. Ex quibus conſtat, legem æternam importare verum præceptum relatè ad eos, qui legis, vel præcepti ſunt capaces, ut ſunt creaturæ rationales: quamvis relatè ad creaturas irrationales præcepti, & legis incapaces, non importet præceptum, ſed neceſſitatem quamdam, juxta unjuſcujuſque earum naturam. Conſtat etiam differentia legis æternæ à divina arte, ideâ, & providentiâ, ut ſuperiùs dictum eſt.

IX. Poteſt etiam probari bonitas præfatæ definitionis hoc diſcurſu. Lex æterna, formaliſſimè loquendo, conſiſtit in hoc, quòd ſit ſumma regula, & menſura exiſtens in Deo, quâ omnia Deo ſubjecta, eorumque actus menſurentur, diriganturque ad bonum commune: hoc autem præfatâ definitione optimè exprimitur, ut oſtenſum eſt; ergo &c.

§. IV.

An Lex Æterna ſit verè, & propriè Lex?

X. **H**Uic quæſito occaſionem dant aliqui, inter quos Vazquez, aliique Recentiores; volentes, legem æternam non eſſe verè, & propriè legem, ſed ſolùm metaphoricè, & analogicè.

Dico tamen tertiò. Lex æterna eſt verè, & propriè lex. Hanc eſſe mentem, nedum S. Thomæ, ſed & S. Auguſtini citatis locis maximè ex *l.* 1. *de Lib. arb.* conſtat. Quia lex æterna eſt illa, ex cujus participatione omnes aliæ dicuntur leges: unde eſt omnium aliarum legum menſura, regula, & exemplar; ergo lex æterna non eſt lex per denominationem, & analogiam ad leges temporales; ſed leges temporales ſunt leges per denominationem à lege æterna, ut à regula, & menſura earum; ergo ſi leges temporales ſunt verè leges, multò magis lex æterna.

XI. Præterea: lex æterna habet quidquid ad rationem veræ legis neceſſarium eſt: eſt enim ratio in ſummo Principe exiſtens ordinans actus, & motiones totius univerſitatis rerum ad bonum commune: hanc autem eſſe veræ legis notionem jam dictum eſt.

XII. Sed dices primò. Legi æternæ deeſſe promulgationem, cum ab æterno creaturæ non fuerint, quibus promulgaretur: de ratione autem veræ legis eſt promulgatio.

XIII. Reſpondeo primò ex dictis, promulgationem non eſſe eſſentiam legis, ſed conditionem, ut in actu ſecundo obliget: unde ex quo ab æterno non fuerint creaturæ, quibus promulgaretur; ſolùm ſequitur, quòd lex æterna ab æterno in actu ſecundo neminem obligaret, non ex defectu virtutis, ſed ex defectu termini: ſicut ab æterno in Deo fuit imperium, quamvis pro æterno nemini imperaret ex-

tra

tra ſe. Sicut ergo ab æterno fuit imperium, non pro æterno, ſed pro tempore implendum: ita ab æterno fuit lex in mente Dei concepta, quamvis pro æterno non promulganda, nec implenda, nec in actu ſecundo obligans. Quare lex conſiderari poteſt, vel quatenùs derivatur à *legendo*, ſeu *eligendo*: & hoc modo ab æterno eſt; quia hoc modo in mente Dei ſtatuta, & electa legebatur, & quaſi manifeſtabatur. Alio modo, ut derivatur à *ligando*: & hoc modo lex conſiderari poteſt, vel ex parte Dei ligantis, & obligantis; & hoc modo æterna eſt: nam ab æterno habuit vim obligandi. Vel ex parte creaturæ per legem ligatæ, vel obligatæ: & hoc modo cùm ab æterno non fuerit creatura, quam obligaret, & cui applicaretur, ab æterno actu non obligavit: fuit tamen ab æterno lex; quia ad rationem legis ſatis eſt, ut vim habeat obligandi, quamvis nondum ligat, quia nondum applicata, & promulgata.

XIV. Reſpondeo ſecundò cum D.Th. *q.* 91. *a.* 1. *ad* 2. negando ant. Nam *promulgatio fit, & verbo, & ſcripto: Et utroque modo lex æterna habet promulgationem ex parte Dei promulgantis: quia, & Verbum Divinum eſt æternum, & ſcriptura libri vitæ eſt æterna. Sed ex parte creaturæ audientis, aut inſpicientis non poteſt eſſe promulgatio æterna.*

XV. Nec ſequitur, quòd ſolus Pater æternus legem æternam tulerit, ac promulgaverit, cùm ipſe ſolus Verbum æternum dixerit. Nam ſicut licèt omnia per Verbum facta ſint, & ſolus Pater Verbum produxerit; non ideo dicuntur omnia facta à Patre, ut Perſonâ ab aliis diſtinctâ, quia non omnia facta ſunt per Verbum ſecundùm ſibi propria, & perſonalia, ſed ſecundùm eſſentialia, & communia: ita licèt lex æterna fuerit promulgata à Patre per Verbum, & ſolus Pater ſit principium Verbi, ſed tamen non fuit ſecundùm perſonalia, ſed communia, nempe, ut Legislator. Si tamen per appropriationem loquamur, lex æterna non ſolùm à Patre dici poteſt lata, & promulgata, ſed etiam à Filio, & Spiritu Sancto; cùm ad legem tria concurrant: auctoritas, veritas, & bonitas. Ratione auctoritatis poteſt appropriari Patri; ratione veritatis, quia lex non fertur niſi recta ratione, poteſt appropriari Verbo, qui ſapientia, & veritas eſt: ratione verò bonitatis, quia lex non eſt niſi ad bonum, appropriari poteſt Spiritui Sancto, qui bonitas eſt.

XVI. Super hoc audiendus eſt Divus Thomas hâc *q.* 93. *a.* 1. *ad* 2. dicens: *Circa verbum quodcumque duo poſſunt conſiderari, ſcilicet, ipſum verbum, & ea, quæ verbo exprimuntur. Verbum enim vocale eſt quiddam ab ore hominis prolatum; ſed hoc verbo exprimuntur, quæ verbis humanis ſignificantur. Et eadem ratio eſt de verbo hominis mentali, quod nihil eſt aliud, quàm quiddam mente conceptum, quo homo exprimit mentaliter ea, de quibus cogitat. Sic igitur in divinis ipſum Verbum, quod eſt conceptio paterni intellectus, perſonaliter dicitur: ſed omnia quæcumque ſunt in ſcientia Patris, ſive eſſentialia, ſive perſonalia, ſive etiam Dei opera, exprimuntur hoc Verbo, ut patet per Auguſt. 15. de Trin. c. 14. & inter cætera, quæ hoc Verbo exprimuntur, etiam ipſa lex æterna Verbo ipſo exprimitur. Nec tamen propter hoc ſequitur, quòd lex æterna perſonaliter in divinis dicatur; appropriatur tamen Filio propter convenientiam, quam habet ratio ad verbum.*

XVII. Dices ſecundò. Lex æterna nihil aliud eſt, quàm ideæ rerum in mente divina exiſtentes: ſed ideæ non habet propriè rationem legis; ergo &c. Maj. prob. ut docet D. Tho. hâc *q.* 93. *a.* 1. lex æterna eſt ratio gubernationis rerum in Deo: ſed ratio gubernationis rerum in Deo eſt idea, ut docet idem S. D. 1. *p.* *q.* 15. ergo &c.

XVIII. Reſpondeo, neg. maj. Jam enim ſuperiùs ex D. Tho. oſtendimus, quantùm differant lex æterna, & ideæ

deæ in Deo. Quibus addo ea, quæ habet S.D. hâc *q.* 93. *a.* 1. *ad* 1. ut oſtendat, quòd etſi, ut docet Auguſt. *l.* 83. *Quæſt. q.* 45. rationes rerum in Deo ſint plures; ſingula enim fecit Deus *propriis rationibus:* una tamen ſit lex æterna, reſpondet: *Quòd Auguſtinus loquitur ibi de rationibus idealibus, quæ reſpiciunt proprias naturas ſingularum rerum: & ideo in eis invenitur quadam diſtinctio, & pluralitas ſecundùm diverſos reſpectus ad res; ut in* 1. *p. q.* 15. *a.* 2. *&* 3. *habitum eſt. Sed lex dicitur directiva actuum in ordine ad bonum commune; ut ſupra dictum eſt* (q. 90. a. 2.) *Ea autem, quæ ſunt in ſeipſis diverſa, conſiderantur ut unum, ſecundùm quòd ordinantur ad aliquid commune: & ideo lex æterna eſt una, quæ eſt ratio hujus ordinis.* Quibus patet, diverſitatem æternæ legis ab ideis divinis conſiſtere etiam in hoc, quòd iſtæ cùm dicantur per reſpectum ad ſpecies, & ſingulas naturas rerum, quæ imitationes Dei ſunt, aliquomodo ſaltem ratione diſtinguuntur, & plurificantur: lex autem æterna non ſic dicitur per reſpectum ad res particulares, ut invicem propriis rationibus diſtinctas, ſed ut omnes reſpiciunt commune bonum; & ideo una eſt.

Neque verum eſt, quòd D. Thom. 1. *p. q.* 15. dicat, ideam eſſe rationem gubernationis rerum. Dicit quidem, quod idea ſit ratio exiſtens in Deo, at non ratio rei gubernandæ, ſed rei faciendæ; ſive ratio, ad cujus ſimilitudinem res facienda eſt. Unde ratio ideæ in Deo præſupponitur ad legem æternam: priùs enim concipitur ratio faciendi rem, quàm ratio eam jam factam gubernandi: ſicut in re creata priùs ſupponitur creatio, quàm ejuſdem gubernatio.

*****

DUBIUM II.

An omnis Lex derivetur à Lege Æterna?

§. I.

Reſolutio Dubii.

I. DIco. Omnes leges juſtæ, & propriè dictæ a lege æterna derivantur. Ita communiter ex D. Thom. hâc *q.* 93. *a.* 3. Probatur primò ex Scriptura. Proverb. 8. v. 15. & 16. *Per me Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt. Per me Principes imperant, & potentes decernunt juſtitiam.* Quare Chriſtus Jo. 19. v. 11. Pilato: *Non haberes* (inquit) *poteſtatem adverſùm me ullam, niſi tibi datum eſſet deſuper.* Et Paulus Rom. 13. *v.* 1. ait: *Non eſt poteſtas niſi à Deo..... Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.*

II. Hoc idem ſentit S. Auguſt. Tùm *l.* 1. *de Lib. arb. c.* 6. ubi Evodium alloquens: *Simul* (inquit) *etiam te videre arbitror in illa temporali* (lege) *nihil eſſe juſtum, atque legitimum, quod non ex hac æterna ſibi homines derivarint.* Tùm *l. de vera Religione c.* 31. ubi ait: *Conditor tamen legum temporalium, ſi vir bonus eſt, & ſapiens, illam ipſam conſulit æternam, de qua nulli animæ judicare datum eſt: ut ſecundùm ejus incommutabiles regulas, quid ſit pro tempore jubendum, vetandumque diſcernat.* Et Q. 67. *in Exodum.* quærens, quomodo Moyſes dicere potuerit Jethro Socero ſuo *Exod.* 18. *v.* 16. quòd judicaret populum, & oſtenderet ei præcepta Dei, & leges ejus; *cùm lex Dei adhuc nulla conſcripta eſſet;* ait, hoc non potuiſſe dicere: *Niſi quia lex Dei ſempiterna eſt, quam conſulunt omnes piæ mentes; ut quod in ea invenerint, vel faciant, vel jubeant, vel vetent, ſecundùm quòd illa incommutabili veritate præceperit.* Ex quibus verbis non eſt colligendum, quòd

quòd omnes, vel benè agentes, vel legem aliquam ferentes conſulant legem æternam in ſeipſam, ſeu prout in Deo eſt: hoc enim docet D. Thom. hâc *q.* 93. *a.* 2. homini eſſe impoſſibile in hac vitâ; ſed in aliqua ejus irradiatione, vel participatione: *Omnis enim* (inquit S. Thom.) *cognitio veritatis eſt quædam irradiatio, & participatio legis æternæ, quæ eſt veritas incommutabilis, ut Aug. dicit in lib. de vera Relig. c.* 31. *Veritatem autem omnes aliqualiter cognoſcunt, ad minus quantùm ad principia communia legis naturalis: in aliis verò quidam plus, & quidam minus participant de cognitione veritatis; & ſecundùm hoc etiam plus, vel minus cognoſcunt legem æternam.* Hæc D. Thom. laudato loco.

III. Hanc veritatem probat S. Th. hoc *a.* 3. hoc diſcurſu. In omnibus moventibus ordinatis virtus ſecundi moventis derivatur à virtute primi moventis: atqui lex æterna eſt primum movens in genere legum, cùm ſit ratio gubernationis in ſupremo Gubernante movens, & dirigens omnes actus, & motiones ad debitum finem: omnes autem cæteræ leges dirigunt, ac movent tanquam ſecunda moventia; ergo omnes aliæ leges derivantur à lege æterna. Majorem probat. Quia *Movens ſecundum non movet, niſi inquantùm movetur à primò. Unde in omnibus gubernantibus idem videmus, quòd ratio gubernationis à primo gubernante ad ſecundos derivatur; ſicut ratio eorum, quæ ſunt agenda in civitate derivatur à Rege per præceptum in inferiores adminiſtratores: & in artificialibus etiam ratio artificialium actuum derivatur ab architectore ad inferiores artifices, qui manu operantur.*

IV. Probatur ſecundò. Lex æterna eſt lex per eſſentiam, omnes autem aliæ ſunt leges per participationem; ſed omne, quod eſt tale per participationem, derivatur ab eo, quod eſt tale per eſſentiam: ſicut omnia entia per participationem derivantur à Deo, qui eſt ens per eſſentiam; ergo omnes leges à lege æternâ derivantur.

V. Tribus autem modis leges derivantur à lege æternâ. Primò, ut à cauſa exemplari; cùm, ut diximus ex S. Aug. nulla lex ſit juſta, niſi imitetur æternam, eique conformetur. Secundò, ut ab efficiente; quatenus omnis poteſtas inferiorum Legiſlatorum datur illis per legem æternam. Unde D. Auguſt. l. 5. de Civit. Dei c. 21. *Non tribuamus* (inquit) *dandi Regni, Imperiique poteſtatem, niſi Deo vero, qui dat felicitatem Regni Cœlorum piis; Regnum verò terrenum, & piis, & impiis, ſicut ei placet, cui nihil injuſtè placet.* Quare paulò infra ait: *Qui* dedit *Mario, ipſe & Cajo Cæſari: qui Auguſto, ipſe & Neroni: qui Veſpaſianis, vel Patri, vel filio, ſuaviſſimis Imperatoribus, ipſe & Diocletiano crudeliſſimo, & ne per ſingulos ire neceſſe ſit: Qui Conſtantino Chriſtiano, ipſe & Apoſtata Juliano.* Et concludit: *Hæc planè Deus unus, & verus regit, & gubernat, ut placet; etſi occultis cauſis, numquid injuſtis?* Tertiò, inquantùm lex æterna medio lumine rationis naturali, vel fidei præcipit, vel approbat, ut aliquæ leges fiant, eæque pro diverſitate temporum, locorum, & perſonarum tales, vel tales.

§. II.

Solvuntur quæ obſtare videntur.

VI. Objici poteſt primò. Lex naturalis derivari non poteſt à lege æternâ: nam præveniendo omnem Dei ordinationem, & omne ipſius liberum decretum, mendacium, furtum, aliaque ejuſmodi per ſe mala, adhuc eſſent peccata, & hoc ideo, quia ſunt contra legem naturalem; ergo lex naturalis non derivatur, ſed prior eſt lege æternâ, quæ includit Dei decretum.

VII. Reſpondeo, neg. ant. ad prob. diſt. ant. Sunt per ſe mala materialiter, & fundamentaliter, co. ant. Formaliter, nego ant. Objectum igitur

legis naturalis, puta Deus eſt colendus, mendacium, furtum &c. ſunt illicita, & per ſe mala, ſi ſumantur, ut dicunt convenientiam, vel diſconvenientiam extremorum præſcindentem ab exiſtentia, ſive ſecundùm eſſentiam; hoc modo ſunt fundamentum legis naturalis, & præveniunt omnem actum intellectus, & voluntatis etiam divinæ: imò talis natura, & habitudo terminorum adhuc eſſet, ſi in Deo nullus eſſet, aut eſſe poſſet per impoſſibile, actus intellectus, & voluntatis: & hoc modo non derivantur formaliter à lege æternâ, ſed eam antecedunt; ſicut etiam legem naturalem tanquam fundamentum utriuſque. Si verò ſumantur, ut talis eorum convenientia, vel diſconvenientia formaliter ſubeſt judicio rationis naturalis dictantis practicè, ea eſſe, vel facienda, vel vitanda; in hoc ſenſu pertinent formaliter ad legem naturalem. Sed ratio non format hoc judicium, niſi quia hoc judicium formatum eſt per legem æternam à Deo, & impreſſum rationi humanæ: ideoque judicium in homine huic judicio conforme dicitur lex naturalis derivata, & impreſſa à lege æternâ.

VIII. Objici poteſt ſecundò. Si lex humana derivaretur ab æterna, ab ea participaret vim obligandi, & per conſequens obligaret de jure divino: ideo enim ſive lex naturalis, ſive lex poſitiva divina obligat de jure divino, quia eſt participatio legis æternæ: ſed hoc non debet admitti; ergo &c.

IX. Reſpondeo, diſt. maj. Participaret mediatè, co. maj. Immediatè, nego maj. Lex ergo naturalis, & divina poſitiva ideo obligant de jure divino, non quia præcisè legis æternæ participationes ſunt; ſed quia habent Deum immediatum auctorem: lex quidem naturalis Deum immediatè animæ rationalis conditorem, & luminis rationalis impreſſorem: lex autem poſitiva divina Deum habet immediatum ſui conſtitutorem, & editorem, nullâ alterius creaturæ legiſlativâ auctoritate interveniente, etiamſi aliquod creaturæ miniſterium intervenire poſſit pro promulgatione. At lex humana conditur ab homine, non tantùm ut proponente, vel promulgante; ſed etiam ut conſtituente auctoritate propriâ, licèt participatâ à Deo. Unde ſuam vim, & efficaciam obligandi proximè habet ab homine Legiſlatore, quamvis homo eam poteſtatem à Deo acceperit: ſicut cauſa creata verè eſt cauſa proxima ſui effectus, eſtò illum non cauſet, niſi virtute participata à Deo.

X. Objici poteſt tertiò. Si omnes leges humanæ derivantur à lege æternâ, non eſſent inter ſe contrariæ: ſed conſtat, leges humanas etiam juſtas eſſe interdum contrarias: una enim lex uno tempore, & in una regione unum præcipit: alia alio tempore, & diversâ regione idem vetat; ergo &c.

XI. Confirmatur. Si lex humana derivaretur ab æterna, non juſtè permitteret, quod iſta prohibet: ſed teſte Auguſtino l. 1. de Lib. arb. c. 5. *Lex, quæ populo regendo ſcribitur, rectè multa permittit, quæ per divinam providentiam vindicantur;* ergo &c.

XII. Reſpondeo, neg. ſequelam. Nam idcirco leges humanæ contrariæ ſunt, quia lex æterna talem earum contrarietatem poſtulat. Cùm enim ſit ordinatiſſima, exigit, ut juxta varias circumſtantias, quæ in ſubditis occurrunt, fiat mutatio in lege; aliàs eſſet inordinatio, ſi eiſdem legibus dirigerentur, qui variè ſunt affecti: ſicut inordinatio eſſet, ſi medicina diverſis morbis eadem remedia præſcriberet. Quemadmodum, ut cum S. Auguſtino *l. de Vera Relig. c.* 17. *ſupra dictum eſt Dub.* 1. §. 1 medicina mutat *præcepta languentibus, quia mutabilis eſt noſtra valetudo: ita divina providentia, cùm ſit ipſa incommutabilis, mutabili tamen creaturæ variè ſubvenit; & pro diverſitate morborum aliis alia jubet, aut vetat.* Quare *l.* 1. *de Lib. arb. c.* 6. loquens

de

de duabus legibus, quarum una det populo facultatem creandi Magiſtratum, alia adimat; utramque poſſe eſſe juſtam, & utramque à lege æternâ ordinatam pronunciat his verbis: *Simul etiam te videre arbitror, in illa temporali nihil eſſe juſtum, atque legitimum, quod non ex hac æterna ſibi homines derivarint, Nam ſi populus ille quodam tempore juſtè honores dedit, quodam rursùs juſtè non dedit: hæc viciſſitudo temporalis, ut juſta eſſet, ex illa æternitate tracta eſt, quâ ſemper juſtum eſt, gravem populum honorem dare, levem non dare.*

XIII. Ad confirmationem reſpondet D. Tho. hoc a. 3. ad 3. *Quòd lex humana dicitur aliqua permittere, non quaſi approbans, ſed quaſi ea dirigere non potens. Multa autem diriguntur lege divinâ, quæ dirigi non poſſunt lege humanâ; plura enim ſubduntur cauſæ ſuperiori, quàm inferiori. Unde hoc ipſum, quòd lex humana non ſe intromittit de his, quæ dirigere non poteſt, ex ordine legis æternæ provenit: ſecus autem eſſet, ſi approbaret ea, quæ lex æterna reprobat. Unde ex hoc non habetur, quòd lex humana non derivetur à lege æternâ, ſed quòd non perfectè eam aſſequi poſſit.* Ratio autem eſſe poteſt: quia lex temporalis ea ſolùm punire debeat, quæ contrariantur ſuo fini, qui eſt conciliatio pacis inter homines; unde non aſſumit vindicanda mala, quæ turbant pacem hominis cum Deo: hæc enim excedunt ſuam poteſtatem, ſed legi æternæ Dei relinquit vindicanda. Quare S. Auguſt. citato loco: *Videtur ergo mihi* (inquit) *& legem illam, quæ populo regendo ſcribitur, rectè iſta permittere, & divinam providentiam vindicare. Ea enim vindicanda ſibi lex populi aſſumit, quæ ſatis ſint concilianda paci hominibus imperitis, & quanta poſſunt per hominem regi, illa verò culpa alias pœnas aptas habent.* Et poſt parva ſubjungit, Evodium alloquens: *Laudo, & probo iſtam, quamvis inchoatam, minùſque perfectam, tamen ſidentem, & ſublimia quædam petentem diſtinctionem tuam. Videtur enim tibi lex iſta, quæ regendis civitatibus fertur, multa concedere, atque impunita relinquere, quæ per divinam tamen providentiam vindicantur, & rectè. Neque enim, quia non omnia facit, ideo quæ facit improbanda ſunt.* Loquebatur autem de lege humana permittente latronem occidi, ne ab eo ſpolietur bonis, aut occidi ſtupratorem, ne ab ipſo ſtupretur.

XIV. Objici poteſt quartò. Concupiſcentia vocatur lex ab Apoſtolo *Rom. 7. v. 23.* ut ſupra dictum eſt: ſed hæc non derivatur à lege æternâ, dicente eodem, *Rom. 8. v. 7.* quòd *legi Dei non poteſt eſſe ſubjecta;* ergo non omnis lex &c.

XV. Reſpondet S. Tho. hoc a. 3. ad 1. *Quòd fomes habet rationem legis in homine, inquantùm eſt pœna conſequens divinam juſtitiam. Et ſecundùm hoc manifeſtum eſt, quòd derivatur à lege æterna. Inquantùm verò inclinat ad peccatum, ſic contrariatur legi Dei, & non habet rationem legis.* Ita D. Thomas: quibus nihil addendo exiſtimo.

DUBIUM III.

Quænam Æternæ Dei Legi ſubjiciantur.

§. I.

De Æternis, ac Divinis.

I. Res, de quibus dubitari poteſt, an in ſuis actibus, & motionibus legi æternæ ſubjiciantur, ſunt, vel æternæ, & divinæ; vel temporales, & creatæ, iſtæ autem vel neceſſariæ, vel contingentes: vel rationales, vel ratione carentes. Nunc de æternis, ac divinis ſermo erit, poſtea de aliis. Sciendum inſuper, quòd actus Dei diſtingui poſſunt in naturales, & neceſſarios, quales ſunt generatio Verbi, & proceſſio Spiritus Sancti; & liberos, puta amor, quo crea-

Digitized by Google

turas diligit, quo eas producit, & regit.

II. Suppono, ea, quæ pertinent ad naturam, vel ad eſſentiam divinam legi æternæ non ſubjici, ſed eſſe realiter ipſam legem æternam. Nam quæ gubernationi divinæ non ſubduntur, neque legi æternæ ſubduntur: ſed quæ ad naturam, vel eſſentiam divinam pertinent, non ſubduntur gubernationi divinæ: ſunt enim prima, & univerſaliſſima lex, quæ non poteſt alicui legi eſſe ſubjecta; ergo &c. Ex iis etiam, quæ circa nos ſunt, confirmat hoc S. Thom. hìc *a.* 4. his verbis: *Humanæ gubernationi ſubduntur ea, quæ per homines fieri poſſunt; quæ verò ad naturam hominis pertinent, non ſubduntur gubernationi humanæ, ſcilicet, quòd homo habeat animam, vel manum, aut pedes.* Unde Matth. 5. v. 36. *Non potes unum capillum album facere, aut nigrum.* Et c. 6. v. 27. *Quis autem veſtrum cogitans poteſt adjicere ad ſtaturam ſuam cubitum unum?* Ergo nec ea, quæ pertinent ad naturam divinam, puta, quòd Deus habeat talem naturam, & talia attributa, puta, intellectum, voluntatem &c. nec cadit ſub gubernatione, nec ſub lege divinâ.

III. Quæſtio reducitur ad hoc: an intellectus divinus, & divina voluntas in ſuis actibus legi æternæ ſubjiciantur. Et quidem in actibus naturalibus, & neceſſariis, ac prorſus immanentibus, quales ſunt cognitio, & amor ſui, ſive eſſentialis, ſive notionalis, certum eſt, nulli legi ſubjici. Tùm quia hi actus ſunt realiter ipſa lex æterna. Tùm quia cùm ſint quid increatum, non ſubſunt gubernationi divinæ, nec proinde legi. Tum quia cùm ſint neceſſarii, non egent regula, quâ dirigantur. Solùm ergo reducitur quæſtio ad actus divinos liberos, quibus divinus intellectus, & voluntas ſeſe exercent erga creaturas; eas vel amando, vel producendo, vel gubernando. Cùm enim fiant à Deo cum ſummâ rectitudine, & rectiſſima ratione, quæritur: an dici poſſit, hos actus regulari lege æterna.

IV. Dico. Intellectus, & voluntas divina in ſuis actibus liberis legi æternæ non ſubjiciuntur. Ita S. Tho. hoc *art.* 4. *ad* 1. ubi ait, quòd loquendo *de voluntate divina, quantùm ad ipſa, quæ Deus vult circa creaturas, illa ſubjecta ſunt legi æternæ, inquantùm horum ratio eſt in divina ſapientiâ:* quibus non divinam voluntatem, ſed volita ab illa, pronunciat æternæ legi eſſe ſubjecta, quia horum ratio eſt in divina ſapientiâ.

V. Explicatur, & probatur ſimul. Cùm Deus legem æternam decrevit, hoc non fecit, ut ſibi eam præſcriberet, & ut ſeipſum, ſuamque voluntatem ad agendum ſecundùm eam obligaret; ſed ut creaturæ ſecundùm eam agerentur, & moverentur: cæterùm ipſe ſemper manet ab omni lege ſolutus, & liber, ut circa creaturas agat quodcumque voluerit. Non eſt quidem negandum, quin cùm voluntas divina (ut ait D. Tho. hìc) circa ea, quæ agit, *ſit rationabilis*, juxta modum noſtrum concipiendi, Dei ſapientia, ejuſque ordinatio ſint ratio juſtiſſimæ voluntatis ipſius, & præcedant ordine rationis in divino intellectu dictamina practica, quibus intelligitur Deus judicare, quid divinam bonitatem, juſtitiam, aut ſapientiam deceat; imo & imperare executionem: ſed nec Dei ſapientia, nec ordinatio, nec imperium, nec dictamina practica poſſunt habere vim legis reſpectu divinæ voluntatis, ſed ſolùm reſpectu volitorum. Primò: quia nihil horum, quatenus in Deo ſunt, diſtinguitur à divina voluntate, aut ſuperius eſt, vel majoris auctoritatis, quàm ſit ipſa; nec ullum continent præceptum ad divinam voluntatem directum, ſed ad res ab ea volitas. Secundò: quia alioquin ſequeretur, Deum lege obligatum eſſe ad ſervandum modum creationis, gubernationis, juſtificationis, præmiationis, punitionis, quem nunc ſervat: cùm tamen Deus, & quidem rectiſ-

rectiſſimè potuiſſet, & poſſet alium rerum ordinem, alium gubernationis modum inſtituere. Non ergo voluntas divina lege aliqua tenetur, ſed dum vult, facit legem, non ſibi, ſed rebus volitis: quia, ut ait D. Th. hìc, reſpectu quidem volitorum eſt rationabilis; ſed *ratione ſui ipſius magis dicenda eſt ipſa ratio*.

VI. Neque huic contradicit, quòd in Tract. de Providentia diximus, actum Providentiæ eſſe imperium intellectus intimans executionem. Nam, ut ibi diximus *Tom. 4. in 1. p. Q. 1. Dub. 4. §. 4. n. 19. & 20.* hujuſmodi imperium propriè imperat, non Deo, ſed creaturis, ad eaſque dirigitur: vel ſi actum divinæ voluntatis tangit, hoc eſt ſecundùm noſtrum modum concipiendi: nec tangit actum divinæ voluntatis in ſe, & in recto, & ratione ſui, ſed ut connotantem volita extra ſe. Videantur ibi dicta.

VII. Sed dices primò. Ratio divinæ ſapientiæ eſt lex, ſecundùm quam divina voluntas eſt recta; ergo divina voluntas ei ſubjicitur: talis autem ratio eſt lex æterna; ergo &c. Major prob. ex *1. p. q. 21. a. 1. ad 2.* ubi S. Tho. hæc habet: *Impoſſibile eſt Deum velle, niſi quod ratio ſuæ ſapientiæ habet: quæ quidem eſt ſicut lex juſtitiæ, ſecundùm quam ejus voluntas recta, & juſta eſt.*

VIII. Reſpondeo ex dictis, quòd ratio divinæ ſapientiæ eſt quidem lex reſpectu rerum volitarum; at non reſpectu voluntatis Dei, quæ, ut docet D. Tho. hìc ad 1. *Ratione ſui ipſius magis dicenda eſt ipſa ratio*. Ad prob. obſervo, D. Tho. ibi non dicere, quòd ratio divinæ ſapientiæ eſt *lex juſtitiæ*; ſed, quòd eſt *ſicut lex juſtitiæ*: hoc eſt, ratio ſapientiæ, ſecundùm quam eſt recta, & juſta, eſt in divina voluntate, ſicut lex juſtitiæ in nobis. Quod colligo ex verbis D. Thomæ ſequentibus; ait enim: *Unde quod ſecundùm ſuam voluntatem facit, juſtè facit; ſicut & nos quod ſecundùm legem facimus, juſtè facimus. Sed nos quidem ſecundùm legem alicujus Superioris; Deus autem ſibi ipſe eſt lex*: ideſt eſt rectus ſinè lege, perinde ac ſi ſibi ipſi eſſet lex. Quod confirmat S. Auguſtinus in *Pſal. 36.* dicens: *Voluntas Dei ipſa eſt lex Dei.*

IX. Dices ſecundò. Si Deus mentiretur, peccaret; ergo faceret contra aliquam legem: non aliam, quàm æternam; ergo ſubditur legi æternæ.

X. Confirmatur. Deus tenetur non mentiri: tenetur juſtis perſeverantibus dare vitam æternam; ergo lege aliquâ tenetur, cùm legis ſit obligare.

XI. Reſpondeo, diſt. conſ. In hypotheſi, quòd mentiretur, conc. conſ. Quia ſi mentiretur, non eſſet Deus. De facto, nego conſ. Si ergo Deus per impoſſibile mentiretur, non eſſet amplius Deus; quia non eſſet prima veritas, ideòque eſſet legi ſubjectus: ex quo tamen non ſequitur, quòd Deus de facto ſubjiciatur legi: ſicut non ſequitur, quòd de facto non ſit Deus. Unde Anſelmus *lib. 1. cur Deus homo cap. 12.* docet, quòd ſi Deus vult mentiri, potiùs ſequitur, eum non eſſe Deum, quàm mendacium eſſe juſtum; vel eſſe Deum, & non eſſe Deum: *Sicut cum de duobus impoſſibilibus dicimus: ſi hoc eſt, & illud eſt; quia nec hoc, nec illud eſt: ut ſi quis dicat: ſi aqua eſt ſicca, & ignis eſt humidus; neutrum enim verum eſt.*

XII. Ad Confirm. dico: Deum teneri ad non mentiendum, non ex aliqua lege hoc ei prohibente; ſed ex eſſentiali repugnantia, quam habet Deus, ut prima veritas, cum mendacio: ſicut tenetur non ſe occidere, aut non facere alium Deum, quia hoc eſt impoſſibile.

Tenetur etiam dare vitam æternam perſeverantibus obligatione non ortâ ex voluntate alicujus Superioris, ſed ex propria voluntate; nec obligatione legis, ſed pacti, & promiſſionis. Unde D. Tho. *1. 2. qu. 111. a. 1. ad 2.* poſtquam diſtinxit duplex debitum, unum ex merito proveniens, aliud ſe-

cun-

Digitized by Google

undùm conditionem naturæ; puta ſi dicamus debitum eſſe homini, quòd habeat rationem, reſolvit ſic: *Neutro autem modo dicitur debitum, propter hoc, quòd Deus creatura obligetur; ſed potiùs inquantùm creatura debet ſubjici Deo, ut in ea divina ordinatio impleatur: quæ quidem eſt, ut talis naturæ tales conditiones, vel proprietates habeat, & quòd talia operans talia conſequatur.*

§. II.

De Chriſto.

XIII. Dico ſecundò. Chriſtus ut Deus, ſive ſecundùm naturam divinam, non eſt ſubjectus legi æternæ, benè tamen ut homo, ſeu ſecundùm humanam naturam. Ita D. Tho. hoc *a. 4. ad 2.* Prior pars probatur primò. Quia, ut ait D. Tho. Filius Dei non eſt à Deo factus, ſed naturaliter ab ipſo genitus, & ideo non ſubjicitur divinæ gubernationi: Chriſtus autem, ut Deus, eſt filius Dei. Secundò. Quia Filius Dei eſt ipſa æterna lex per quamdam appropriationem. Tertiò. Quia Chriſto ſecundùm naturam divinam conſiderato nullus eſt ſuperior; ergo nullius ſuperioris lege poteſt obligari. Quartò. Quia par in parem non habet imperium: ſed Filius eſt æqualis Patri ſecundùm divinitatem, ut ex cap. 2. ad Philipp. v. 6. *Qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo.* Et ex Symbolo Athanaſiano: *Æqualis Patri ſecundùm divinitatem.* Quintò. Quia ubi eſt eadem numero voluntas non eſt obedientia, & ſubjectio: ſed Patris, & Filii ſecundùm quòd Deus eſt, una eſt numero voluntas; ergo &c.

XIV. Poſterior pars traditur à S. Thoma citato his verbis: *Dicitur autem eſſe ſubjectus Patri ratione humana natura, ſecundùm quam Pater dicitur major eo.* Humana enim natura eſt facta, ac propterea ſubjicitur divinæ gubernationi, & legi æternæ.

XV. Contra primam partem obſtare poteſt, quòd Concilium Sirmienſe (catholicum anno 351.) apud Hilarium *l. de Synodis Anathematiſmo 3.* dicat: *Si quis unum dicens Deum, Chriſtum autem Deum ante ſecula Filium Dei obſecutum Patri in creatione omnium non confitetur; anathema ſit.* Et Anathemat. 17. *Non enim exæquamus, vel comparamus Filium Patri, ſed ſubjectum intelligimus: neque enim deſcendit in Sodomam ſinè Patris voluntate, neque pluit ex ſe, ſed à Domino, auctoritate ſcilicet Patris; nec ſedet in dextera à ſemetipſo, ſed audit dicentem Patrem: ſede à dextris meis.* Quæ inferiùs nu. 51. exponens Hilarius ait: *Et vel in eo quidem maximè non comparatur, nec coæquatur Filius Patri, dum ſubditus per obedientia obſequelam eſt, dum pluit Dominus à Domino, ne à ſe ipſo ſecundùm Photinum, aut Sabellium pluerit, ut Dominus à Domino, dum ad dexteram Dei tùm conſedit, cùm ſibi ut conſederet dictum ſit, dum mittitur, dum accipit, dum in omnibus voluntati ejus, qui ſe miſit, obſequitur.* Ergo Filius Dei ſubjectus eſt Patri, voluntati ejus obedit, obſequitur, ergo legi ſubjectus eſt.

XVI. *Reſp.* tamen, tàm Sirmienſem Synodum, quàm Hilarium eo ſolùm ſenſu dicere Filium Dei Patri ſubjectum, obſequentem, obedientem voluntati Patris; quia habet eſſe, & voluntatem à Patre, & facit ea, quæ Patri placent. Hac ratione dicitur obſecutus Patri in creatione; quia ab ipſo vim creativam accepit, non ut à cauſa, vel exemplari, ſed ut à principio: & propterea eamdem omnino, quam habet Pater. Dicit inſuper, non exæquamus Filium Patri, hoc eſt, non dicimus Filium à ſe ipſo eſſe, ac ſinè origine, ſicut Pater; ſed quidquid habet, nimirum eſſe, velle &c. habere à Patre: & hoc eſt obſequi, ſubjectum eſſe, obedire Patri, non ut Superiori, ſed ut principio:

cipio: ſubjectio illa inferioritas non eſt, ſed *recognitio auctoritatis paternæ*, ut ait D. Tho. 1. *p. q.* 42. *a.* 4. *ad* 1. unde S. Hilarius (citatus à D. Tho. ibi) l. 9. de Trinit. *Donantis* (inquit) *auctoritate Pater major eſt; ſed minor non eſt, cui unum eſſe donatur*. Et iterum: *Major itaque Pater eſt, dum Pater eſt: ſed Filius, dum Filius eſt, minor non eſt*. Et l. de Synodis num. 51. citato: *Pietatis* (inquit) *ſubjectio non eſt eſſentiæ diminutio*. Quia, ut ait D. Tho. ex eodem Hilario: *Subjectio Filii naturæ pietas eſt, non infirmitas*. Solùm ergo ſubjectionis, & obedientiæ nomine, intelligunt Syrmienſis Synodus, & Hilarius contra Photinum, & Sabellium, qui perſonarum divinarum proceſſiones negabant, aſſerere, Filium, quidquid habet, habere à Patre ut à principio, eique obſecundare, obedire: quia cum eadem voluntas Patris ſit etiam Filii, quidquid facit, & vult Pater, vult, & facit Filius, & ſubjectio Filii naturæ pietas eſt, ideſt recognitio auctoritatis paternæ. Ex quo inferre non licet, Filium eſſe ſubjectum legi: quia cùm eadem ſit voluntas, ſicut & natura Patris, & Filii, ſi voluntas Patris ſubjecta legi non eſt, ſed ipſa eſt lex, eadem ratione voluntas Filii non erit ſubjecta legi, ſed ipſa erit lex.

XVII. Contra poſteriorem partem obſtare poteſt. Quia Chriſtus neque ut homo peccare potuit; ergo neque obligari lege.

Sed reſpondeo, quòd quamvis Chriſtus peccare non potuerit; potuit tamen id ei præcipi, quod ſi omitteret (quæ omiſſio ſciebatur non poſſe accidere) peccaret. Neque oportet, ut is, cui aliquod præcipitur, ſit capax culpæ; ſed ſatis eſt, ut reus eſſet culpæ, ſi omitteret. Nam & beatis Angelis in bono confirmatis, & conſequenter impeccabilibus, certum eſt quædam à Deo præcipi.

§. III.

De Neceſſariis, & Naturalibus, Contingentibus creatis.

XVIII. Dico tertiò. Omnia quæ ſunt in rebus creatis, etſi neceſſaria, ſubjiciuntur legi æternæ. Ita D. Tho. hàc *q.* 93. *a.* 4. & probat: Quia quæcumque divinæ gubernationi ſubduntur, ſubjiciuntur etiam legi æternæ: atqui omnia creata, etiam neceſſaria, ſubduntur; ſicut enim ea, quæ per homines fieri poſſunt, ſubduntur gubernationi hominis: ita ea omnia, quæ per Deum fieri poſſunt, ſubduntur gubernationi divinæ: talia autem ſunt omnia, etiam neceſſaria, quæ in rebus creatis inveniuntur; ergo omnia legi æternæ ſubjecta ſunt. Hinc *Pſalm.* 148. *v.* 5. *&* 6. de Angelis, & peculiariter etiam de Sole, Luna, & Stellis, quæ res neceſſariæ ſunt, legimus: *Ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandavit, & creata ſunt. Statuit ea in æternum, & in ſeculum ſeculi, præceptum poſuit, & non præteribit*. Quibus conformiter *Proverb.* 8. *a. v.* 27. Sapientia æterna dicit: *Quando præparabat Cœlos, aderam: Quando certa lege, & gyro vallabat abyſſos: Quando æthera firmabat ſurſum, & librabat fontes aquarum. Quando circumdabat mari terminum ſuum, & legem ponebat aquis, ne tranſirent fines ſuos .... cum eo eram cuncta componens*. Ubi per legem intelligitur inclinatio naturalis, vel inſtinctus ab æterna lege derivatus, & rebus illis impreſſus.

XIX. Sed dices. Res neceſſariæ aliter ſe habere non poſſunt; ergo non egent lege, quâ dirigantur, ſeu cohibitione, quâ frænentur.

Reſpondeo cum S. Tho. hoc a. 4. ad 4. *Quòd ſicut Philoſophus dicit in 5. Metaph. text. 6.* Quædam neceſſaria habent cauſam ſuæ neceſſitatis: *Et ſic hoc ipſum, quòd impoſſibile eſt, ea aliter ſe habere, habent ab alio. Et hoc ipſum*

Digitized by Google

pſum eſt cohibitio quædam efficaciſſima. Quaſi dicat: hoc ipſum, quod eſt aliter non poſſe ſe habere, habent ab æterna lege, cui ita ſubjiciuntur; ut juxta naturæ ſuæ conditionem ſtabiliter, & eodem modo ſemper ſe habeant, vel quoad ſuum eſſe, vel quoad ſuum operari: licèt juxta Dei potentiam poſſet accidere varietas, ſi ipſe vellet. Uno verbo (inquit D. Th. 1. p. q. 103. a. 5.) *Sicut nihil poteſt eſſe, quod non ſit à Deo creatum: ita nihil poteſt eſſe, quod ejus gubernationi non ſubdatur.*

XX. Quæres: An etiam eſſentiæ rerum legi æternæ ſubdantur?

Reſpondeo affirmativè. Nam quòd humanæ naturæ conveniat eſſe rationalem, ex divina ſapientia, & ordinatione eſt diſpoſitum. Ex qua etiam procedit, quòd illæ eſſentiæ ponantur extra ſuas cauſas, ſeu producantur ubi, quando, & quomodo Deus voluerit.

XXI. Dico ſecundò. Contingentia naturalia, cujuſmodi ſunt motus, & actiones rerum irrationalium, ſive animatarum, ſive inanimatarum, ac ipſæ res irrationales, legi æternæ ſubjiciuntur. Ita D. Tho. hìc *art.* 5. dicens: *Omnes motus, & actiones totius naturæ legi æternæ ſubduntur.* Et D. Auguſt. l. 19. de Civit. Dei c. 12. *Nullo modo* (inquit) *inde aliquid legibus illius Creatoris, ordinatoriſque ſubtrahitur, à quo pax univerſitatis adminiſtratur.* Item *l.* 83. *Quæſt. q.* 27. ait: *Lex ipſa incommutabilis manet, & omnia mutabilia pulcherrimâ gubernatione moderatur.* Quibus Scriptura conſonat: Pſalm. 148. v. 8. *Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus.* Matth. 8. v. 27. *Venti, & mare obediunt ei.* Job. 28. v. 26. *Quando ponebat pluviis legem.* Et *cap.* 38. *v.* 11. Deus dicit mari: *Uſque huc venies, & non procedes amplius, & hìc confringes tumentes fluctus tuos.*

XXII. Ratio autem eadem eſt, ac ſuperior. Quæcumque enim ſubſunt gubernationi divinæ, ſubſunt etiam legi æternæ: ſed omnia naturalia contingentia, omnes motus, & actiones creaturæ irrationalis, ſive animatæ, ſive inanimis ſubduntur gubernationi divinæ; ergo etiam ſubduntur legi æternæ.

XXIII. Confirmatur. Intantùm homines legem imponere nequeunt irrationalibus, etſi hæc eis inſerviant, ac ſubjiciantur, quia homines ſolùm præcipere poſſunt mediâ denunciatione, cujus irrationalia incapacia ſunt; non autem principium activum eis imprimendo: ſed Deus imprimit toti naturæ principia propriorum actuum; ergo hoc modo præcipit toti naturæ juxta illud Pſalm. 148. v. 6. *Præceptum poſuit, & non præteribit.*

XXIV. Dices primò. Creaturæ irrationales nullo modo ſunt capaces legis, ut eſt apud Auguſt. *q.* 74. *in Levitic.* Tùm quia lex debet intimari eis, quibus datur, ut illam percipiant, & exequantur: creaturis autem irrationalibus non poteſt hæc intimatio fieri, cùm non ſint capaces percipere legem. Tùm quia de natura legis eſt, inducere obligationem moralem: hujus autem creatura irrationalis capax non eſt.

XXV. Reſpondeo, legem æternam omnia creata ſibi ſubjicere, non tamen eodem modo, ſed juxta cujuſque naturam, & capacitatem. Alio enim modo ſubjicit ſibi rationalia capacia intellectus, alio irrationalia. Unde (inquit D. Thom. hoc a. 5.) *Creaturæ irrationales ſubduntur legi æternæ, inquantùm moventur à Divina providentia, non autem per intellectum divini præcepti, ſicut creaturæ rationales.* Auguſtinus autem ibi loquitur de lege poſitivâ divinâ, cujus irrationalia non ſunt capacia, quia incapacia delicti, & pœnæ, niſi per metaphoram: non tamen loqui de lege æternâ, cujus omnia ſuo modo capacia ſunt.

XXVI. Quare ad primam probat. dico, legem æternam creaturis irrationalibus imprimi, & intimari ſuo modo,

Digitized by Google

modo, nempe, per impreſſionem principii activi, quæ *hoc modo ſe habet ad res naturales, ſicut ſe habet promulgatio legis quantùm ad homines: quia per legis promulgationem imprimitur hominibus quoddam directivum principium humanorum actuum*. Ita S. Doct. *a.* 5. *ad* 1. Itaque Deus dicitur tunc eis legem æternam imprimere, ac intimare; quando in eis ponit facultates operativas, quarum quælibet ad propriam operationem ordinatur: ipſæ autem tunc dicuntur legem æternam percipere, quando illas facultates recipiunt; & tunc Deum audire, vel Deo obedire, quando ſecundùm eas operantur. Unde Hieronymus ad illa verba: *Imperavit ventis, & mari*, Matth. 8. v. 26. *Ex hoc loco* (inquit) *intelligimus, quòd omnes creaturæ ſentiant Creatorem. Quas increpavit, & quibus imperavit, ſentiunt imperantem: non errore hæreticorum, qui omnia putant animantia, ſed majeſtate Conditoris. Quæ apud nos inſenſibilia, illi ſenſibilia ſunt.*

Nec obeſt, quòd 1. *Eth. c. ultimo* dicatur: *Ea, quæ obediunt rationi, participant aliqualiter rationem* — Nam, ut ait D. Thom. laudatus ad 2. *Creaturæ irrationales non participant ratione humanâ, nec ei obediunt; participant tamen per modum obedientiæ ratione divinâ. Ad plura enim ſe extendit virtus rationis divinæ, quàm virtus rationis humanæ. Et ſicut membra corporis humani moventur ad imperium rationis; non tamen participant ratione, quia non habent aliquam apprehenſionem ordinatam ad rationem: ita etiam creaturæ irrationales moventur à Deo, non tamen propter hoc ſunt rationales*. Aptiſſimum ſanè exemplum!

XXVII. Hinc ad ſecundam probat. ex jam dictis reſpondeo, legem æternam inducere obligationem, proportionaliter tamen ad naturam, cui intimatur, ſeu imprimitur; nempe, vel moralem, ſi intimatur naturæ rationali capaci præcepti propriè dicti: vel naturalem, dum imprimitur naturæ irrationali, non ratione, ſed naturâ ſequenti præfatæ legis ordinationem.

XXVIII. Dices ſecundò. Lex æterna eſt efficaciſſima: ſed creaturæ irrationales interdum deficiunt in ſuis effectibus, quorum aliqui ſæpè accidunt deficientes, & monſtruoſi; & aqua ſæpè aſcendit ſurſum, quæ tamen ordinata eſt ad deſcenſum deorſum; ergo non ſubſunt legi æternæ.

XXIX. Reſpondeo cum S. Thom. hìc *ad* 3. neg. conſ. Nam *defectus, qui accidunt in rebus naturalibus, quamvis ſint præter ordinem cauſarum particularium; non tamen ſunt præter ordinem cauſarum univerſalium, & præcipuè cauſæ primæ, quæ Deus eſt, cujus providentiam nihil ſubterfugere poteſt.... Et quia lex æterna eſt ratio divinæ providentiæ, ut dictum eſt; ideo defectus rerum naturalium legi æternæ ſubduntur*. Unde etiam aqua dum aſcendit ſurſum, ſequitur ordinem legis æternæ, quâ ſtatutum eſt quidem, ut naturaliter aqua deſcendat, ſi nullum adſit impedimentum: ſed ſtatutum eſt etiam, quòd ſi aliqua cauſa oppoſitum exigat, aqua, vel ſtet, vel etiam aſcendat.

XXX. Dices tertiò. Ea ſolùm legi ſubjiciuntur, quæ præmii, vel pœnæ capacia ſunt: ſed creaturæ irrationales, ut patet, cognitionis, & libertatis expertes, nec præmii, nec pœnæ dignæ ſunt; ergo &c.

XXXI. Reſpondeo, neg. maj. loquendo de lege æternâ: quæ cùm omnia creata ſibi ſubjiciat, & regat, & etiam rationis, & libertatis expertia, ſeu directione non morali ſolùm, ſed etiam naturali; non petit, ut omnia ſibi ſubjecta digna ſint præmio, vel pœnâ. Verum tamen eſt, quòd ſi homo abutatur brutis, faciatque ea inſervire iniquitati; aliquando pœna homini inflicta extenditur ad bruta. Unde Levitic. 20. *v.* 16 legitur: *Mulier, quæ ſuccubuerit cuilibet jumento, ſimul interficietur cum eo; ſanguis eorum ſit ſuper eos*. Super quæ Auguſt. Q. 74. in

in Levit. *Quæritur* (inquit) *quomodo ſit reum pecus, cùm ſit irrationale, nec ullo modo legis capax. An quemadmodum transferuntur verba modo locutionis, quæ græcè appellatur* Metaphora, *ab animali ad inanimale, ſicut dicitur improbus ventus, vel iratum mare: ita & hìc translatum eſt à rationali ad irrationale? Nam pecora inde credendum eſt juſſa interfici, quia tali flagitio contaminata, indignam refricant facti memoriam.*

§. IV.

De Creaturis Rationalibus.

XXXII. Cùm duplici modo creatura ſubjici poſſit legi æternæ: vel inquantùm participat eam per modum cognitionis; vel inquantùm eam participat per modum actionis, & paſſionis, quo pacto eam participant irrationalia: certum eſt, hominem, ejuſque actiones utroque modo legi æternæ ſubjici. Quia & in homine non minùs, quàm in irrationalibus eſt inclinatio naturalis ad id, quod eſt conſonum legi æternæ; & inſuper in eo eſt modus proprius participandi eam modo rationali, ideſt, per cognitionem. Porrò uterque iſte modus imperfectus eſt, & quodammodo corruptus in malis, *in quibus & inclinatio naturalis ad virtutem depravatur per habitum vitioſum; & iterum ipſa naturalis cognitio boni in eis obtenebratur per paſſiones, & habitus peccatorum:* uterque autem invenitur perfectior in bonis, *quia & ſupra naturalem cognitionem boni ſuperadditur eis cognitio fidei, & ſapientiæ: & ſupra naturalem inclinationem ad bonum, ſuperadditur eis interius motivum gratiæ, & virtutis.* Hæc D. Thom. hâc *q. 93. a. 6.* Cohærenter ergo ad ea

XXXIII. Dico quartò. Legi æternæ ſubjiciuntur omnes homines, tàm boni, quàm mali, & reprobi: boni tamen perfectè, mali verò ſolùm imperfectè. Aſſertio quoad omnes partes ex dictis apparet. Prima quidem: Nam tàm in bonis, quàm in malis eſt participatio legis æternæ, tàm ſecundùm cognitionem, quàm ſecundùm naturalem inclinationem. Rursùs: tàm boni, quàm mali divinæ ſubſunt providentiæ; ergo etiam legi æternæ. Quare D. Auguſt. l. 5. de Civit. Dei c. 9. *In ejus* (inquit, nempe, Dei) *voluntate ſumma poteſtas eſt, quæ creatorum ſpirituum voluntates bonas adjuvat, malas judicat, omnes ordinat.* Unde qui peccando à lege Dei præcipiente recedit, incidit in legem Dei judicantem, atque punientem. Hinc idem S. Doct. *l. de Spiritu & litt. c. 23.* ait: *Infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cum ejus Evangelio non credunt; nec ideo tamen eam vincunt, verùm ſeipſos fraudant magno, & ſummo bono, maliſque pœnalibus implicant: experturi in ſuppliciis poteſtatem ejus, cujus in donis miſericordiam contemſerunt. Ita voluntas Dei ſemper invicta eſt.*

Secunda etiam pars ex dictis apparet. Nam boni ſupra cognitionem boni habent cognitionem fidei, & ſapientiæ; & ſupra naturalem inclinationem ſuperadditur eis motivum gratiæ, & virtutis. Ex quo fit, quòd ſemper ſecundùm legem æternam operentur, actu nimirum, vel habitu: quamvis enim peccent venialiter; ejuſmodi tamen peccata, neque excludunt ordinem habitualem ad Deum, neque perfectè ſunt contra legem æternam; ergo boni perfectè ſubduntur legi æternæ. Tertia etiam pars liquet. Nam in malis, & reprobis inclinatio ad virtutem per habitus vitioſos depravatur, naturalis cognitio obtenebratur per paſſiones: quo fit, ut imperfectè cognoſcant bonum in particulari practicè, & imperfectè inclinantur in illud quoad affectum, & effectum: unde à lege æternâ præcipiente ſe ſubtrahunt, licèt non ſe ſubtrahant ab eadem, ut permittente, & puniente.

XXXIV. Ex his ſoluta manet inſtantia, quæ fieri poteſt. Quomodo nimi-

nimirum peccator ſubdatur legi æternæ, ſi dum peccat ab ea recedit? Nam reſpondeo, quòd dum ex una parte peccando à lege æternâ recedit, ex alia in legem ætenam incidit, eique ſubjicitur. Lex enim æterna eſt ad inſtar circuli: & propterea ſicut is, qui eſt intra circulum, dum fugit unam ejus partem, alteri parti appropinquat: ita cum peccator peccando legem æternam ab una parte fugit, in aliam partem relabitur: fugit præcipientem, relabitur in punientem. Hoc explicat S. Anſelmus *L.* 1. *cur Deus homo c.* 15. his verbis: *Si enim ea, quæ Cœli ambitu continentur, vellent non eſſe ſub Cœlo, aut elongari à Cœlo; nullatenus poſſent, niſi ſub Cœlo eſſe, nec fugere Cœlum, niſi appropinquando Cœlo. Nam & unde, & quò, & quà irent, ſub Cœlo eſſent: & quantò magis à qualibet parte Cœli elongarentur, tantò magis oppoſita parti Cœli appropinquarent. Ita quamvis homo, vel malus Angelus divinæ voluntati, & ordinationi ſubjacere nolit, non tamen eam fugere valet: quia ſi vult fugere de ſub voluntate jubente, currit ſub voluntatem punientem. Et ſi quæris quà tranſit; nonniſi ſub voluntate permittente: & hoc ipſum quòd perverſè vult, aut agit, in univerſitatis præfatæ ordinem, & pulchritudinem ſummæ ſapientia convertit*. Ita S. Anſelmus, & præclarè quidem.

XXXV. Hinc S. Thom. hoc *a.* 6. *ad* 2. exponens Apoſtoli verba Rom. 8. v. 7. *Prudentia carnis inimica eſt Deo: legi enim Dei ſubjecta non eſt;* ait: *Prudentia carnis non poteſt ſubjici legi Dei ex parte actionis; quia inclinat ad actiones contrarias legi divinæ: ſubjicitur tamen legi Dei ex parte paſſionis; quia meretur pati pœnam ſecundùm legem divinæ juſtitiæ. Nihilominus tamen in nullo homine ita prudentia carnis dominatur, quòd totum bonum naturæ corrumpatur. Et ideo remanet in homine inclinatio ad agendum ea, quæ ſunt legis æternæ, dictum eſt enim ſupra* (q. 85. a. 2.) *quòd peccatum non tollit totum bonum naturæ*.

XXXVI. Dices contra primam partem. D. Aug. *l.* 1. *de Lib. arb. c.* 6. dicit: lex æterna eſt, quâ mali miſeriam, boni vitam beatam merentur: ſed homines vel jam damnati, vel jam beati non ſunt in ſtatu merendi; ergo non ſubſunt legi æternæ.

XXXVII. Reſpondet S. Thom. *a.* 6. citato *ad* 3. neg. conſ. Nam *idem eſt, per quod aliquid conſervatur in fine, & per quod movetur ad finem: ſicut corpus gravitate quieſcit in loco inferiori, per quam etiam ad locum ipſum movetur. Et ſic dicendum eſt, quòd ſicut ſecundùm legem æternam aliqui merentur beatitudinem vel miſeriam: ita per eandem legem in beatitudine, vel miſeriâ conſervantur. Et ſecundùm hoc Beati, & Damnati ſubſunt legi æternæ*. Ubi dicit S. Doct. quòd *ſecundùm legem æternam merentur &c.* non quia lex æterna ſit cauſa proxima meriti, vel demeriti; hæc enim eſt voluntas: ſed quia per legem æternam ordinatum eſt, ut qui benè agunt, mereantur vitam æternam, qui verò malè, æternam miſeriam. Qui æternæ legis ordo etiam in Inferno ſervabitur. Quamvis enim Job. 10. *v.* 22. dicat, quòd ibi erit *nullus ordo*, nempe, dignitatis, quam miſeri in hoc Mundo habuerunt; nullus item ordo luminis poſt tenebras, refrigerii poſt pœnas: erit tamen ordo æternæ legis, ut Damnati ita ei ſubjiciantur, ut velint, nolint, patiantur plus, aut minus, ſecundùm eorum demerita: & ſic juſtitiæ ordo ſervetur.

XXXVIII. Dices contra ſecundam partem. *Galat.* 5. *v.* 18. dicit Paulus: *Si Spiritu ducimini, non eſtis ſub lege:* ſed eodem Paulo teſte, Roman. 8. v. 14. *Quicumque Spiritu Dei aguntur, ii ſunt filii Dei;* ergo filii Dei, nempe, juſti non ſunt ſub lege æternâ.

XXXIX. Reſpondeo cum D. Thom. hoc *a.* 6. *ad* 1. diſt. conſ. Non ſunt ſub lege per timorem, ſeu ſicut *Ille, qui nolens obligationem legis, ſubditur ei quaſi cuidam ponderi*, con. conſ. Per amorem, ſicut filius voluntariè ſubditur patri, nego conſ. Unde Auguſt.

L. de Natura, & Grat. c. 57. ait: *Sub lege eſt enim qui timore ſupplicii, quod lex minatur, non amore juſtitia, ſe ſentit abſtinere ab opere peccati, nondum liber, nec alienus à voluntate peccandi.... Ergo ſi ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege: utique lege, qua timorem incutit, non tribuit caritatem: qua caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, non per legis litteram, ſed per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis. Hac eſt lex libertatis, non ſervitutis, quia caritatis utique, non timoris.* Ita Auguſtinus. Unde S. Thom. ſubdit: *Et hoc modo ſpirituales viri non ſunt ſub lege; quia per caritatem, quam Spiritus Sanctus cordibus eorum infundit, voluntariè id, quod legis eſt, implent.* Aliam reſponſionem tradit ibi S. Doctor à Studioſo videndam.

QUÆSTIO III.

De Lege Naturali.

INter leges, quæ, ut dictum eſt, omnes ſunt participationes legis æternæ, prima, quæ legem æternam ad creaturam rationalem quaſi deſert, ac manifeſtat, eſt lex naturalis. Propterea D. Tho. quæſtioni de lege æternâ immediatè ſuccedere facit quæſtionem 94. de lege naturali. Cujus veſtigia & nos ſequentibus Dubiis prememus.

DUBIUM I.

An ſit, & à quo ſit Lex Naturalis?

§. I.

Legis Naturalis Exiſtentia.

I. CIrca nomen juris, ſeu legis naturalis videntur diſcrepare à Theologis Juriſtæ. Nam hi diſtinguentes jus in naturale, & gentium, dicunt, jus naturale eſſe illud, quod eſt homini commune cum brutis; ut conjunctio maris, & fœminæ, liberorum procreatio, & educatio. Jus gentium vocant, quod ſolis hominibus inter ſe eſt commune; ut Religio erga Deum, obſequium erga patriam, & parentes. Et hoc jure dicunt introducta eſſe bella, ſervitutem, diviſiones agrorum, dominia, & contractus, ut videre eſt *ff. de Juſtitia, & Jure lib. 1. & ſequent.* & *Inſtitution. de Jure naturali gentium, & Civili §. 1. &c.* Hinc videtur ſequi, omnia præcepta Decalogi ad jus gentium pertinere, non ad naturale: non enim communia ſunt homini cum brutis, ſed ſolis hominibus inter ſe communia. Theologi verò jus naturale vocant, quod ex inſtinctu naturæ rationalis omnibus hominibus commune eſt inter ſe. Et in hoc ſenſu diſtinguitur etiam à jure gentium, & ſumitur à nobis in præſenti.

II. Dari ergo legem naturalem, ſeu legem inſitam in nobis à natura quatenus rationali, à nemine rationis compote negari poteſt. Eam inſuper tradit Apoſtolus *Rom. 2. v. 14. & 15.* dicens: *Cum enim Gentes, qua legem non habent, naturaliter, ea qua legis ſunt, faciunt, ejuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex: Qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientiâ ipſorum, & inter ſe invicem cogitationibus accuſantibus, aut etiam defendentibus.* Quibus legem naturalem in cordibus ſcriptam oſtendentem, & dictantem, quid ſit agendum, vel non agendum aptè deſcribit, juxta illud Pſalm. 4. v. 6. *Multi dicunt: Quis oſtendit nobis bona?* Statimque reſpondet Propheta v. 7. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine.*

III. Legem naturalem faſſus eſt S. Auguſt. *l. 2. Confeſs. c. 4.* dicens: *Furtum certè punit lex tua, Domine, & lex ſcripta in cordibus hominum, quam ne ipſa quidem delet iniquitas.* Item in Pſal. 57. n. 1. *Manu* (inquit) *formatoris noſtri in ipſis cordibus noſtris veritas ſcripſit:* Quod tibi non vis fieri, ne facias alteri. *Hoc & antequam lex dare-*

Digitized by Google

daretur nemo ignorare permiſſus eſt &c. Et *Serm.* 25. *in Pſal.* 118. exponens textum Pauli ſupra allatum: *Quæ* (inquit) *iſta eſt lex, niſi fortè illa, de qua idem dicit Apoſtolus: Gentes, quæ legem non habent, naturaliter quæ legis ſunt faciunt?... Nullus enim eſt, qui faciat alteri injuriam, niſi qui fieri nolit ſibi: & in hoc tranſgreditur naturæ legem, quam non ſinitur ignorare, dum id, quod facit, non vult pati.* Quam veritatem confirmat Ambroſius *lib.* 9. *Epiſt.* 71. ubi ad præcitata Apoſtoli verba addit: *Ea igitur lex non ſcribitur, ſed innaſcitur; nec aliqua percipitur lectione, ſed profluvio quodam naturæ fonte in ſingulis exprimitur, & humanis ingeniis hauritur.*

IV. Id quoque manifeſtat Ratio. Nam non minori curâ debuit provideri homini inter omnes creaturas præſtantiſſimo, quàm cæteris creaturis proviſum ſit: ſed cæteris creaturis rationis, ac libertatis expertibus proviſum eſt de viribus, & naturalibus inclinationibus, quibus ad ſuos fines agerentur; ergo id potiori jure debuit homini provideri. Cùm verò finis hominis naturalis ſit bonum rationis; debuit ei indi lumen, quo rectè ad dictum finem ſe dirigere poſſet: quod aliud non erit, quàm naturalis lex.

V. Rursùs: Datur in homine lumen ingenitum, quo prima principia rerum ſpeculabilia poſſit detegere, abſque ullo ſuperadditæ ſcientiæ beneficio; ergo pari ratione in eo dari debet lumen ingenitum, quo rerum agibilium principia queat deprehendere: hoc autem legem naturalem dicimus.

VI. Tertiò tandem. Nam cùm homo ſit ad ſocietatem natus, ab ipſa naturâ habere debuit, quo in ſocietate perfectè vivere poſſet: at, ut ex Auguſt. dictum eſt, non poſſet perfectè in ſocietate vivere, niſi à natura lumen haberet, quo detegeret, non eſſe alteri faciendum, quod ſibi fieri nollet; ergo &c.

VII. Hanc veritatem hiſce verbis egregiè expreſſit Tullius lib. de Legibus: *Eſt quidem vera lex recta ratio naturæ congrua, diffuſa per omnes, conſtans, ſempiterna, quæ vocet ad officium, jubendo, vitando, à fraude deterreat. Huic igitur legi nec prorogari fas eſt, neque derogari aliquid licet, nec tota abrogari poteſt. Nec verò per Senatum, aut per populum ſolui hâc lege poſſumus; nec eſt quærendus explanator, aut interpres alius. Non erit alia lex Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia poſthac: ſed & omnes gentes, & omni tempore una lex, & ſempiterna, & immutabilis continebit: uniuſcujuſque erit communis quaſi magiſter, & Imperator omnium Deus.* His verbis legem naturalem aſſerit, & encomio celebrat non unus ex Eccleſiæ Patribus, ſed Tullius errore gentilitatis detentus.

§. II.

Legis Naturalis Auctor.

VIII. Dico. Legis naturæ Legiſlator, & Auctor Deus eſt. Ipſe enim condens naturam rationalem, legem hanc in cordibus ſcripſit, & hoc lumine eam ſignavit: & hâc factus fuit omnium hominum magiſter, & Imperator, ut ex dictis §. præcedente, ſive Scripturæ, ſive Patrum, ſive ipſius Tullii, colligi poteſt.

IX. Ratio autem in promtu eſt. Primò. Quia lex naturalis eſt vera lex; ergo habet ea, quæ ſunt de ratione legis: atqui de ratione legis eſt, ut ſit imperium alicujus Superioris; ergo lex naturalis eſt imperium alicujus Superioris: ſed non poteſt eſſe imperium alicujus Superioris, niſi ſit imperium Dei, qui ſolus ad totam naturam rationalem Superior eſt; ergo &c.

X. Confirmatur. S. Auguſt. *lib.* 2. *de peccat. Merit. cap.* 16. expreſsè docet, Deum prohibere omne omnino peccatum, aliàs non eſſet peccatum, ſi Deus non prohiberet. Verba ejus ſunt: *Neque peccatum erit, ſi quid erit, ſi non divinitus jubeatur, ut non ſit.*

Et

Et infra: *Quomodo non vetatur per Dei juſtitiam, ſi peccatum eſt?* Huc etiam pertinet, quod *lib. 22. contra Fauſt. cap. 27.* generaliter definiens peccatum, ait: *Peccatum eſt factum, vel dictum, vel concupitum contra legem æternam;* ergo peccatum etiam contra legem naturalem eſt contra legem Dei æternam, cujus participationem diximus eſſe.

XI. Secunda ratio eſt. Sola propoſitio objecti in mente exiſtens non eſt vera lex; etiamſi objectum, utpote neceſſariò connexum cum fine ultimo, debeat expeti, vel ut ipſi neceſſariò contrarium debeat rejici; ergo requiritur auctoritas alicujus Superioris prius præcipientis, & poſterius prohibentis. Ant. prob. Tùm quia natura legis eſt, ut ſit ordinatio rationis per aliquem Superiorem facta. Tùm quia alioqnin ſequeretur, Deum habere legem naturalem reſpectu ſuæ voluntatis, & eorum, quæ ipſe eſt facturus, vel omiſſurus: in ipſo enim, ſeu in ejus mente eſt ratio, & propoſitio dictans: quòd ſervare promiſſa rectum ſit, ac neceſſarium: malum autem neceſſariò eſſe mentiri, aut fallere.

XII. Dices tamen primò. Lex naturalis à poſitiva diſtinguitur, quòd non eſt à Deo poſita: ſed ſi Deum haberet auctorem, eſſet à Deo poſita; ergo &c.

XIII. Cofirm. Si lex naturalis eſſet à Deo, vel eſſet à Deo liberè, vel neceſſariò; ſed non liberè; quia cùm objectum legis naturalis ſit ex natura, vel bonum, vel malum, non eſt in libertate Dei illud prohibere ſi bonum, vel præcipere ſi malum. Nec neceſſariò; quia in omnibus, quæ ſunt extra Deum, voluntas divina libera eſt.

XIV. Reſpondeo, legem naturalem in hoc à poſitiva diſtingui, quòd non ſit poſita præcepto poſitivo exteriùs facto: non tamen, quòd à Deo non ſit ea generali ratione, quâ omnis lex debet à Deo eſſe lata, vel impreſſa, & quâ omnis lex à lege æterna ſuo modo derivari debet.

XV. Ad Confirm. dico, legem naturalem eſſe à Deo liberè, abſolutè loquendo; quia liberè producit creaturam rationalem, quam potuiſſet non producere: eſſe tamen à Deo neceſſariò, ex ſuppoſitione, quòd eam produxerit, eique rationis uſum dederit. Hoc enim poſito, non poteſt non velle dare ipſi lumen rectè rationis; neque poteſt velle, quòd non teneatur illud ſequi: & hoc neceſſitate ortâ à ſua juſtitia. Ut enim ait D. Thom. infra q. 100. a. 8. ad 2. *Sicut Apoſtolus dicit 2. ad Timoth. 2. v. 13.* Deus fidelis permanet, negare ſeipſum non poteſt: *Negaret autem ſeipſum, ſi ordinem ſua juſtitia auferret, cùm ipſe ſit ſua juſtitia. Et ideo in hoc diſpenſare non poteſt, ut homini liceat non ordinatè ſe habere ad Deum, vel non ſubdi ordini juſtitia ejus.* Sicut ergo licèt Deus ſit liber in promittendo; ſuppoſito tamen, quòd promiſerit, neceſſitatur à ſua fidelitate, ut impleat, quod promiſit: ita eſtò ſit liber ad dandum homini uſum rationis; ſuppoſito tamen, quod dederit, neceſſitatur à ſua juſtitiâ dare ipſi legem, quâ ſecundùm rationem vivat.

XVI. Dices ſecundò. Ea, quæ pertinent ad legem naturalem, ſunt intrinſecè, & naturâ ſuâ, vel bona, vel mala: & ideo lex naturalis ea vel præcipit, vel prohibet; ergo nullo egent Legiſlatore.

XVII. Confir. Nullâ poſitâ Dei voluntate, & legiſlatione ſtuprum, adulterium, & alia hujuſmodi intrinſecè mala eſſent peccata, atque adeò contra legem naturalem; ergo lex naturalis non perit, ut ſit à Deo.

XVIII. Reſpondeo, diſtingu. conſequ. Legiſlatore ferente legem poſitivam, & temporalem. con. conſ. Legiſlatore naturali, & lege æternâ, nego conſequ. Ut enim docet D. Th. hâc 1. 2. q. 71. a. 6. ad 4. *Cum dicitur, quòd non omne peccatum ideo eſt malum, quia eſt prohibitum, intelligitur de prohibitione factâ per jus poſitivum. Si autem referatur ad jus naturale,*

quod

quod continetur primò quidem in lege æternâ, ſecundariò verò in judicatorio rationis humanæ; tunc omne peccatum eſt malum, quia prohibitum. Ex hoc enim ipſo, quòd eſt inordinatum, juri naturali repugnat.

XIX. Ad Confirm. dico, quòd ſicut impoſſibile eſt, ſtuprum, adulterium &c. eſſe bona: ita impoſſibile eſt, quòd Deus per legem naturæ ea non prohibeat. Si verò per impoſſibile poneretur, quòd ea non prohiberet; ex eo impoſſibili ſequeretur aliud impoſſibile: nempe, ea eſſe peccata, & non eſſe peccata, eſſe offenſiva divinæ majeſtatis, & non eſſe eiuſdem offenſiva. Eſſe peccata, & offenſiva, quoniam ex natura ſuâ talia ſunt: non eſſe autem peccata, & offenſiva, quia non eſſent contra ullam legem divinam, ea prohibentem.

XX. Quæres: quando Deus legem naturæ homini imprimat?

Reſpondeo, tunc Deum unicuique illam imprimere, quando infundit animam rationalem. Tunc enim ſignat ſuper nos lumen vultus ſui, de quo *Pſalm.* 4. dicitur. Hoc eſt: dat nobis lumen rationis à vultu ſuo derivatum, & dependens, quo poſſimus ea, quæ naturalis ratio dictat eſſe bona, vel mala, naturaliter cognoſcere. Et hinc verificatur, quòd dici ſolet, legem naturæ eſſe ſimul cum natura inditam, & impreſſam.

DUBIUM II.

In quo Formaliter Lex Naturalis conſiſtat.

§. I.

Aliqua Prænotantur.

I. Noto primò. Quòd eſtò hæc tria, lex naturalis, ſynderеſis, & conſcientia interdum pro eodem uſurpentur; maximè tamen invicem diſcrepant. Nam lex naturalis eſt ipſa divinæ voluntatis ordinatio nobis à Deo impreſſa, quatenus eſt auctor, & rector naturæ. Synderеſis eſt ipſum lumen naturale intellectus, quo divinam illam ordinationem novimus: conſcientia verò eſt judicium practicum intellectus, quo illam in particulari applicamus, ſeu quo judicamus, quid hic, & nunc ſecundùm legem naturalem ſit agendum. Hinc aliæ oriuntur differentiæ. Nam ſynderеſis verſatur circa prima, & generalia principia practica, & agibilia, & proinde ſinè ullo diſcurſu: ideoque illi nullus poteſt ſubeſſe error, nulla dubitatio, oblivio, opinio, ignorantia, & inadvertentia. Nullus enim poteſt, aut potuit unquam negare, dubitare, oblíviſci, vel ignorare in genere malum eſſe fugiendum, bonum verò amplectendum. Conſcientia verò nonniſi prævia illatione ex generalibus principiis infert judicia practica: ideoque ſubjacet dubitationi, oblivioni, opinioni, errori &c. Unde provenit tàm varia, tàmque multiplex conſcientiæ diverſitas, & diviſio in rectam, erroneam, dubiam &c. de quibus Tomo præcedente actum eſt: quod non ſolum contingit pro diverſitate hominum, ſed etiam pro diverſitate temporis reſpectu ejuſdem hominis. Idem enim homo pro diverſis notitiis, & temporibus in diverſa judicia diſſolvitur; dum ſæpè nobis diſplicet quod placuerat, & ſæpè placet quod fuerat odioſum. Lex verò naturalis apud omnes prorſus nationes, & quovis tempore eadem ſemper dictat, ſemper ſibi conſtat, & ſibi conformis eſt, niſi aliunde impediatur.

II. Noto ſecundò: naturam rationalem ſpectari poſſe dupliciter. Uno modo ſecundùm ſe, & quatenus ex ſua eſſentiâ quædam ſunt illi convenientia, & quædam diſconvenientia: alio verò modo, ut habet vim judicandi mediante rationis lumine de his, quæ ſibi conveniunt, vel diſconveniunt. Et hoc modo bifariam poteſt conſiderari. Vel quatenus ſolùm judicat, & oſtendit quid ſit agendum,

quidve

quidve omittendum: vel ut habet adjunctum divinum præceptum, obligans hominem ad exequendum id, quod nativa lex ipſi indicat, & demonſtrat: ita ut hæc lex non ſolùm illativa ſit, & oſtenſiva, ſed etiam obligativa, & præceptiva.

III. Quia verò hìc locuturi ſumus de lege naturali, non ſecundùm quòd eſt in præcipiente ea, quæ per rationem naturalem cognoſcimus eſſe agenda; vel prohibente ea, quæ eâdem ratione naturali cognoſcimus eſſe illicita, & non agenda: ſed ſecundùm quòd eadem lex eſt in nobis impreſſa, innata, & ſcripta, quo modo ab æterna differt, ſicut participans à participato; & dicitur *Pſal.* 4. lumen vultus Dei ſignatum ſuper nos, & ab Auguſtino lex ſcripta in cordibus noſtris: ideo quærimus in quo conſtituenda ſit.

IV. In hoc diſcordes invenio Doctores. Quidam enim legem naturalem dicunt conſiſtere in natura rationali ſecundùm ſe: quæ talis eſt, ut ratione ſuæ eſſentiæ, aliquæ actiones ſint illi moraliter convenientes, aliæ diſconvenientes. Quidam eam collocant in ipſo lumine intellectuali, ut eſt vis diſcernendi inter turpia, & honeſta moraliter: & hi legem naturalem non in actu collocant, ſed in habitu. Alii vero legem naturalem collocant non in habitu, ſed in actu: ſed hi etiam invicem diſcordant. Nam aliqui eam ponunt in dictamine rationis indicante, & oſtendente, quid conſentaneum rationi ſit, quidve diſſentaneum. Alii autem volunt, legem naturalem ulteriùs importare, & conſiſtere in dictamine præceptivo, & obligativo, & eſſe formaliter actum imperii, nos ad ea, quæ tali lege præſcripta oſtenduntur, obligantis. Ita Thomiſtæ.

§. II.

Rejectis aliis noſtra Sententia proponitur.

V. Dico primò. Lex naturalis non conſiſtit in natura rationali, quatenus ratione ſuæ eſſentiæ talis eſt, ut aliquæ actiones ſint illi convenientes, & honeſtæ, aliæ repugnantes, & indecentes.

Probatur primò. Poſitâ naturâ rationali, ut ſecundùm ſe reſpicit aliquas actiones moraliter convenientes, vel diſconvenientes, non habetur adhuc vera lex, nec proprius actus legis: cùm ergo lex naturalis ſit vera lex, in hoc nequit lex naturalis conſiſtere. Ant. pro prima parte prob. Vera lex eſt ordinatio, & conſtitutio alicujus Superioris, ut jure ſuo aliquid decernentis, & imperantis: ſed nihil horum habetur, poſitâ naturâ rationali ſecundùm ſe: quia ordinatio eſt actus intellectus practici adjunctam habens voluntatem, ut dictum eſt; natura autem rationalis præcisè ſumta nihil horum dicit; ergo &c. Pro ſecunda etiam parte prob. Nam actus, ſeu effectus legis ſunt dirigere, illuminare, obligare, & eſſe regulam humanarum actionum: hæc autem in natura rationali immediatè cadere nequeunt, cùm dicant dictamen, & imperium rationis, ante quæ nulla concipi poteſt obligatio; ergo &c.

VI. Probatur ſecundò, evertendo fundamentum oppoſitum. Nam ideo volunt, legem naturalem conſiſtere immediatè in natura rationali; quia hæc eſt fundamentum, & menſura legis naturalis, & honeſtatis ipſius; quatenus ex eo aliqua ſunt honeſta, & lege naturali præcepta, quia naturæ rationali convenientia ſunt; & ideo inhoneſta, & vetita, quia eidem diſconvenientia: ſed hæc ratio eſt nulla; ergo &c. Min. prob. Id, quod eſt fundamentum, & regula hone-

Digitized by Google

honeſtatis, non eſt propterea lex: nam pax, & fœlicitas publica eſt fundamentum, & menſura legum humanarum; nec propterea ſunt ipſæ leges humanæ: indigentia pauperis major, aut minor eſt fundamentum, & menſura legis faciendi eleemoſynam, & quidem majorem, aut minorem; nec tamen indigentia dicitur lex faciendi eleemoſynam. Addo, quòd ſi natura rationalis eſſet lex actuum noſtrorum, eo quòd illam decent; ſequeretur, quòd pari ratione divina natura eſſet lex actuum divinorum liberorum, quia pariter tales actus illam docent: hoc autem ſuperiùs rejecimus; ergo &c.

VII. Dico ſecundò. Lex naturalis non eſt formaliter ipſum lumen intellectuale in actu primo, ſeu quatenus eſt vis diſcernendi honeſta, & turpia. Probatur ex dictis. Nam omnis lex propriè dicta eſt ordinatio: at lumen intellectuale habitualiter ſumtum non eſt ordinatio, ſed vis diſcernendi; ergo &c. Tùm etiam: quia Deus habet lumen intellectuale perfectiſſimum, quo perfectiſſimè cognoſcit honeſta, & turpia; & tamen non habet legem propriè talem.

VIII. Dico tertiò. Lex naturalis ſita eſt in dictamine intellectus practici, non præcisè judicantis, & oſtendentis bonum, & malum; ſed inſuper imperantis, & obligantis. Quare lex naturalis, ut in nobis, deſcribi poteſt, quòd ſit: *Dictamen rationis practicæ ab æterna lege proveniens, quo dirigimur, & obligamur ad agendum, vel omittendum ea, quæ ſolo naturæ lumine cognoſcuntur, eſſe vel præcepta, vel prohibita.*

IX. Probatur utraque pars primò. Lex naturalis, ut dictum eſt, eſt participatio legis æternæ: ſed lex æterna non ſolùm eſt oſtenſiva boni, & mali, ſed etiam præceptiva, vel prohibitiva; ergo etiam lex naturalis. Secundò. Judicium oſtenſivum boni, & mali, ſeu eorum, quæ decent, aut dedecent ſuam naturam divinam, & contra quod operari non poteſt, eſt etiam in Deo: & tamen quia in Deo, qui non habet Superiorem ſe, non adeſt imperium obligans ab alio derivatum, in eo non eſt propriè lex erga ſuos actus; ergo &c. Tertiò. Quia, ut omnes tam Philoſophi, quàm Theologi conſentiunt, ratio legis non conſiſtit ſolùm in eſſe oſtenſivo boni, & mali; ſed in eſſe præceptivo, & obligativo: eſt enim propriè dicta regula, & menſura actuum humanorum: ſed judicium judicativum, & oſtenſivum boni, & mali, non poteſt eſſe talis regula, & menſura; ſiquidem talem bonitatem, aut malitiam ſupponit, & ſolùm illam oſtendit: regula autem, & menſura rectitudinem, vel obliquitatem non ſupponit, ſed ex applicatione ad illam dignoſcitur.

X. Ex his patet, nos loqui de lege naturali, ut in actu ſecundo denunciante, in quo eſſentia legis conſiſtit, quæ ſe habet per modum denunciationis. Quòd ſi ſumamus legem naturalem in actu primo; ſic in virtute, & quodammodo habitu lex naturalis eſt etiam, dum quis actu principia ejus non conſiderat; cùm ſemper maneat in intellectu lumen rationis, quod ſimul cum natura unicuique rationali creaturæ Deus indidit: ex quo, ſi uſu rationis polleat, poteſt formare judicium, & dictamen de agendis, vel omittendis. Eſtò enim tunc ſolùm actu habeamus legem, quando formamus has, vel ſimiles propoſitiones: *Bonum eſt agendum, malum eſt fugiendum;* poſtquam tamen tales actus tranſierunt, manet in nobis lex quaſi habitu, & virtute. Unde D. Tho. hîc *qu. 94. art. 1.* ait: *Et ſecundùm hunc modum poteſt dici, quòd lex naturalis ſit habitus: ſicut etiam principia indemonſtrabilia in ſpeculativis non ſunt ipſi habitus principiorum; ſed ſunt principia, quorum eſt habitus.*

§. III.

Solvuntur Rationes contrariæ.

XI. OBjicitur primò contra primam aſſertionem. Sunt aliquæ actiones malæ ex natura ſua, puta odium Dei, ut nullo modo malitia earum pendeat ex dictamine rationis; & aliæ ex natura ſua bonæ, ut earum bonitas ex judicio intellectus non dependeat: imò ſi nullus intellectus dictaret, illæ eſſent adhuc malæ, iſtæ bonæ; ergo ideo malæ, vel bonæ, quia naturæ rationali diſconvenientes, vel convenientes; ergo natura rationalis habet rationem legis.

XII. Confirmatur. Præcepta legis naturalis, ut *bonum eſt faciendum, malum fugiendum*, habent ex terminis neceſſariam connexionem; ergo ſunt talia independenter à quocumque dictamine libero. Sicut quia creaturæ poſſibiles habent neceſſariam connexionem cum ſuis principiis eſſentialibus, non pendent ab ullo judicio libero, etiam divini intellectus; ergo à ſimili &c.

XIII. Reſpondeo, diſt. ant. Eſſent adhuc malæ, vel bonæ in eſſe naturæ, conc. ant. In eſſe moris, nego ant. In actibus ergo naturâ ſuâ malis, vel bonis duplex malitia, vel bonitas reperitur. Una in eſſe naturæ, alia in eſſe moris. Prima non deſumitur per ordinem ad aliquam legem; ſed penes diſconvenientiam, vel convenientiam naturæ rationali, ut intelligitur habere inclinationem ad bonum in eſſe naturæ, precisâ omni lege. Secunda verò ſumitur proximè quidem per ordinem ad dictamen rationis naturalis; remotè verò per ordinem ad legem æternam: ſicque dictamen rationis naturalis, ut eſt participatio quædam legis æternæ, habet rationem legis in ordine ad illos actus.

XIV. Ad Confirm. dico, quòd præcepta naturalia conſiderari poſſunt, uno modo per modum quidditatis, & eſſentiæ poſſibilis; & ſic nullam dependentiam habent à dictamine intellectus etiam divini: unde à Deo cognoſcuntur per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & neceſſariam, ſicut aliæ veritates poſſibiles. Alio modo conſiderari poſſunt per modum exercitii, prout à Deo deſcendunt ad regulandas actiones humanas, & ad obligandam creaturam ad operandum rectè ſecundùm illa: & ſic procedunt à dictamine practico intellectus divini, & continentur in dictamine rationis creaturæ rationalis, quod eſt participatio quædam divini dictaminis.

XV. Si inſtes contra hæc. Si lex naturalis pendet à dictamine Dei; cùm hoc ſit Deo liberum, potuit non eſſe in Deo, & ſic potuit non præcipere actus neceſſariò bonos, & non prohibere actus neceſſariò malos: & ſic poterit homo illos omittere, iſtos verò elicere ſinè culpâ — Ad hoc jam dictum eſt *Dub. præcedente* §. 2. *nu.* 15. quòd ſuppoſito, quòd Deus voluerit creaturam rationalem producere, non potuit non velle ei præcipere actus neceſſariò bonos, & ei prohibere actus neceſſariò malos. Videantur ibi dicta.

XVI. Objicitur ſecundò contra ſecundam aſſertionem. S. Paulus *Rom.* 2. legem naturalem dicit eſſe ita intimam, ut homines ſibi ipſi ſint lex: quod explicans ait: *Oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientiâ ipſorum.* Cenſet ergo, legem naturalem eſſe ipſum lumen rationis homini cum natura inditum; quo fit, ut ſibi ipſi ſint lex, & hoc atteſtari conſcientiam ipſorum. Idem paſſim docent Patres, dùm ajunt, legem naturalem eſſe lumen ſignatum ſuper nos (ex *Pſal.* 4.) ſcriptam eſſe in cordibus noſtris, innaſci, & ſimilia: quæ indicant, eam non conſiſtere in actu, qui fluit, & tranſit; ſed in habitu, nempe, in lumine naturali rationis in actu primo, qui permanet: alioquin cùm nihil agimus, non maneret in nobis lex naturalis.

XVII.

Digitized by Google

XVII. Urgetur magis. Lex humana eſt vera lex, non ſolùm ut eſt in mente Legiſlatoris, vel ſubditi; ſed etiam ut eſt ſignum in aliqua ſcriptura permanens, aptum ad excitandam legis cognitionem; ergo ſimiliter lex naturalis non ſolùm eſt lex, cùm eſt actuale judicium de ea in mente Dei, vel hominis; ſed etiam dum eſt in lumine rationis ſcripta, apto ad excitandum tale judicium.

XVIII. Reſpondeo, Scripturam, & Patres, dum loquuntur de lege naturali, interdum de ea loqui in ſenſu cauſali: quo pacto eam ſumunt, dum eam vocant lumen ſignatum, ſcriptam in cordibus, ſynderesim, naturale judicatorium, & ſimilia. Vel interdum eam ſumunt pro aliquo conſecuto ad legem; ut dum eam vocant conſcientiam: hanc enim in pluribus diſferre à lege, jam oſtendimus; & præcipuè, quòd lex fertur circa agenda, conſcientia autem verſatur etiam circa ea, quæ jam facta ſunt: & propterea non ſolùm ligat, & obligat, ſed etiam accuſat, teſtificatur, damnat, remordet: in quo ſenſu eam ſumit S. Paulus. Lex ergo naturalis in ſenſu formali eſt divina ordinatio, ſeu præceptum à lege æternâ in dictamine rationis participatum, & homini intimatum: quo ſenſu idem Paulus dicit, quòd homines *ſibi ipſi ſunt lex*.

XIX. Ad id, quod urgetur, nego conſ. Nam lex humana ſemel promulgata, perſeverat in ſcriptura per modum actus ſecundi habitualiter permanentis; in quo, ut in ſigno, conſervatur imperium Legiſlatoris: at in lumine intellectuali lex naturalis manet ſcripta ſolùm per modum actus primi: qui ſicut non ſufficit ad legem conſtituendam, ita nec ad eam conſervandam.

XX. Objicitur tertiò contra eamdem. Quidquid eſt in animis noſtris, vel eſt potentia, vel habitus, vel actus, vel paſſio: ſed lex naturalis non eſt potentia animæ, nec paſſio, nec actus; alioquin cum nihil agimus, non maneret in nobis lex, nec eſſet in pueris, & amentibus; ergo eſt habitus.

XXI. Reſpondeo neg., abſolutè maj. Aliqua enim ſunt in anima, quæ nec ſunt potentia, nec habitus, nec paſſio; ſed ſunt in anima, ut in habente ea: ſicut in anima ſunt aliqui *actus, ut velle eſt in volente, & etiam cognita ſunt in cognoſcente*. Ita D. Thom. hâc *q. 94. a. 1. ad 1.* Sic ergo lex naturalis eſt in anima, ut in habente per modum actus; actu quidem, dum actu conſiderat; habitu verò, vel in potentia, dum conſideratio jam tranſiit, vel nondum conſideravit: & hoc modo lex naturalis in amentibus eſt habitu, in pueris autem eſt in potentia; quia nondum poſſunt perfectum dictamen de agendis conficere, nec ſibi divinam ordinationem, ac præceptum, in quo conſiſtit lex, intimare.

XXII. Objicitur quartò contra tertiam aſſertionem. Nemo poteſt ſibi legem imponere, ſed ſuperior inferiori, niſi fortè impropriè; unde imperium, quo homo ſibi imperat ſuas actiones, non eſt propriè lex: ſed ſi lex naturalis conſiſteret in dictamine rationis, jam homo imperaret ſibi, & lex eſſet in ipſo; ergo &c.

XXIII. Si reſpondeatur, negando abſolutè min. Nam dictamen illud non habet vim, & rationem legis, quatenùs eſt vel in nobis, vel aliquo modo à nobis; ſed quatenùs eſt nobis inditum, & impreſſum ab auctore naturæ, eſtque legis æternæ participatio ab ea derivata: hoc enim modo eſt verè, & propriè lex. Addo: huic inſtantiæ teneri reſpondere Contrarios ponentes legem naturalem, vel in lumine rationis, vel in natura rationali. Lex ergo naturalis homini eſt intrinſeca: unde ait Paulus Rom. 2. *Sibi ipſi ſunt lex*.

XXIV. Contra eſt. Primò. Dictamen illud, ut à Deo impreſſum, pertinet ad legem divinam: ſed lex divina à naturali diſtinguitur; ergo &c.

Digitized by Google

Secundò. Secluſâ quacumque Dei lege, aut præcepto, dictamen rationis naturalis dictat, quid ſit bonum, quidve malum.

XXV. Reſpondeo ad primam inſtantiam, legem naturalem diſtingui quidem à lege divina poſitivâ, ſed eſſe verè legem divinam. Tum quia Deum habet auctorem, ut vidimus, à quo in creatura rationali imprimitur. Tùm quia à lege æternâ participatur. Differt autem à lege divina poſitivâ, quia eſt de rebus naturâ ſuâ bonis, vel malis: ubi illa eſt de ſuâpte naturâ indifferentibus.

Ad ſecundam, nego ant. Nam cùm dictamen rationis naturalis ſit participatio legis æternæ; ſecluſâ Dei æternâ lege, ejuſque præcepto, nullum eſſet dictamen dictans hominibus in exercitio quid ſit bonum, quidve malum; & proinde nulla lex naturalis.

DUBIUM III.

An Lex Naturalis plura Præcepta contineat, an unum tantùm: & an ſit Una apud omnes?

§. I.

Reſolutio primæ Partis.

I. Dico. Lex naturalis continet plura præcepta; quæ tamen omnia ab uno tanquam à radice, & fundamento pendent, & reducuntur. Ita D. Tho. hâc *q.* 94. *a.* 2. cujus ratione ſic probo: *Præcepta legis naturæ hoc modo ſe habent ad rationem practicam, ſicut principia prima demonſtrationum ſe habent ad rationem ſpeculativam:* ſed principia ſpeculativa ſunt quidem plura, ſed in uno primo fundantur, à quo tanquam à radice dependent; ergo ſimiliter præcepta legis ſunt plura, quæ tamen in uno primo fundantur, & ab eo, ut à radice dependent. Maj. patet. Quia tàm principia demonſtrationum, quàm præcepta legis naturæ ſunt per ſe nota: & ſicut illa ſunt ratio, & regula demonſtrationum; ita iſta ſunt regula, & menſura humanarum actionum. Min. verò prob. Ubi enim invenitur ordo, ibi invenitur aliquod prius, à quo cætera pendent: ſed in his, quæ in apprehenſione cadunt, ens eſt id, quod primò apprehenditur, & cujus conceptus includitur in omnibus, quæ quis apprehendit; ergo primum principium indemonſtrabile in ratione entis, & non entis fundatur, nimirum: *Quodlibet eſt, vel non eſt. Vel, non eſt ſimul affirmare, & negare de eodem.* Ex quo deinde principio omnia alia deducuntur, ut ab eo dependentia, & in eo radicata, & fundata.

Tunc ſic: atqui ſicut primum, quod cadit in apprehenſione ſimpliciter, eſt ens; ita primum, quod cadit in apprehenſione practicæ rationis, quæ ordinatur ad opus, eſt bonum; omne enim agens agit propter finem, qui habet rationem boni; ergo primum principium in ratione practica eſt, quod fundatur ſupra rationem boni, & non boni, nempe, mali, quod eſt contrarium bono. Atque ſicut primum principium in ſpeculativis, ex quo cætera pendent, eſt illud: *Quodlibet eſt, vel non eſt:* ita primum principium in practicis, ſeu primum præceptum, à quo cætera pendent, & menſurantur, erit iſtud: *Bonum eſt faciendum, & proſequendum; & malum eſt vitandum.*

II. Cùm autem omnia illa, ad quæ homo habet naturalem inclinationem, ratio naturaliter apprehendat ut bona, & per conſequens opere proſequenda; & contraria eorum, ut mala, & vitanda: ſecundum ordinem inclinationum naturalium eſt ordo præceptorum legis naturæ. Prima ergo inclinatio hominis communis omnibus naturis eſt ad conſervationem ſui eſſe: & ſecundùm hanc dantur in lege naturali præcepta de conſervanda vita, & contraria impedienda. Secunda incli-

clinationis ſpecies in homine eſt ad ea, in quibus communicat cum cæteris animalibus, nempe, ad conſervationem ſuæ ſpeciei: & ad hoc datur naturalis lex de matrimonio ineundo, de prole educanda &c. Tertiæ inclinationis gradus eſt ad ea, quæ ſunt propria hominis, nempe, ad cognoſcendum Deum, & in ſocietate vivendum. Et ad hoc dantur præcepta naturalia de cognoſcendo, & colendo Deo, de aliis non offendendis, ſive in perſona, ſive in rebus; & de cæteris, quæ ad debitam cum aliis ſocietatem neceſſaria ſunt.

III. Ex dictis apparet, legem naturalem eſſe unam formaliter, & materialiter multiplicem. Multiplicem quidem: quia multa præcepta continet, & circa varias materias verſatur. Unam verò: Tùm quia omnia illius præcepta referuntur ad unum primum præceptum, ut docet S. Tho. hoc *a.* 2. *ad* 1. Tùm quia communicant in unica radice, ut ait hìc *ad* 2. Tùm quia omnia tendunt ad eumdem finem ultimum. Tùm quia unum eſt lumen rationis, quod ad varios variorum præceptorum actus inclinat.

§. II.

Reſolutio ſecundæ Partis.

IV. Sicut in ſpeculativis aliqua ſunt prima principia generalia omnibus nota; alia magis particularia, quæ ex principiis generalibus deducuntur, quæ non omnibus ſtatim innoteſcunt, ſed aliqua ſolis ſapientibus ſunt nota: ita & in practicis aliqua ſunt principia prima generalia, quæ menti cujuſque ratione utentis ſtatim ſeſe præſentant; ut ſunt iſta: *Bonum eſt faciendum, malum vitandum. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris;* alia minùs generalia, ex iſtis deducta, quæ ad illa ſe habent tanquam concluſiones.

Dum ergo quærimus: an lex naturæ ſit una apud omnes; quærere poſſumus: an ſit eadem quoad cognitionem apud omnes, ideſt, an ea, ſeu ejus principia, vel præcepta ab omnibus cognoſcantur, & tanquam vera æſtimentur: an verò ab aliquibus cognoſcantur, ab aliis non, ſeu ab aliquibus æſtimentur vera, ab aliis falſa: vel an ſit eadem quoad rectitudinem, ideſt, an ejus præcepta apud omnes ſint recta, & juſta, atque ut talia implenda; an verò apud quoſdam ſint juſta, apud quoſdam non juſta: ita ut fieri poſſit, quòd idem præceptum, ſecundum quòd ſonat, ab aliquibus impleatur juſtè, ab aliis non juſtè.

V. Dico. Lex naturæ quantùm ad prima principia communia eſt eadem apud omnes, & ſecundùm rectitudinem, & ſecundùm notitiam: ſed quantùm ad quædam propria, quæ ſunt quaſi concluſiones principiorum communium, eſt eadem apud omnes, ut in pluribus, & ſecundùm rectitudinem, & ſecundùm notitiam; ſed ut in paucioribus poteſt deficere, & quantùm ad rectitudinem, & quantùm ad notitiam. Ita iiſdem verbis S. Thomas hìc *q.* 94. *a.* 4.

VI. Prior pars ex eodem probatur. Prima, & generalia principia practica ſe habent ſicut prima, & generalia principia ſpeculativa: ſed hæc cognoſcuntur ab omnibus, quia ſolo lumine naturalis ingenii ab omnibus, qui uſum rationis habent, cognoſcibilia; ergo etiam illa.

VII. Probatur ſecundò. Prima principia vel nullo, vel facillimo diſcurſu indigent, ac ferè ſtatim cognitis terminis innoteſcunt: ſunt inſuper ſecundùm inclinationem omnibus naturalem; quæ eſt velut quædam proprietas ſecuta ad rationem, non propriam alicujus individui, ſed naturæ ſpecificæ, quæ omnibus eſt communis, & eadem in omnibus; ergo ab omnibus cognoſcuntur. Hinc nullus eſt adeò barbarus, qui, ſi rationis compos ſit, non ſciat, illud, quod eſt neceſſariò bonum, eſſe proſequendum, & malum fugien-

fugiendum, Deum eſſe colendum, nemini faciendum eſſe, quod ſibi non vult fieri, aut alia ſimilia; quæ, ut ait Auguſt. l. 3. de Doctr. Chriſt. cap. 14. *Nullo modo poſſunt ullâ gentili diverſitate variari*.

VIII. Poſterior pars probatur ex eodem. Nam ratio ſpeculativa, & practica, eſtò eodem modo ſe habeant quoad principia prima, & generalia; dum tamen procedunt ad propria, & particularia, diverſæ ſunt: *Quia enim ratio ſpeculativa præcipuè negotiatur circa neceſſaria, quæ impoſſibile eſt, aliter ſe habere; abſque aliquo defectu invenitur veritas in concluſionibus propriis, ſicut & in principiis communibus: ſed ratio practica negotiatur circa contingentia, in quibus ſunt operationes humanæ*. Hæc S. Thom. hoc *art*. 4. Ex quibus infert, quòd licèt in iis, circa quæ verſatur ratio practica, ſit aliqua neceſſitas quantùm ad principia communia: quantò tamen magis deſcenditur ad concluſiones particulares; tantò magis inveniri poteſt mutabilitas, & defectus: cùm concluſiones particulares magis de propinquo reſpiciant operationes, ac circumſtantias adeo multiplices; quas cùm variari contingat, fieri poteſt, ut actio, quæ ſecundùm ſe juſta eſt, ac recta, hîc & nunc tamen apud hos, vel illos non ſit recta.

IX. Quod explicans S. Doctor, ſubjungit: *Apud omnes enim hoc rectum eſt, & verum, ut ſecundùm rationem agatur: ex hoc autem principio ſequitur quaſi concluſio propria; quòd depoſita ſint reddenda: & hoc quidem, ut in pluribus verum eſt. Sed poteſt in aliquo caſu contingere, quòd ſit damnoſum, & per conſequens irrationabile, ſi depoſita reddantur; puta, ſi aliquis petat ad impugnandam patriam. Et hoc tantò magis invenitur deficere, quantò magis ad particularia deſcenditur: puta, ſi dicatur, quòd depoſita ſunt reddenda cum tali cautione, vel tali modo. Quantò enim plures conditiones particulares apponuntur; tantò pluribus modis poterit deficere, ut non ſit rectum, vel in reddendo, vel non reddendo*.

X. Quòd verò nec quoad cognitionem eadem ſit veritas concluſionum practicarum apud omnes, facile eſt percipere. Vel enim propter pravas affectiones, vel ob ignorantiam alicujus circumſtantiæ, vel propter aliud impedimentum, accidit, quòd homines non rectum ferant judicium de concluſionibus practicis; ſed eas revera ignorent: ſicut quidam putaverunt, mendacium eſſe aliquando licitum, ſimplicem fornicationem non eſſe peccatum, matrimonii vinculum diſſolvi poſſe mutuo conjugum conſenſu. Unde, concludit S. Thomas, hoc contingit: *propter hoc, quòd aliqui habent depravatam rationem ex paſſione, ſeu ex mala conſuetudine, ſeu ex mala habitudine naturæ: ſicut apud Germanos olim latrocinium non reputabatur iniquum, cùm tamen ſit expreſsè contra legem naturæ; ut refert Julius Cæſar. l. 6. de Bello Gallico*.

XI. Ratio autem eſt, quòd una, & eadem non eſt apud omnes illatio ex principiis generalibus. Hinc fit, quòd etiam apud Theologos de quibuſdam præceptis, ex eiſdem illatis minus conſtet, quàm de aliis; quia non ita clarè, & immediatè ex eiſdem inferuntur: quia quantò magis concluſio diſtat à principiis, tantò minùs eſt evidens. Sic v. gr. ex hoc principio: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, ſequitur evidentiſſimè; *ergo adversùs alterum non eſt proferendum falſum teſtimonium*: ſed non ita evidenter colligitur; *ergo non eſt proferendum falſum teſtimonium pro propriâ vitâ* conſervanda. Similiter ex eodem principio evidenter infertur; *ergo non eſt furandum*: ſed non ita evidenter ſequitur; *ergo pecunia non eſt danda mutuo ad uſuram*. Quamvis hæc duo: non eſſe proferendum mendacium, ſeu falſum teſtimonium, etiam pro conſervanda vitâ hominis; & non eſſe dandam pecuniam ad uſuram, ſint æquè præcepta legis naturæ, ac ea, ex quibus inferuntur.

Ac

Digitized by Google

Ac propterea fuerunt, qui in aliquo caſu dicerent, mendacium eſſe licitum, licitas quoque eſſe uſuras.

XII. Ex dictis colligo, legem naturalem obligare omnes homines, & omnibus eſſe latam, omnibus inditam; ac ſuper omnes ſignatum fuiſſe lumen vultus Dei, quo poſſint formare dictamen ſecundùm rationem naturalem: ita ut ſi eam non obſervent, rei ſint pœnæ æternæ: dicente Apoſtolo Rom. 2. v. 12. *Quicumque enim ſinè lege peccaverunt, ſinè lege peribunt*, ideſt, ſinè lege ſcriptâ cum ſola lege naturali. Eſt enim lex à Deo impreſſa, medio dictamine naturali deferente ordinationem legis æternæ ad omnes; ut quiſquis eam violet, Deum auctorem offendat, ejuſque æternam indignationem mereatur.

XIII. Nec refert, quòd dictamen rationis naturalis non cognoſcat, nec oſtendere queat pœnam æternam.

Non enim requiritur, quòd ratio naturalis cognoſcat quantitatem pœnæ, ut ad eam obliget tranſgreſſorem. Tùm quia ad incurrendum reatum alicujus pœnæ, non eſt neceſſe, ut ſubditus, qui legem tranſgreditur, cognoſcat, quanta pœna ſit ei debita: nam latro incurrit reatum ſuſpendii, etiamſi non ſciat, latrocinii pœnam eſſe ſuſpendium: ſed ſatis eſt, ut faciat aliquid tali pœna dignum, & ſciat hoc ipſum, quod agit, eſſe grave malum. Tùm quia ſufficit, ut Deus, qui legis naturalis eſt auctor, cognoſcat, quantam pœnam peccatum mortale mereatur.

An verò ab hac obligatione aliquis excuſari poſſit ex ignorantia, quæ ſit invincibilis, diximus *Tom.* præced. *Quæſt.* 1. *de Voluntario, & Involuntario Dub.* 7. §. 7. Videantur ibi dicta.

DUBIUM IV.

An ſub Lege Naturæ contineantur omnia Præcepta Decalogi, & Actus omnium Virtutum?

§. I.

Reſolvitur prima Pars.

I. Huic dubitationi anſam dederunt quidam Juriſtæ aſſerentes, ſub lege naturali contineri tantùm prima principia practica per ſe nota; non autem concluſiones ex eis deductas, cujuſmodi ſunt præcepta Decalogi: hæc enim exiſtimant, ad Jus gentium potiùs ſpectare. Propterea poſtquam *Dub. praeced.* diximus, legem naturalem plura præcepta continere; videndum eſt, an in his contineantur ea, quæ Decalogus proponit.

II. Dico. Omnia præcepta Decalogi (excepto tertio de ſanctificatione Sabbati, quod pertinet, quantùm ad determinationem temporis, ad legem poſitivam, & ſcriptam) pertinent ad legem naturalem. Ita communiter Theologi, & peritiores Juriſtæ. Dixi: excepto tertio de ſanctificatione Sabbati *quantùm ad determinationem temporis*. Nam quòd aliqua dies ſanctificetur in cultum Dei, præceptum naturale eſt: quòd verò taxetur talis dies, eſt præceptum cæremoniale. Et propterea S. Thomas in 3. *diſt.* 37. *q.* 1. *a.* 5. *quæſt.* 2. ait: *Praeceptum de Sabbato obſervando, quantùm ad aliquid morale eſt, & quantùm ad aliquid caremoniale, & quantùm ad aliquid poteſt etiam diei judiciale. Secundùm enim illud ejus, quod naturalis ratio dictat, praeceptum morale eſt; ut ſcilicet aliquo tempore homo contemplationi vacet: ſed taxatio temporis, in quo vacandum ſit, non eſt de dictamine naturalis legis: & ideo non eſt morale praeceptum. Sed ſecundùm quòd habet pro cauſa ſignificationem, ſic eſt caremoniale. Secundùm*

dùm autem quòd habet pro cauſa conditionem illius populi, cui ſubveniendum erat per hoc præceptum, judiciale eſt. Et propterea ibidem *quæſt.* 3. docet, quòd *obſervatio Sabbati quantùm ad illud, quod de naturali lege habebat, prout morale præceptum eſt, tempore gratiæ non ceſſavit; imò perfectiùs implendum eſt .... ſed taxatio diei, vel temporis, quæ ad legem moralem non pertinebat, veniente ſtatu gratiæ ceſſavit, ſicut & alia legalia.* Hoc idem docet S. Doct. hâc 1. 2. *q.* 100. *a.* 3. *ad* 2.

III. Prob. ergo concluſio primò ex eodem S. Thom. citatâ *q.* 100. *a.* 3. *in Corp.* Ubi poſtquam diſtinxit præcepta naturalia in prima, ſeu communia, quorum non oportet aliquam editionem eſſe, & in illa, quæ per diligentem inquiſitionem Sapientum inveniuntur ratione convenire; ſubdit: *Utraque tamen horum præceptorum continentur in præceptis Decalogi, ſed diverſimodè. Nam illa, quæ ſunt prima, & communia, continentur in eis, ſicut principia in concluſionibus proximis: illa verò, quæ per Sapientes cognoſcuntur, continentur in eis è converſo, ſicut concluſiones in principiis.* Quod repetit eadem qu. 100. a. 11. in C. Et Q. 14. de Verit. a. 11. ad 3. *Mandata* (inquit) *Decalogi ſunt de his, quæ naturalis ratio dictat. Et ideo quilibet tenetur ea explicitè cognoſcere.*

IV. Prob. ſecundò. Jus naturale, teſte Ariſt. 5. *Ethic. c.* 7. eſt illud, *quod ubique vim habet*, videlicet ex ipſa rei naturâ; *non quia videtur, vel non videtur.* Vel ut alii dicunt, jus naturale eſt illud, *quod nec genuit opinio, neque humana aliqua inſtitutio; ſed ex ſola ratione naturali vim habet.* Atqui tale eſt jus, quo omnia Decalogi præcepta obſervare tenemur; ea enim nec genuit opinio, nec humana inſtitutio, ſed ipſa naturalis ratio ad ea ſervanda impellit: quia quæ precipiunt, ſunt naturâ ſuâ bona, ut cultus Dei, honor parentum; quæ verò prohibent, ſunt naturâ ſuâ mala, ut furtum, adulterium &c. ergo &c.

V. Confirmantur dicta. Jus naturale diſtinguitur à poſitivo in hoc, quòd illud ſupponit honeſtatem in re, quam præcipit; ideo enim eam præcipit, quia ſuapte naturâ bonum: & ſupponit malitiam in re, quam prohibet, quæ proinde dicitur prohibita, quia mala: lex verò poſitiva non ſupponit in re, quam præcipit, aut prohibet, honeſtatem, vel malitiam, ſed illam inducit; ideoque potiùs eſt bona, quia præcepta, & mala, quia prohibita: ſed omnia Decalogi præcepta, etiam ſanctificatio diei (excluſa taxatione temporis) præcipiunt res naturâ ſuâ bonas, & prohibent res naturâ ſuâ malas, ut conſideranti patebit; ergo &c.

VI. Sed dices. Præcepta legis naturæ cum natura cordibus hominum inſeruntur, non dantur ſcripto: ſed præcepta Decalogi fuerunt data à Deo ſcripta in tabulis lapideis Moyſi; ergo non pertinent ad legem naturæ.

VII. Reſpondeo, diſt. min. Fuerunt primò data, neg. min. Quaſi ſecundò data, & veluti renovata, con. min. Ut enim docet D. Thom. hâc 1. 2. q. 99. a. 2. ad 2. *Legi divinæ conveniens erat, ut non ſolùm provideret homini in his, ad quæ ratio non poteſt; ſed etiam in his, circa quæ contingit, hominem impediri. Ratio autem hominis circa præcepta moralia, quantùm ad ipſa communiſſima præcepta legis naturæ, non poterat errare in univerſali; ſed tamen propter conſuetudinem peccandi obſcurabatur in particularibus agendis. Circa alia verò præcepta moralia, quæ ſunt quaſi concluſiones deductæ ex communibus principiis legis naturæ, multorum ratio oberrabat: ita ut quædam quæ ſunt ſecundùm ſe mala, ratio multorum licita judicaret. Unde oportuit, contra utrumque defectum homini ſubveniri per auctoritatem legis divinæ. Sicut etiam inter credenda nobis proponuntur non ſolùm ea, ad quæ ratio attingere non poteſt, ut* Deum eſſe trinum; *ſed etiam ea, ad quæ ratio recta pertingere poteſt, ut* Deum eſſe unum, *ad excludendum*

ratio-

Digitized by Google

rationis humanæ errorem, qui accidebat in multis. Ita S. Thomas.

VIII. Dices iterum. Lege *Omnes* ff. de Juſtitia. & jure; & lege *Bona fide*. ff. Depoſiti, ſub jure gentium ponuntur multa, quæ ex primis principiis practicis per evidentem conſequentiam deducuntur, & pertinent ad præcepta Decalogi: ſed jus gentium à jure naturali diſtinguitur; ergo præcepta Decalogi &c.

IX. Reſpondeo, jus gentium ſumi poſſe ſtrictè, & propriè, prout dicit id, quod eſt à gentibus communiter inſtitutum; & hoc modo à jure naturali diſtinguitur. Sumi etiam poſſe largè, & ſubjectivè, pro eo, quod eſt ab omnibus gentibus obſervatum; & hoc cum jure naturali coincidit, quia quæ ſunt de jure naturali, ab omnibus gentibus obſervantur: & in hoc ſenſu interpretandi ſunt textus allati ex jure. Fateor ſiquidem, jus gentium juri naturali valde eſſe affine. *Nam* (ut docet D. Thom. 1. 2. q. 95. a. 4.) *Ad jus gentium pertinent ea, quæ derivantur ex lege naturæ, ſicut concluſiones ex principiis; ut juſtæ emptiones, venditiones, & alia hujuſmodi, ſinè quibus homines ad invicem convivere non poſſunt, quod eſt de lege naturæ; quia homo eſt naturaliter animal ſociabile.* Et *ibi ad* 1. ait: *Jus gentium eſt quidem aliquo modo naturale homini ſecundùm quòd eſt rationalis; inquantùm derivatur à lege naturali per modum concluſionis, quæ non eſt multum remota à principiis: unde de facili in hujuſmodi homines conſenſerunt.*

§. II.

Reſolvitur ſecunda Pars.

X. Actus virtutum ſumi poſſunt, vel in genere, ſecundùm quòd actus virtuoſi ſunt; vel quatenus ſunt tales in propriis ſpeciebus.

Dico ergo. Omnes actus virtutum moralium in genere ſpectati, prout ſcilicet dicunt virtuosè agere, ſunt de lege naturæ, non verò ſi conſiderentur ſecundùm proprias ſpecies. Ita S. Thom. hâc q. 94. a. 3. qui priorem partem ſic probat. Illud eſt de lege naturæ, ad quod homo inclinatur ſecundùm ſuam naturam: ſed ad omnes actus virtutum moralium in genere homo ſecundùm ſuam naturam inclinatur; ergo omnes &c. Maj. eſt certa: omne enim illud, ad quod, ut ſibi conveniens, & bonum, natura hominis inclinatur, pertinet ad legem naturæ. Min. verò prob. Homo, utpote naturæ rationalis, inclinatur ad operandum ſecundùm rationem, & conſequenter virtuosè; unumquodque enim naturaliter inclinatur ad agendum ſecundùm inclinationem ſuæ formæ, ſicut ignis ad calefaciendum: forma autem hominis eſt anima rationalis.

XI. Confirm. Homo dum deliberatè, & ut homo operatur, tenetur agere ſecundùm rationem, & proinde virtuosè, & honeſtè: ita ut, ſicut diximus, dari nequeat in eo actus, qui ſit indifferens in individuo; ergo agere virtuosè in genere eſt homini lege naturali præceptum.

XII. Secundam verò partem probat S. Doctor. Multa enim in ſpecie, & in particulari ab homine virtuosè fiunt, ad quæ natura non primò inclinat, ſed per rationis inquiſitionem ea homines adinvenerunt, quaſi utilia ad benè vivendum; ideſt, quæ ſecundùm ſpeciem ſuam, & præveniendo legem poſitivam, indifferentia ſunt, ac nihil refert, an fiant, vel non fiant: poſtquam tamen lege humanâ determinata ſunt, virtuosè, ac laudabiliter fiunt; ergo non omnes &c.

XIII. Explicatur utraque pars. Actus temperantiæ ex genere ſuo, ideſt, quatenus actus virtuoſus, talis eſt, ut ad eum natura rationalis per ſe inclinet; & propterea lege naturæ præceptus eſt: quòd verò per abſtinentiam à carnibus, & tempore quadrageſimali debeat exerceri, hoc per rationis inquiſitionem adinvenit Eccleſia, tan-

quam utile: & ideo lege poſitiva, non naturali præceptum eſt.

XIV. Pro majori tamen intelligentia noto primò. Quòd cum S. Thom. dicit, omnes actus virtutum in genere pertinere ad legem naturalem, non intelligit, quòd unuſquiſque ex vi legis naturalis teneatur omnes actus virtutum exercere; cùm conſtet, multos eſſe in ſolo conſilio, & inter eos, qui ſunt in præcepto, certum ſit, non omnes lege naturali eſſe præceptos, ſed aliquos ſolâ lege ſupernaturali: ſed ſenſus eſt, quòd omnes actus virtutum, ſecundùm aliquid, ſunt de lege naturæ; inquantùm, ſcilicet, ſi fiant, deliberatè ab homine, ut homo eſt, debeant virtuosè, & conformiter rectæ rationi fieri, atque ita naturali inclinationi hominis reſpondere.

XV. Noto ſecundò. Quòd cum S. Th. dicit, aliquos actus virtutum non eſſe de lege naturæ ſecundùm ſpeciem, quia ſunt per inquiſitionem humanam adinventa; non loquitur de illis, ad quos natura, eſtò non primò, ſecundariò tamen inclinat, tanquam ad concluſiones neceſſariò ex præceptis legis naturæ deductas: ſed loquitur de illis, ſinè quibus lex naturæ ſecundùm ſe ſubſiſtit, & ſolùm à ratione humana per inquiſitionem ſunt adinventa ad majorem utilitatem: unde ſubdit: *Quaſi utilia* (non ait neceſſaria) *ad benè vivendum*.

XVI. Sed dices primò. Servare perpetuam virginitatem, jejunare in Quadrageſima, ſunt actus virtutis: & tamen iſta non pertinent ad legem naturę; ergo non omnes actus virtutum &c.

XVII. Reſpondeo, diſt. conſ. Non omnes actus ſecundùm ſeipſos, & in propriis ſpeciebus conſiderati, conc. conſ. Multa enim (ait D. Thom.) *ſecundùm virtutem fiunt, ad quæ natura non primò inclinat, ſed per rationis inquiſitionem ea homines adinvenerunt, quaſi utilia ad benè vivendum:* & hujuſmodi eſt ſervare virginitatem, jejunare in Quadrageſima, & alia opera ſupererogationis. Non omnes actus genericè ſumti, ſeu quatenus virtuoſi, nego conſ. Si enim fiant, lex naturæ jubet, ut fiant ſecundùm dictamen rationis: *Unde* (ait D. Thom.) *ſecundùm hoc omnes actus virtutum ſunt de lege naturali: dictat enim hoc naturaliter unicuique propria ratio, ut virtuosè agat.*

XVIII. Dices ſecundò. De ratione legis eſt, quòd ordinetur ad bonum commune: ſed quidam actus virtutis ſunt, puta caſtitatis, temperantiæ &c. qui ordinantur ad bonum privatum; ergo &c.

XIX. Reſpondet D. Tho. hoc a. 3. ad 1. *Quòd temperantia eſt circa concupiſcentias cibi, & potus, & venereorum; quæ quidem ordinantur ad bonum commune naturæ, ſicut & alia legalia ordinantur ad bonum commune morale.* Quemadmodum enim, quæ lege poſitivâ conſtituuntur, ut homines virtuosè convivant, ordinantur ad bonum commune morale: ita temperantia &c. ordinantur ad bonum commune naturæ, cujus conſervatio fit mediâ conſervatione hominum in particulari.

XX. Dices tertiò. In his, quæ ſunt ſecundùm naturam, omnes conveniunt; ſed in actibus virtutum non omnes conveniunt: id enim, quod eſt virtuoſum uni, poteſt eſſe alteri vitioſum; ergo &c.

XXI. Reſpondeo cum D. Tho. hîc *ad* 3. diſt. min. In actibus virtutum, ut virtuoſi ſunt, non omnes, nego min. In actibus ſecundùm ſe ipſos, & ut in propriis ſpeciebus, co. min. *Sic enim propter diverſas hominum conditiones contingit, quòd aliqui actus ſunt aliquibus virtuoſi tanquam eis proportionati, & convenientes; qui tamen ſunt aliis vitioſi, tanquam eis non proportionati.* Sic abſtinere à venereis virtuoſum eſt ſoluto, votum caſtitatis habenti, vitioſum verò conjugato, ſi uxor repugnet: & ſicut illi virtuoſum eſt abſtinere, ita huic non abſtinere virtuoſum eſt.

DU-

DUBIUM V.

An Lex Naturalis admittere poſſit Mutationem, Abrogationem, vel Derogationem, Interpretationem, vel Epiikejam?

§. I.

De Mutatione.

I. Lex naturalis poteſt intelligi mutari dupliciter. Uno modo per hoc, quòd aliquid illi addatur; alio modo per modum ſubtractionis: ut ſcilicet aliquid deſinat eſſe de lege naturali, quod priùs fuit ſecundùm legem naturalem. Ita D. Tho. hìc *a.* 5.

II. Dico ergo primò cum eodem. Si loquamur de mutatione, quâ id mutari dicitur, cui aliquid additur: quæ impropriè eſt mutatio; lex naturalis mutari poteſt. Ita S. D. *Multa enim ſupra legem naturalem ſuperaddita ſunt ad humanam vitam utilia, tàm per legem divinam, quàm etiam per leges humanas;* quæ vel hominem obligant ad aliquid, ad quod lex naturalis eum non obligat; vel ad alicujus actus valorem plus requirunt, quàm lex naturalis requirat. Sic in veteri Teſtamento multa erant tùm judicialia, tùm ceremonialia præcepta moralibus ſuperaddita: & in novo variæ ſunt leges divinæ de Sacramentis, & plurimæ quoque humanæ tùm eccleſiaſticæ, tùm civiles, quæ omnes ſunt additiones ad legem naturæ.

III. Dices. Lex naturalis præcipit actus omnium virtutum, ut nuper diximus cum D. Tho. ergo ſuperfluum videtur, aliquid ei ſuperaddere.

Nego primò ant. Nam non præcipit actus ſupernaturales Fidei, Spei, & Caritatis, qui neceſſarii ſunt ad finem ultimum conſequendum. — Nego quoque conſequ. Nam præter actus virtutum multa alia ſunt, quæ utiliter præcipi poſſunt. Primò enim ſæpè præcipitur ſola determinatio legis naturalis ad quædam particularia. Nam hoc præceptum, Deum colendum eſſe, determinatur in utroque Teſtamento per multa præcepta particularia de Sacrificiis, Orationibus, & Sacramentis. Hoc præceptum, malefactorem eſſe puniendum, per multas leges determinatur, certa pœnarum genera pro diverſis delictis ſtatuentes. Secundò. Poteſt etiam legi naturali aliquid addi per modum novi præcepti; quod tamen utile, ac neceſſarium ſit ad acquirendas, vel conſervandas virtutes, vel ad aliquem finem bonum conſequendum. Sic jure gentium introducta fuit rerum diviſio, & proprietas, bella, captivitates, ſervitutes, varii contractus, tùm ad juſtitiam, tùm ad pacem Reipublicæ conſervandam.

IV. Dico ſecundò. Si loquamur de mutatione propriè dictâ, quæ fit per modum ſubtractionis, vel diminutionis, ut ſcilicet aliquid deſinat eſſe de lege naturali, quod priùs fuit ſecundùm legem naturalem; ſic lex naturalis, quantùm ad prima principia legis naturæ, eſt omnino immutabilis: ita ut fieri non poſſit, quòd aliqua ejuſmodi, quæ prius erant leges naturales, vel ampliùs non ſint leges, vel deſinant obligare. Probatur. Quia ejuſmodi prima principia continent veritates, & regulas univerſales benè vivendi, adeo neceſſarias, & congruas naturæ rationali; ut ſicut iſta immutabilis eſt, ita nec illa, ut tranſeant de veris in falſa. Et de his loqui cenſendus eſt Philoſophus *l.* 5. *Ethic. c.* 7. dum ait: *Jus naturale eſſe, quod ubicumque eamdem vim habet;* & poſtea: *Quod in natura immutabile eſt, & ubique eamdem vim habet.* Hinc Gratianus initio Diſtinct. 5. tanquam remnotam proponit, quòd *Naturale jus cœpit ab exordio rationalis creaturæ; nec variatur tempore, ſed immutabile permanet.* Et Diſt. 6. ad Caput 3. *Moralia* (inquit) *mandata ad naturale jus*

ſpectant; atque ideo nullam mutabilitatem recepiſſe monſtrantur. Et poſtea: *Naturale ergo jus ab exordio rationalis creaturæ incipiens, ut ſupra dictum eſt, manet immobile*. Et Gregor. 9. C. *Cum tanto*, de conſuetudine ait: *Nemo ſanæ mentis intelligit, naturali juri (cujus tranſgreſſio periculum ſalutis inducit) quæcumque conſuetudine (quæ dicenda eſt veriùs in hac parte corruptela) poſſe aliquatenus derogari*. Ratio autem eſt: nam cùm lex naturalis nil aliud ſit, quàm dictamen rectæ rationis, quod ubique idem eſt, ac immutabile, quia fundatur in natura rationali, quæ ſemper eadem eſt, ac immutabilis; ideo lex naturalis immutabilis eſt.

V. Dices tamen. Jure naturali omnia bona erant communia, omniſque homines liberi erant: & tamen hominum voluntate, & potentum imperio, inducta eſt bonorum diviſio, & proprietas, ſicut & ſervitus — Rurſus Gloſſa in *c.* 17. *Eccleſiaſtici* dicit, naturæ legem aliquando emendari, & corrigi per legem ſcriptam — Tertiò. Sicut ſe habet Princeps ad legem poſitivam, & civilem, ita ſe habet Deus ad legem naturalem; non enim minùs Deus eſt legis naturæ conditor, quàm Princeps humanæ: ſed Princeps poteſt quamcumque legem humanam, & civilem mutare, reſcindere, abrogare; ergo pariter Deus legem naturalem poteſt mutare &c.

VI. Reſpondeo ad primum. Jure naturali poſitivè præcipiente, nego maj. Jure naturali non ſtatuente contrarium, ſed negativè ſe habente, co. maj. Ita D. Tho. hoc *a.* 5. *ad* 3. dicens: *Aliquid dicitur eſſe de jure naturali dupliciter. Uno modo, quia ad hoc natura inclinat, ſicut non eſſe injuriam alteri faciendam. Alio modo, quia natura non inducit contrarium: ſicut poſſumus dicere, quòd hominem eſſe nudum, eſt de jure naturali, quia natura non dedit ei veſtitum, ſed ars adinvenit. Et hoc modo communis omnium poſſeſſio, & una libertas dicitur eſſe de jure naturali; quia ſcilicet diſtinctio poſſeſſionum, & ſervitus non ſunt inductæ à natura, ſed per hominum rationem ad utilitatem humanæ vitæ: & ſic etiam in hoc lex naturæ non eſt mutata, niſi per additionem*. Quia propter rationabiles cauſas, puta, ut tollerentur lites, & res majori ſtudio curarentur, exiſtimatum fuit utilius, id, quod lex naturæ indeterminatum reliquerat, determinare, & ſtatuere rerum diviſionem.

Ad id, quod dicitur de ſervitute, addi poteſt, omnes homines jure naturæ eſſe liberos, nullâ ſuppoſitâ culpâ, aut injuriâ. Et in hoc ſenſu dicunt Juriſtæ *in Inſtit. de Jure naturali, Gentium, & Civili*, ſervitutem fuiſſe contra naturam de jure gentium introductam; quia ſpectatâ primâ rerum inſtitutione, antequam bella inter populos orirentur, fuiſſet contra jus naturæ redigere aliquem in ſervitutem. At poſteaquam propter injurias illatas, & bella exorta, eâdem naturæ lege non contradicente, licuit, ſe defendere, & hoſtem interficere, licuit etiam, illum in captivitatem redigere. Hinc fit, quòd cùm jus naturæ fecerit quidem homines liberos, ſed nec ſervitutem, nec rerum diviſionem prohibuerit; tàm rerum diviſio, quàm ſervitus non ſunt contra legem naturæ, ſed determinationes, ſeu additiones illius.

VII. Sed replicabis. Saltem contra jus naturale eſt, retinere rem alienam invito domino: ſed hoc præcipit lex præſcriptionis; ergo &c.

Reſpondeo, majorem veram eſſe, ſi retineatur res aliena manens aliena; non verò cùm res olim aliena facta eſt jure propria. Lex autem præſcriptionis non facit, ut invito domino retineatur res aliena manens aliena, quod eſſet derogare juri naturali: ſed ſolùm facit, ut id, quod erat alienum, jam non ſit alienum, ſed juſto titulo proprium: & hoc jure naturali potuit facere Reſpublica ob

Digitized by Google

ea ob bonum commune; ut in Tractatu de Juſtitia, & Jure, Deo annuente, dicemus.

VIII. Ad ſecundum reſpondeo cum S. Tho. hoc a. 5. ad 1. *Quòd lex ſcripta dicitur eſſe data ad correctionem legis naturalis. Vel quia per legem ſcriptam ſuppletum eſt, quod legi naturæ deerat. Vel quia lex naturæ in aliquorum cordibus quantùm ad aliqua corrupta erat, intantùm ut exiſtimarent eſſe bona, quæ naturaliter ſunt mala: & talis corruptio correctione indigebat.*

IX. Ad tertium, nego maj. Non enim eodem modo ſe habet Deus ad legem naturalem, ſicut Princeps ad poſitivam. Nam hic ſolâ ſuâ auctoritate, & voluntate dat vim legi poſitivæ: ea enim, quæ ſunt materia talis legis, ſolùm ſunt facienda, quia præcepta ſunt; & vitanda, quia prohibita. At Deus legem naturalem fert non merâ ſuâ voluntate, ſed ſuâ juſtitiâ eum ad id promovente: quia materia legis naturalis, vel eſt intrinſecè, & ſuâ naturâ bona, & ſic eſt præcipienda: vel ſuâ naturâ mala, & ſic eſt vetanda. Etenim *Sicut Apoſt. dicit 2. ad Timoth. 2. Deus fidelis permanet, negare ſeipſum non poteſt. Negaret autem ſeipſum, ſi ordinem ſuæ juſtitiæ auferret, cùm ipſe ſit ſua juſtitia. Et ideo in hac Deus diſpenſare non poteſt, ut homini liceat, non ordinatè ſe habere ad Deum, vel non ſubdi ordini juſtitiæ ejus.* Ita S. Tho. 1. 2. *q.* 100. *a.* 8. *ad* 2.

X. Dico tertiò. Lex naturalis quoad aliqua præcepta, & in aliquo particulari caſu mutari poteſt per ſubtractionem materiæ, mutatione tamen materiali, non formali. Dico quoad aliqua præcepta. Quædam enim præcepta ſunt, quæ vel expreſsè jubent in una determinatâ materiâ id, quod conjunctam habet neceſſariam honeſtatem; vel expreſsè vetant id, quod eſt intrinſecè malum, quodque ita inevitabiliter conjunctam habet turpitudinem, ut materia, in qua verſantur, nec ſecundùm ſe, nec relatè ad circumſtantias admittere queat limitationem, exceptionem, aut mutationem. Et de his præceptis dico, nullo modo mutari poſſe, nec ſecundùm ſe, nec ratione materiæ, aut circumſtantiarum: qualia ſunt iſta: *Deus eſt colendus. Virtutes ſunt amplectendæ. Juſtitia eſt ſervanda. Temperatè vivendum eſt. Non eſt mentiendum. Non pejerandum. Non falſum teſtimonium dicendum.*

XI. Loquor ergo de illis præceptis, quæ neque jubent honeſtatem, nec vetant turpitudinem, quæ ſit in materia invariabili: & de his dico, mutari poſſe mutatione materiæ. Et probo. Tunc lex mutatur per materiæ ſubtractionem, quando materia, in quam cadebat legis obligatio, deſinit eſſe materia legis: ſed in aliquibus præceptis legis naturæ ita contingere poteſt; ergo &c. Min. Prob. Lex naturalis ſtatuit, quòd bonum alienum invito domino non ſit retinendum, ſed reſtituendum ſit: & tamen ſi mutetur materia, puta, id, quod erat alienum, fiat proprium, ut contingit, cum poſſeſſor rei alienæ præſcribit, etiamſi antiquus dominus invitus ſit, poteſt ſecundùm naturalem legem illud retinere. Item de lege naturæ eſt, quòd depoſitum ſit reddendum: ſi tamen deponens illud petat in damnum, vel ſui, vel alterius, puta ad ſe, vel alium occidendum, mutatur materia legis, & depoſitum non eſt reddendum. Præceptum pariter naturale eſt, non occides: ſi tamen id fiat, vel mandato Dei, vel publicâ, ac legitimâ auctoritate, mutatur materia, & licita eſt occiſio.

XII. Dixi tamen, in his, aliiſque ſimilibus caſibus mutari legem materialiter, ſeu mutari materiam legis, non verò legem ipſam formaliter. Nam lex naturæ formaliter conſiderata non fertur in rem abſolutè, & quaſi abſtractè, ſed ut ſubeſt debitis circumſtantiis: dictat enim, rem alienam non eſſe invito domino retinendam, ſed dum manet aliena: depoſitum eſſe reſtituendum, ſed dum reſtituere illud

non

Digitized by Google

non cedit in damnum alterius: non eſſe occidendum, ſed injuſtè, & ſine legitima auctoritate. Ex quibus patet, dictamen legis naturalis eſſe formaliter invariabile, & mutatâ materiâ legis legem formaliter invariabilem perſeverare. Quapropter abſolutè pronunciandum eſt, legem naturalem non mutari in ſeipſa, nec mutari poſſe.

§. II.

De Abrogatione, Interpretatione, & Epiſkeja.

XIII. EX dictis planè conſtat, legem naturalem ceſſare non poſſe per abrogationem, ſive irritationem. Si enim ex quo fundatur in natura rationali, & lumine rectæ rationis dictante, ea eſſe proſequenda, quæ invariabiliter ſunt bona; ea verò fugienda, quæ invariabiliter, & neceſſariò ſunt mala; ſequitur, quòd ſit invariabilis, & formaliter immutabilis: potiori ratione ſequitur, eam non poſſe abrogari, aut irritari, ſive ab homine, ſive etiam à Deo, imò nec in ea diſpenſari, ut ſequente Dubio dicemus. Tùm etiam: nam ſi abrogari poſſet, vel hoc fieri poſſet ex defectu conſenſus ad ejus obligationem requiſiti, vel per contrariam conſuetudinem: atqui, ut lex naturæ obligandi vim habeat, non exigit hominum conſenſum; cum, ut dictum eſt, à noſtræ formationis primordio ab auctore naturæ in cordibus noſtris ſit ſcripta; dicente Auguſt. *l.* 13. *Confeſſ. c.* 23. Homo *factor legis debet eſſe, non judex*... Neque conſuetudo in contrarium eam abrogare poteſt: ut enim ait Lactantius l. 6. Inſtit. c. 8. *Huic* legi *nec abrogari fas eſt, neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari poteſt, nec verò aut per Senatum, aut per populum ſolvi hac lege poſſumus. Neque eſt quærendus explanator, aut interpres alius. Nec erit alia lex Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia poſthac, ſed & omnes gentes, & omni tempore una lex, & ſempiterna, & immutabilis continebit.* Quare Diſt. 8. Cap. *Qui contemta* dicitur (ex Auguſt. l. 3. de Bapt. contra Donat. c. 5. & 9.) *In Evangelio Dominus*. Ego ſum (*inquit*) Veritas: *non dixit*, Ego ſum conſuetudo. *Itaque, veritate manifeſtatâ, cedat conſuetudo veritati.*

XIV. Dices. Eſtò conſuetudini prævalere debeat lex naturæ; prava tamen conſuetudo poteſt legem naturæ à cordibus hominum abolere.

Reſpondet D. Thom. hâc *q.* 94. *a.* 6. legem naturæ non poſſe penitus aboleri, juxta illud Auguſtini l. 2. Confeſſ. c. 4. *Lex tua ſcripta eſt in cordibus hominum, quam nec ulla quidem delet iniquitas.* Et hoc maximè quantùm ad præcepta communiſſima omnibus nota, & ingenita, quæ funditùs deleri non poſſunt, niſi deleatur ipſa natura. Unde nullus ratione præditus ignorare poteſt, quòd vitia ſint fugienda, & bona amplectenda, non eſſe alteri faciendum, quod ſibi non vult fieri, & ſimilia.

XV. Dicit tamen primò. Deleri poſſe in particulari operabili: *Secundùm quòd ratio impeditur applicare commune principium ad particulare operabile, propter concupiſcentiam, vel aliquam aliam paſſionem*, ex qua contingit, quòd homo agat oppoſitum principio univerſali: hoc eſt, quòd impediente paſſione deleatur, ideſt, non ponatur in actu judicium particulare practicum conforme principio univerſali, quod eſt deleri negativè.

XVI. Dicit ſecundò. Quòd quantùm ad præcepta ſecundaria poteſt lex naturæ de cordibus hominum deleri; ſic ut eorum notitia priùs habita obſcuretur, vel etiam penitùs extinguatur: *Vel propter malas perſuaſiones (eo modo, quo etiam in ſpeculativis errores contingunt circa concluſiones neceſſarias) vel etiam propter pravas conſuetudines, & habitus corruptos: ſicut apud quoſdam non reputabantur latrocinia peccata, vel etiam vitia con-*

con-

tra naturam, ut etiam Apoſtolus dicit Rom. 1. Hæc S. Thomas.

XVII. An verò lex naturæ admittere poſſit interpretationem?

Reſpondeo affirmativè. Cùm enim non omnia legis naturalis præcepta ſint æquè nota, & æquè intellectu facilia; quædam ex illis aliquâ viri docti, & prudentis interpretatione indigent, ut verus eorum ſenſus haberi poſſit. Exempli gratia: lex naturalis, quæ jubet ſervare ſecretum, eget aliqua interpretatione; cùm ea non obliget in omni caſu, in eo ſcilicet, in quo cuſtodia ſecreti noceret Reipublicæ. Et eâdem ratione lex præcipiens alienum reſtitui, quæ intelligenda eſt, ſi fieri poſſit abſque periculo vitæ propriæ, vel alterius, puta, ſi furioſus enſem ſuum repeteret ad occidendum; lex enim de reddendo alieno non obligaret.

XVIII. Utrum verò lex naturæ admittere poſſit Epiikjam, ſeu æquitatem, vel moderationem, in quo diviſos invenio etiam Thomiſtas invicem,

XIX. Reſpondeo, Epiikiam ſtrictè ſumtam in lege naturæ locum habere non poſſe. Nam Epiikia ſtrictè ſumta eſt *legis emendatio, ubi deficit propter univerſale*, ut ait Phil. 5. *Eth. c.* 10. Quia enim, ut docet D. Tho. 2. 2. q. 120. a. 1. *Humani actus, de quibus leges dantur, in ſingularibus contingentibus conſiſtunt, qua infinitis modis variari poſſunt; non fuit poſſibile aliquam regulam legis inſtitui, quæ in nullo caſu deficeret. Sed Legiſlatores attendunt ad id, quod in pluribus accidit, ſecundùm hoc legem ferentes, quam tamen in aliquibus caſibus ſervare, eſt contra æqualitatem juſtitiæ, & contra commune bonum, quod lex intendit.* Unde Epiikia ſtrictè dicta ſupponit defectum in lege, & caſum à Legislatore non prævifum; & proinde mentem Legiſlatoris inveſtigat, quam habuiſſet, ſi cogitaſſet: ſed Deus legis naturæ auctor omnes caſus poſſibiles æternâ, ac infinitâ ſuâ ſapientiâ intimè prævidit; ergo in ea locum non habet Epiikia, ſed ſimplex interpretatio. Et ſi occurrat caſus, in quo lex naturæ, puta, de reddendo alieno, non ſit ſervanda; interpretari debemus, hunc caſum à Deo prævifum fuiſſe, & mentem illius fuiſſe, pro hoc caſu legem non ponere, ſed illum excipere.

DUBIUM VI.

An Lex Naturæ admittere poſſit Diſpenſationem?

§. I.

Prænotantur aliqua.

Quia ſuperiùs diximus, præcepta Decalogi ſub lege naturæ contineri; ideo hic etiam inquirimus: an præcepta Decalogi admittere poſſint diſpenſationem. Pro cujus intelligentia

I. Noto: aliud eſſe legis irritationem, abrogationem, derogationem, declarationem, ſeu interpretationem, & diſpenſationem. Nam irritatio eſt, quando lex aboletur, antequam perfectè obliget; quod tunc fit, quando plena, & perfecta legis obligatio pendet à voluntate alterius, qui illam non vult approbare: ut ſi oporteat legem latam à Republica approbari à Principe, vel viciſſim legem latam à Principe approbari à Republica; denegatâ tali approbatione, lex dicitur irritari. Hoc modo Pontifex cenſetur irritare legem in Concilio latam, ſi eam non approbet; & parens irritare votum filii impuberis, ſi contradicat. Abrogatio eſt, quando lex, quæ jam perfectè obligabat, ſimpliciter tollitur, & aboletur. Sic lex Moſaica quantùm ad cæremonialia, & judicialia poſt adventum Chriſti fuit abrogata. Derogatio eſt, quando lex ex parte tollitur, & ex parte manet, ut ſæpè fit in legibus mixtis. Declaratio, ſeu ut alii volunt, interpretatio, eſt, quando declaratur, legem in aliquo caſu non

non obligare. Diſpenſatio verò eſt, quando in aliquo caſu, quo reverà obligat lex, tollitur obligatio legis ab aliquo homine, vel Communitate in particulari, reliquis ſub obligatione manentibus. Quare ait D. Tho. in 4. diſt. 44. q. 1. a. 3. quæſtiunc. 4. ad 1. *Juriſtæ dicunt, quòd diſpenſatio eſt communis juris relaxatio.*

II. Non deſunt, qui pro eodem accipiant diſpenſationem, & declarationem: ſed minùs rectè. Primò. Quia diſpenſatio non poteſt fieri, niſi à Superiore. *Unde* D. Tho. 1. 2. q. 97. a. 4. ad 3. *Sicut* (inquit) *in lege humanâ publicâ non poteſt diſpenſare, niſi ille, à quo lex auctoritatem habet, vel is, cui ipſe commiſerit: ita in præceptis juris divini, quæ ſunt à Deo, nullus poteſt diſpenſare, niſi Deus, vel is, cui ſpecialiter ipſe committeret:* ſed declaratio ſæpè fit ab inferiori, maximè quando eis liquida eſt; nam in re dubia poteſt Superior ſibi reſervare interpretationem legis. Igitur ad diſpenſandum requiritur poteſtas, & juriſdictio; ad declarandum, doctrina, & prudentia. Unde Juriſtæ in ſuis commentariis declarant, & interpretantur Jus, non ſuper illud diſpenſant. Secundò. Tunc locum habet diſpenſatio, quando lex viget, & obligat; tunc declaratio, quando putatur, non obligare: nam diſpenſatio relaxat obligationem, declaratio oſtendit legem non obligare. Tertiò. Diſpenſatio requirit, ut maneant materia, & circumſtantiæ, ſub quibus lex ante obligabat: declaratio, ut mutatæ ſint. Quod clarè oſtendi poteſt in lege de jejunio quadrageſimali. Nam illa lex obligat hominem Chriſtianum, ut abſtineat ab eſu carnium, cum hac duplici circumſtantia, ſi nimirùm ſit ſanus, & habeat alios cibos, quibus ali poſſit. Quamdiu igitur manent hæ circumſtantiæ, lex obligat; & nemo poteſt eximi ab illius obligatione, niſi per diſpenſationem Superioris, vel illius delegati. Si autem mutentur circumſtantiæ, puta, ſi de ſano fiat æger, ut juvari non poſſit, niſi eſu carnium, aut ſi præter carnes nihil adſit, quo vita ſuſtentetur; jam locum habet declaratio, non autem dipenſatio: quia in tali caſu declaratur, legem non obligare. Nunc ad rem veniendo,

III. Diſſident in hac Doctores. Cùm enim ex præceptis Legis naturæ aliqua in Decalogo contineantur, alia extra Decalogum; quidam cenſent, Deum poſſe in utriſque diſpenſare. Ita Ochamus, Gerſon, & Almaynus: putant enim furtum, adulterium, mendacium, ac ſimilia, ideò ſolum eſſe mala, quia à Deo prohibita; ac proinde fieri poſſe, ut Deus ea alicui non prohibeat, & ſic illum à lege naturali diſpenſet.

Alii diſtinguunt. Quidam excipiunt omnia præcepta Decalogi: in his, ajunt, Deum non poſſe diſpenſare, in aliis poſſe. Ita Soto, Bellarminus. Durandus putat, poſſe à Deo diſpenſari in duobus, nempe, *Honora Patrem tuum. Non occides.* Alii diſtinguunt in Præceptis Decalogi præcepta primæ tabulæ, & ſecundæ; & dicunt: in præceptis primæ tabulæ nec à Deo diſpenſari poſſe, excepto præcepto de ſanctificatione Sabbati; in aliis poſſe. Quænam autem ſint præcepta primæ tabulæ, quænam ſecundæ, à tempore D. Auguſtini dubitatum fuit. Quidam enim (ut ait *Qu. 71. in Exod.*) quatuor priora, quæ Deum reſpiciunt, in prima tabula deſcripta fuiſſe, dicebant; ſex autem poſteriora, quæ reſpiciunt homines, ad ſecundam tabulam pertinere. Alii tria priora ad primam tabulam, ſeptem poſteriora ad ſecundam pertinere putabant. Notat tamen S. Doctor, qui *dicunt præcepta primæ tabulæ quatuor eſſe, ſeparant quod dictum eſt:* Non erunt tibi Dii alii præter me; *ut aliud præceptum ſit:* Non facies tibi idolum, *ubi figmenta colenda prohibentur. Unum autem volunt eſſe:* Non concupiſces uxorem proximi tui, *& omnia uſque in finem. Qui verò illa tria eſſe dicunt, & iſta ſeptem,*

unum

unum volunt eſſe, quidquid de uno colendo Deo præcipitur, ne aliud præter illum pro Deo colatur. Hæc autem extrema in duo dividunt, ut aliud ſit: Non concupiſces uxorem proximi tui; *aliud:* Non concupiſces domum proximi tui. *Decem tamen eſſe præcepta neutri ambigunt, quoniam hoc Scriptura teſtatur.* Hæc S. Auguſtinus. Priorem dividendi modum amplectuntur Calvinus *l. 2. Inſtit. c. 8. §. 12.* ac cæteri Acatholici; ut inde cultum Sacrarum Imaginum aperto, ac ſingulari præcepto vetitum oſtendant. Poſteriorem ſequuntur Catholici cum Auguſtino, citato loco concludente: *Mihi tamen videtur, congruentiùs accipi tria illa, iſta ſeptem.* Hoc poſito, Scotus cum ſua Schola cenſet, in duobus quidem prioribus præceptis, quæ negativa ſunt, diſpenſari à Deo non poſſe, in cæteris autem poſſe. S. Thomas verò, & ejus diſcipuli communiter cenſent, in nullo legis naturæ præcepto, ſive in Decalogo contenta, ſive extra illum, diſpenſari poſſe, ſive ab homine, ſive à Deo.

§. II.

Reſolutio prior.

IV. DIco. Nulla poteſtas humana, ſive Eccleſiaſtica, ſive civilis diſpenſare poteſt in iis, quæ ſunt de jure naturæ.

Prob. Ligatus à poteſtate ſuperiori non poteſt à poteſtate inferiori abſolvi, & diſpenſari: ſed homo per legem naturalem eſt ligatus à poteſtate ſuperiori, nempe, à Deo auctore illius, qui eſt ſuperior omni poteſtate creatâ; ergo non poteſt ullâ poteſtate creatâ, & humanâ abſolvi, ac diſpenſari.

V. Secundò. Ipſimet Principes, & Eccleſiæ Præſules tenentur præceptis legis naturæ; his enim omnis homo rationis compos obligatur, & maximè hi, qui præcipuè ratione, & prudentiâ pollere debent, ut alios debitè dirigant, & ordinent: ſed qui ſubduntur, & tenentur obſervare præcepta, non poſſunt ab eorum obſervantiâ alios diſpenſare; ergo &c.

VI. Tertiò. Si Pontifices, & Principes poſſent in aliquibus præceptis, quæ vel ſunt de jure naturæ, vel ad illud ſpectant, diſpenſare; maximè id poſſent in præceptis ſecundæ tabulæ: ſed id non poſſunt; aliàs poſſent dare poteſtatem fornicandi, interficiendi innocentem, aliena bona uſurpandi &c ergo &c.

VII. Dices primò. Summus Pontifex diſpenſat interdum ſuper reſidentia Paſtorum, quæ vel eſt de jure naturali, vel ſaltem divino poſitivo, ut ſtatuit Conc. Trident. *Seſſ. 23. c. 1.* de Reform. — Secundò. De jure naturæ eſt, ut, qui vovit, reddat Domino, qui vovit: ſed Summus Pontifex diſpenſat in votis; ergo &c. Tertiò. Sanctificatio diei feſti eſt de lege naturali: ſed Summus Pontifex, imo alii Præſules in ea ſæpè diſpenſant, & humana auctoritate diſpenſatum fuiſſe, legitur 1. Machabeorum 2. v. 41. *Omnis homo, qui venerit ad nos in bello die Sabbatorum, pugnemus adversùs eum* — Quartò. Summus Pontifex diſpenſat etiam ſuper gradus matrimonii prohibitos, *Levitici c. 20.* ergo ſimiliter diſpenſare poteſt in præceptis juris naturalis.

VIII. Reſpondeo ad ſingula. Ad primum quidem, vel nego, reſidentiam perſonalem Epiſcoporum eſſe de jure naturali, aut divino. Neque enim hoc ſtatuit Concilium: ſanxit quidem, de jure divino eſſe, quod Epiſcopi, quos Spiritus Sanctus poſuit regere Eccleſiam Dei, facti forma gregis in judicio, & veritate paſcant, & regant; ſed, quòd id faciant præſentiâ perſonali, licèt videatur deduci, expreſsè tamen non dixit: imò ibi loquens de reſidentia perſonali, eos quidem ad illam obligatos decernit, ſed quo jure, an naturali, vel divino non ſtatuit; quin potiùs declarat, quibus de cauſis juſtè à ſuis Diæceſibus abeſſe poſſint.

IX. Attamen dato, Epiſcopos jure naturali, ſive divino ad reſidentiam teneri, diſt. ant. Diſpenſat diſpenſatione propriè dictâ, quâ, ſtante obligatione, & debito perſonalis reſidentiæ, illum à reſidentia eximat, nego ant. Diſpenſatione impropriè dictâ, ſeu potius declaratione, quâ juſtis de cauſis declaret, ad reſidentiam perſonalem eum non obligare, con. ant. Et eodem modo reſpondeo *ad* 2. De voto, & ad tertium de Sanctificatione diei feſti. Cùm enim Pontifex, vel Eccleſia in dictis caſibus diſpenſare dicitur, ſenſus non eſt, quòd remanente debito perſonalis reſidentiæ, remanente voti obligatione, remanente lege de ſanctificatione diei feſti, aliquam particularem perſonam eximat ab obligatione, ſive reſidentiæ, ſive voti, ſive ſanctificationis diei feſti: ſed ſenſus eſt, quòd Pontifex, vel Eccleſia declaret, Paſtorum reſidentiam, voti redditionem, ſanctificationem diei feſti non eſſe in quibuſdam caſibus particularibus materiam legis præſcribentis ea. Seu clariùs: declaret legem naturalem, ſeu divinam non præſcribere paſtoribus perſonalem reſidentiam, cùm eos aliò vocant, vel utilitas publica, aut neceſſitas communis: declaret, votorum redditionem non præſcribi, cum redditio nocet, aut voventis ſaluti, aut communi Reipublicæ bono: declaret, quòd lex de ſanctificando die feſto non vetat opera ſervilia, cum ad vitæ conſervationem neceſſaria ſunt. Unde D. Thom. hâc 1. 2. *q.* 100. *a.* 8. *ad* 4. exponens textum allatum ex 1. *Machab.* ait: *Quòd illa excogitatio magis fuit interpretatio præcepti, quàm diſpenſatio. Non enim intelligitur violare Sabbatum, qui facit opus, quod eſt neceſſarium ad ſalutem humanam, ſicut Dominus probat Matth.* 12.

X. Hoc idem de diſpenſatione in voto docet S. Thom. 2. 2. *q.* 88. *a.* 10. *ad* 2. his verbis: *Cùm diſpenſatur in aliqua lege humanâ, non fit, ut legi humanæ non obediatur, quod eſt contra legem naturæ, & mandatum divinum; ſed fit, ut hoc, quod erat lex, non ſit lex in hoc caſu. Ita etiam auctoritate Superioris diſpenſantis fit, ut hoc, quod continebatur ſub voto, non contineatur, inquantùm determinatur in hoc caſu, non eſſe congruam materiam voti. Et ideo, cùm Prælatus Eccleſiæ diſpenſat in voto, non diſpenſat in præcepto juris naturalis, vel divini: ſed determinat id, quod cadebat ſub obligatione deliberationis humanæ, quæ non potuit omnia circumſpicere.*

Et hâc 1. 2. q. 100. a. 8. ad 3. *Sic igitur* (inquit) *præcepta ipſa Decalogi quantùm ad rationem juſtitiæ, quam continent, immutabilia ſunt: ſed quantùm ad aliquam determinationem per applicationem ad ſingulares actus (ut ſcilicet hoc, vel illud ſit homicidium, furtum, vel adulterium, aut non) hoc quidem eſt mutabile; quandoque ſolâ auctoritate divinâ, in his ſcilicet, quæ à ſolo Deo ſunt inſtituta, ſicut in matrimonio, & in aliis hujuſmodi; quandoque etiam auctoritate humanâ, ſicut in his, quæ ſunt commiſſa hominum juriſdictioni: quantùm enim ad hoc homines gerunt vices Dei, non autem quantùm ad omnia.*

XI. Ad quartum de diſpenſatione ſuper gradus matrimonii, dico, Pontificem diſpenſare in gradibus prohibitis lege humanâ Eccleſiaſticâ, non lege divinâ. Nam determinatio graduum, in quibus prohibita fuerunt conjugia in Levitico, non fuit lex moralis, ſed judicialis data à Deo pro ſolo populo Judaico, quæ ad Chriſtianos quoad omnia trahi non debet, de quo egimus in *Vera Eccleſiâ Tom.* 1. *c.* 13. *toto* §. 3.

XII. Dices ſecundò, & replicabis contra ſuperiùs dictâ. Si Pontifex dum diſpenſat in votis, vel aliis jure naturæ obligantibus, propriè non diſpenſat ſuper jus naturæ, ſed declarat ſolùm, ſtante tali causâ jus naturæ non obligare; fruſtra ad ipſum recurritur. Nam vel illa cauſa ſolvit obligationem juris naturalis, vel non ſolvit. Si non ſolvit; ergo Pontifex

pro-

propriè diſpenſat ſuper obligatione leges naturalis. Si ſolvit; fruſtra ad eum recurritur pro ſolvenda obligatione, quæ jam nulla eſt.

XIII. Confirm. Pontifex æquè utitur verbo *diſpenſandi*, dum ſolvit ab obligatione voti, ac quando diſpenſat ſuper lege à ſe poſitâ: ſed dum utitur hoc verbo ſuper lege à ſe poſitâ, propriè ſolvit obligationem legis; ergo pari ratione &c.

XIV. Reſpondeo, cauſam illam, ſi ſit legitima, verè ſolvere obligationem legis naturalis; adhuc tamen recurrendum eſſe, non ut Pontifex eam ſolvat, ſed ut cauſâ cognitâ, eam ſolutam declaret. Quemadmodum enim, licèt aliquis reverà certus eſſet, quòd res, quam proximus detinet, ad ſe pertineat, non poſſet tamen aliquando licitè auctoritate propriâ eam ſibi vindicare; ſed ad id eſſet poſtulanda, & expectanda ſententia judicis: ita etſi aliquis eſſet certus, ſe habere ſufficientem cauſam, cur cenſeatur ſolutus ab obligatione voti perſolvendi; non tamen deberet votum infringere, donec expoſitâ cauſâ coram Summo Pontifice, ceu Eccleſiæ ſupremo Capite, ejus declarationem haberet, quâ ſibi, & Eccleſiæ conſtaret, ipſum ad voti ſolutionem amplius non teneri.

XV. Ad Conf. nego conſ. Nam verbum *diſpenſo* eſt æquivocum. Interdùm enim ſignificat quemcumque actum Superioris, quo aliquid fit, aut cognoſcitur eſſe licitum, quod aliàs illicitum eſſet, aut cognoſceretur; ſive interim ille actus ſit propriè diſpenſatio, ſive ſola declaratio. Hoc enim penſandum eſt ex materia, ſupra quam cadit: ſi enim cadat ſupra materiam pleno jure ipſi ſubjectam, ſumitur pro diſpenſatione ſtrictè tali: ſi autem cadat ſupra materiam juris naturæ, quæ nulli poteſtati humanæ ſubjicitur, ſumitur pro ſola declaratione.

XVI. Verum quidem eſt, Pontifici competere jus collatum à Chriſto D. Petro, Matth. 16. v. 19. *Quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlis*. Sed hoc eſſe intelligendum in materia determinatâ, non in quacumque, ex eo conſtat; quia alioquin poſſet Summus Pontifex diſpenſare etiam ab obligatione veritatis dicendæ, eliciendi amoris Dei; ſicque efficere, ut mendacium, odium Dei, & perjurium eſſent licita, quod, ut dicemus, neque Deus efficere poteſt. Dedit ei Chriſtus poteſtatem ſolvendi, & ligandi, ſed à peccatis: at nec hoc quidem, niſi juſto judicio, & ſuppoſitâ idoneitate ex parte recipientis, ut docet D. Th. *in* 4. *diſt.* 18. *q.* 1. *a.* 1. *quæſt.* 3. Multò minus autem hoc convenire poteſt Imperatoribus, qui licèt habeant ſupremam poteſtatem in temporalibus; non poſſunt tamen ſolvere obligationem ſubditorum in promiſſis, pactis &c. & oppoſitum irritum declaratur in Clement. *Paſtoralis de re judicata*. Et hoc hac ratione: *Cùm illa Imperatori tollere non licuerit, quæ juris naturalis exiſtunt.*

§. III.

Reſolutio poſterior.

XVII. Dico. Neque à Deo poteſt propriè diſpenſari in ulla lege naturali, ſive ſit in Decalogo, ſive extra Decalogum. Eſt contra Ochamum, & ex parte etiam contra Scotum. Eam tamen expreſsè docet D. Tho. hâc 1. 2. *q.* 100. *a.* 8. & *in* 3. *diſt.* 37. *q.* 1. *a.* 4.

Probatur. Diſpenſare in lege, nihil eſt aliud, quàm concedere alicui, ut agat contra legem, quando lex viget, & obligat; ſeu, ut agat contra legem, manentibus materiâ, & omnibus circumſtantiis, ſub quibus lex viget, & obligat: ſed Deus non poteſt alicui concedere, ut manentibus materiâ, & omnibus circumſtantiis, ſub quibus lex naturalis viget, & obligat, agat quis contra eam; ergo non poteſt diſpenſare in lege naturali. Major ex ſæpè dictis conſtat. Min. verò prob. Quidquid fit contra legem naturalem,

quatenus viget, & obligat, hoc intrinſecè malum, ac turpe eſt; ergo non poteſt fieri licitum, & honeſtum per diſpenſationem.

XVIII. Confirmatur. Lex naturalis nihil aliud eſt, quàm naturale dictamen rectæ rationis; ergo quidquid eſt conforme legi naturali, eſt conforme rectæ rationi: ac viciſſim quidquid eſt difforme legi naturali, eſt difforme rectæ rationi. Ulteriùs. Quidquid eſt conforme rectæ rationi, hoc ita bonum eſt; ut non poſſit fieri malum, quamdiu manent illæ circumſtantiæ, ſecundùm quas eſt bonum: & ſimiliter quidquid eſt difforme rectæ rationi, hoc ita malum eſt; ut non poſſit fieri bonum, quamdiù manent illæ circumſtantiæ, ſecundùm quas eſt malum: ſed quidquid fit contra legem naturalem, eſt difforme rectæ rationi; ergo quidquid fit contra legem naturalem, hoc ita malum eſt, ut iiſdem circumſtantiis manentibus non poſſit fieri licitum per diſpenſationem.

XIX. Probatur ſecundò, & magis urgentur dicta. Materia præceptorum naturalium eſt ſecundùm ſe debita, ut fiat, vel debita, ut non fiat; ergo ſuper illa cadere non poteſt diſpenſatio. Antec. prob. Nam hæc eſt differentia inter materiam legis naturalis, & materiam legis poſitivæ; quòd materia legis naturalis ſuâpte naturâ eſt debita, ut fiat, quia intrinſecè bona, vel debita, ut non fiat, quia intrinſecè mala, etiamſi nullum adeſſet præceptum; ideoque dicitur præcepta, quia bona; & prohibita, quia mala: materia verò legis poſitivæ eſt debita, ut fiat, quia præcepta; vel debita, ut non fiat, quia prohibita; ideoque remoto præcepto ſuâ naturâ nec bona eſt, nec mala, ſed indifferens. Conſeq. prob. Alioquin ſequeretur, unum, & idem habere inſeparabiliter rationem debiti, ut fiat, vel non fiat, & eam inſeparabiliter non habere.

XX. Probatur tertiò ratione Divi Thomæ 1. 2. q. 100. a. 8. Præcepta, quæ continent ipſam intentionem Legislatoris, ſunt omninò indiſpenſabilia: Nam *tunc in præceptis debet fieri diſpenſatio, quando occurrit aliquis particularis caſus, in quo ſi verbum legis obſervaretur, contrariaretur intentioni Legislatoris:* ſed præcepta decalogi continent intentionem Legislatoris; ergo &c. Min prob. Intentio Legislatoris cujuslibet ordinatur primò ad bonum commune, ſecundò ad ordinem juſtitiæ, & virtutis, ſecundùm quem bonum commune conſervatur: ſed omnia præcepta Decalogi continent, vel ipſam conſervationem boni communis, vel ipſum ordinem juſtitiæ, & virtutis: tria enim priora continent ordinem ad bonum commune, & finale omnium, qui eſt Deus; reliqua verò continent ordinem juſtitiæ inter homines obſervandæ, ut ſcilicet cuique reddatur debitum, & nulli fiat indebitum; ergo omnia continent intentionem Legislatoris, & proinde ſunt indiſpenſabilia.

XXI. Explicatur magis hæc ratio. Lex naturalis, & Decalogi continet præcepta duplicis generis; affirmativa, quibus aliquid præcipitur, & negativa, quibus aliquid prohibetur: neutra autem ſunt diſpenſabilia. Nam affirmativa continent id, quod naturaliter juſtum eſt, hoc eſt, juſtitiæ legibus conforme: negativa verò, quod eſt naturaliter iniquum, hoc eſt, quod repugnat juſtitiæ legibus: atqui Deus, qui eſt ſua juſtitia, diſpenſando approbare non poteſt, ne fiat, quod juſtum eſt, aut ut fiat, quod injuſtum eſt; aliàs ageret contra ſeipſum, & contra legem æternam, quæ jubet, ut omnia fiant ordinatiſſimè, & ſecundùm juſtitiæ leges, ſive in ordine ad Deum, ſive in ordine ad homines, & oppoſitum vetat; ergo &c. *Deus ergo ſicut Apoſtolus dicit* 2. ad Timoth. 2. fidelis permanet, negare ſeipſum non poteſt: *Negaret autem ſeipſum, ſi ordinem ſuæ juſtitiæ auferret, cùm ipſe ſit ſua juſtitia. Et ideo in hoc Deus diſpenſare non poteſt, ut homini liceat, non ordinatè ſe habere ad Deum, vel*

non

Digitized by Google

non ſubdi ordini juſtitiæ ejus, etiam in his, ſecundùm quæ homines ad invicem ordinantur. Ita D. Thom. citato loco *ad* 2. Ex quibus formatur hæc ratio. Omnia præcepta Decalogi hominem dirigunt, ut vel ordinatè ſe habeat ad Deum, vel ſervet ordinem juſtitiæ: ſed Deus diſpenſare non poteſt, ut homini liceat, non ordinatè ſe habere ad Deum, & non ſubdi ordini juſtitiæ ejus, cùm ipſe ſit ſua juſtitia; ergo Deus in nullo ex præceptis Decalogi diſpenſare poteſt, aliàs diſpenſaret, ut licitè ageret contra ſeipſum, ideſt contra Deum.

§. I V.

Fundamenta Adverſariorum contra hanc ſecundam Aſſertionem.

XXII. OBjicies primò pro Ochamo. Deus poteſt præcipere odium ſui: id enim non implicat contradictionem; ergo etiam diſpenſare poteſt in lege naturali, etiam quoad præcepta, quæ dicuntur primæ tabulæ.

XXIII. Secundò. Deus non minorem habet poteſtatem in ſuis legibus, quàm Legislatores humani habeant in ſuis: atqui Legislatores humani habent poteſtatem in omnibus ſuis legibus diſpenſandi; ergo & Deus in omnibus ſuis legibus etiam naturali, & Decalogi.

XXIV. Tertiò. Si Deus in ſuis præceptis diſpenſare non poteſt, hoc ideo eſt, quia decrevit in illis non diſpenſare; ergo abſolutè poteſt in omnibus diſpenſare. Ant. videtur eſſe D Tho. ſupra laudati hoc *a.* 8. *ad* 2. dicentis, Deum non poſſe in ſua lege diſpenſare, quia *Fidelis permanet, & ſeipſum negare non poteſt.*

XXV. Reſpondeo ad primum, neg. ant. & ejus probationem. Nam Deus cùm ſit ſua juſtitia, concedere non poteſt, & approbare id, quod eſt eſſentialiter injuſtum, ut eſt revera odium Dei: repugnat enim æternæ Dei legi, quæ præſcribit, ut creatura ſuo Creatori ſubjiciatur per amorem: ita ut ſit extra ordinem, quem lex æterna immutabiliter conſervari jubet, ſi alteri à Deo ſeſe per amorem dominantem ſubjiciat.

XXVI. Ad ſecundum, neg. conſequ. Omnes enim leges humanæ, utpote poſitivæ, non continent intrinſecam juſtitiam, ſicut continet lex naturalis: & ideo Deus in ea diſpenſare non poteſt, non ex defectu poteſtatis, ſed propter ipſam rei impoſſibilitatem, ſicut non poteſt creare impoſſibile. Quare D. Tho. 1. p. q. 25. a. 3. *Ea verò* (inquit) *quæ contradictionem implicant ſub divina omnipotentia non continentur, quia non poſſunt habere poſſibilium rationem. Unde convenientiùs dicitur, quòd ea non poſſunt fieri, quàm quòd Deus non poſſit facere.* Ut ergo paritas curreret, deberet ſic dici. Non minoris poteſtatis eſt Deus in ſuis legibus poſitivis, quàm ſint homines in ſuis: ſed homines in ſuis legibus poſitivis diſpenſare poſſunt; ergo & Deus in ſuis. Alioquin ſyllogiſmus erit in quatuor terminis, & nihil concludet, quia à legibus poſitivis ſit tranſitus ad legem naturalem.

Reſpondeo ſecundò, neg. min. Ut enim docet D. Tho. hoc a. 8. *Si poneretur hoc præceptum in aliqua Communitate, quòd nullus deſtrueret Rempublicam, neque proderet civitatem hoſtibus; ſive quòd nullus faceret aliquid injuſtè, vel malè, hujuſmodi præcepta eſſent indiſpenſabilia*, quia continent intentionem Legislatoris: ſed hujuſmodi ſunt omnia præcepta legis naturalis; ergo &c.

XXVII. Ad tertium, nego ant. Cùm enim S. Tho. hìc *ad* 2. docet, Deum non poſſe diſpenſare in lege naturæ, quia fidelis eſt, & ſe ipſum negare non poteſt; non intendit, ideo diſpenſare non poſſe, quia promiſit, vel ſtatuit non diſpenſare: ſed quia, ut ibi dicit, cùm ſe ipſum negare non poſſit, hoc eſt, juſtitiam, & ordinem juſti-

Digitized by Google

juſtitiæ, non poteſt diſpenſare in legibus, quæ ordinem juſtitiæ ſive ad ſe, ſive ad homines continent: aliàs diſpenſando in illis, ordinem juſtitiæ tolleret, ac ſe ipſum, qui juſtitia eſt, negaret.

XXVIII. Sed replicabis. Si Deus non poſſet abſolutè diſpenſare in præceptis legis naturalis, neceſſariò teneretur velle, licitum non eſſe colere idola, non licere mœchari, furari, & ſimilia: ſed Deus non neceſſitatur ad volendum aliquid extra ſe ipſum; ergo &c.

XXIX. Reſpondeo, diſt. min. Ad volendum quoad exiſtentiam, co. min. In hypoteſi, quòd exiſtat, nego min. Sicut ergo Deus eſtò non neceſſitetur ad volendum, quòd homo exiſtat; poſito tamen, quòd exiſtat, neceſſariò vult exiſtere animal: ita poſito, quòd homo odio habeat Deum, tale odium neceſſariò diſplicet Deo, & neceſſariò ei diſplicent quæcumque ſunt inintrinſecè mala, & ordinem juſtitiæ violant. Ideoque aliquid extra ſe vult neceſſariò ex hypotheſi, ſive approbando, & complacendo; ſive reprobando, & diſplicendo, quia ſe ipſum negare non poteſt.

XXX. Objicies ſecundò, Deum poſſe diſpenſare in præceptis ſecundæ tabulæ. Primò cum Durando. Deus diſpenſare poteſt in quarto præcepto Decalogi: *Honora Patrem tuum &c.* nimirum præcipiendo ei, ut ſineret, eum fame interire, utque nullam præſtet ei obedientiam, & reverentiam. Et ratio eſt: nam qui potuit homines ſinè parentum miniſterio creare, poteſt in lege circa parentum cultum diſpenſare: atqui Deus potuit primum; potuit enim reſpectu cujuſvis hominis facere, quod reſpectu Adami, & Hevæ præſtitit; ergo poteſt etiam ſecundum, quod dependet à primo.

XXXI. Reſpondeo, omiſſo ant. negando conſ. Nam cùm præceptum de honorandis parentibus ſit affirmativum, tantùm obligat, quando recta ratio dictat, honorem eſſe eis impertiendum. Unde ſi Deus alicui juberet oppoſitum, ſignum eſſet, quòd tunc recta ratio non dictaret, parentibus honorem, vel pietatis officia eſſe exhibenda: non quia Deus cum eo diſpenſaſſet, hoc eſt, feciſſet, ut liceret patri honorem non exhibere, quando illi exhibendus eſt; ſed quia præceptum in talibus circumſtantiis deſineret eſſe præceptum, & ceſſaret ejus obligatio. — Ad rationem autem ſubjunctam, nego maj. Nam ſuppoſito, quòd Deus voluerit, hominem ex parentibus procreari, nequit diſpenſatione ſuâ facere, quin à parentibus in eſſe dependeat, & tollere fundamentum, quo tenetur filius honorem eis rependere, juxta illud Eccleſiaſtici 7. v. 30. *Memento, quoniam niſi per illos natus non fuiſſes: & retribue illis, quomodo & illi tibi.* Ubi autem perſeverat tale fundamentum, recta ratio, contra quam Deus diſpenſare non poteſt, quia infinitè ſapiens, & juſtus, exigit, ut honor, & pietas eis exhibeatur.

XXXII. Objicies tertiò in favorem Scoti S. Bernardum in *Libro de Præcepto, & diſpenſat.* Ubi poſtquam diſtinxit neceſſarium in ſtabile, inviolabile, & incommutabile; *ſtabile* refert in humanas conſtitutiones, ſuper quibus Eccleſiæ Prælati, ubi caritas poſtulaverit, poſſunt diſpenſare: *incommutabile* (cap. 3.) dicit eſſe, quod divinâ ita conſtat, & æternâ ratione firmatum, ut nulla ex cauſa poſſit, vel ab ipſo Deo, aliquatenus immutari (& ſub hoc comprehendit ſpiritualem omnem traditionem habitam in ſermone Domini in Monte) *inviolabile* verò dicit eſſe, reliqua ſecundæ tabulæ præcepta: *Non occides, non mœchaberis, non furtum facies, & reliqua illius tabulæ legiſcita; quæ etſi nullam prorsùs humanam diſpenſationem admittant.... Dominus tamen horum, quod voluit, quando voluit, ſolvit, ſive cum ab Hebræis Ægyptios ſpoliari, ſive quando Prophetam cum muliere fornicaria miſceri præcepit.* Nec (inquit Fraſ-

ſen

Digitized by Google

ſen *Tract.* 4. *de Diſpenſ. leg. naturalis diſp.* 2. *a.* 3. *q.* 2.) hæc intelligi poſſunt de diſpenſatione impropriâ. Nam S. Bernardus talem diſpenſandi auctoritatem Deo concedit, qualem negat hominibus; at homines diſpenſatione impropriâ poſſunt diſpenſare in præceptis legis naturæ; ergo intelligendus eſt, diſpenſationem, quam Deo tribuit, eſſe propriè talem.

XXXIII. Reſpond. inprimis S. Bernardum, dato, quòd aliqua præcepta ſecundæ tabulæ admittat diſpenſabilia, non tamen omnia, ut Adverſarii volunt: nam cùm velit omnia, quæ in ſermone Dominico in monte tradita ſunt, eſſe incommutabilia, & indiſpenſabilia etiam à Deo; dicere tenetur, pravam mulieris concupiſcentiam, & falſum teſtimonium, quæ in præceptis ſecundæ tabulæ continentur, cùm de his ſermo Domini in monte mentionem faciat, eſſe diſpenſabilia.

Secundò. Reſpondeo, S. Bernardum non dicere, quòd Deus in præceptis ſecundæ tabulæ poſſit diſpenſare, ſed tantùm, quòd poſſit ea ſolvere, quod verum eſt: inquantùm Deus materiam illius præcepti ita immutare poteſt; ut quod alioquin foret illicitum, ipſo jubente, vel conſentiente fiat licitum, & non amplius illo præcepto prohibitum. Sicut illicitum eſt, innocentem occidere, rem alienam accipere, mulierem non ſuam cognoſcere: & tamen, ſi Deus tibi jubeat, hominem, etſi innocentem, occidere, ſi rem non tuam faciat tuam, ſicut & mulierem, quæ tua non erat, tuam reddat, non eris homicida, nec fur, nec mæchus; non quòd in præceptis illis diſpenſaverit, ſed quòd materiam illorum mutaverit, ut fuſiùs infra. In quo differt Deus ab homine: nam homo materiam præcepti mutare non poteſt, nec facere, quòd occiſio, quæ erat injuſta, ſit juſta; quòd res non tua, mulier non tua, præcipiendo fiat tua. Adeſt etiam differentia inter præcepta primæ tabulæ, quæ vocat incommutabilia, & præcepta ſecundæ tabulæ. Nam actiones per illa prohibitæ ita ſunt immutabiliter malæ; ut nullâ materiæ mutatione poſſint fieri licitæ, & non prohibitæ: nullo ſiquidem modo, ac nullâ materiæ mutatione fieri poteſt, ut adoratio Idoli, vel cultus alterius Dei, liceat; neque quòd juramentum falſum ſit licitum: ſicut etiam fieri nequit, quòd quiſpiam ſciens, & volens falſum dicat teſtimonium.

XXXIV. Objicies quartò in favorem ejuſdem. Deus de facto in præceptis Decalogi cum multis diſpenſavit; ergo poteſt diſpenſare. Antecedens probatur primò. Diſpenſavit cum Abraham in præcepto: *Non occides*; quando *Gen.* 22. *v.* 2. præcepit, ut Iſaac innocentem occideret: cum Samſone, ut ſeipſum interficeret, *Judicum* 16.

Diſpenſavit ſecundò in præcepto: *Non furandi*, cùm Iſraelitis; quando eis juſſit, ut vaſa aurea, & argentea ab Ægyptiis furarentur.

Diſpenſavit tertiò in præcepto: *Non dicendi mendacium*, cum obſtetricibus Ægyptiis, quas ob mendacium remuneravit, ædificando eis domos, ut habetur *Exodi* 1. *v.* 21.

Diſpenſavit quartò cum Iſraelitis *Deuteronomii* 23. cum indulſit eis, ut cum alienis fænerarentur: fœnus autem, ſeu uſura eſt quædam furti ſpecies.

Diſpenſavit quintò cum Oſea, cui (*cap.* 1.) juſſit, ut meretricem aſſumeret, & ex ea gigneret filios.

Diſpenſavit ſextò cum Patriarchis veteribus, quibus polygamiam, quæ legi naturæ contraria eſt, permiſit.

Diſpenſavit ſeptimò *Deuteron.* 24. *v.* 1. cum Judæis omnibus, quibus facultatem fecit per uxoris dimiſſionem ſolvendi matrimonii vinculum, licèt lege naturali ſit omnino indiſſolubile: *Si acceperit homo uxorem, & non invenerit gratiam ante oculos ejus, propter aliquam fœditatem: ſcribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimit-*

Digitized by Google

dimittet eam de domo ſua. Illam verò dimiſſionem non eſſe à thoro tantùm, ſed etiam à vinculo matrimonii, demonſtrant verba, quæ laudatis ſubjiciuntur: *Cùmque egreſſa alterum maritum duxerit: & ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, & dimiſerit de domo ſua, vel certè mortuus fuerit, non poteſt prior maritus recipere eam in uxorem &c.*

Diſpenſavit octavò cum Naaman Syro, ut adoraret idolum, illud adorante Rege; 4. *Reg.* 5. *v.* 19.

XXXV. Hæc ſunt exempla, quæ afferri ſolent ad oſtendendum, Deum aliquando in præceptis legis naturæ diſpenſaſſe: ſed parum efficaciter, teſte ipſomet Fraſſen. Nam reſponderi poteſt, omnia præfata non fuiſſe diſpenſationes propriè tales, ideſt, relaxationes legis immutatâ materiâ præcepti, & manente lege; ſed potiùs ablationem obligationis, & legis per mutationem materiæ, efficiendo nimirum, ut id, quod erat præcepti materia, deſinat eſſe materia illius præcepti, ut ſigillatim oſtendetur. Quare

XXXVI. Ad primum de Abrahamo nego, Deum reverâ diſpenſaſſe in præcepto: *Non occides*, ſed mutaſſe materiam, faciendo, ut occiſio innocentis, quæ privatâ auctoritate facta erat injuſta, & materia præcepti, facta auctoritate divinâ deſineret eſſe materia præcepti: cùm enim Deus ſit vitæ, & necis Dominus, ſive per ſe immediatè, ſive per homines tanquam miniſtros, poteſt ipſis etiam innocentibus, ubi ad illius gloriam contulerit, vitam eripere.

XXXVII. Sed dicit Fraſſen. Occiſio Iſaac habebat omnes circumſtantias, in quibus, ſi non adeſſet divina diſpenſatio, eenſenda eſſet prohibita per præceptum: *Non occides:* non minus, quàm comeſtio carnis die veneris ab homine ſano, ac benè valente habet omnes circumſtantias, per quas eſſet illicita, ſi non adeſſet Summi Pontificis diſpenſatio; ergo ſicut comeſtio carnium ab homine ſano ſit licita propter diſpenſationem, ita & occiſio Iſaac &c. Vide S. Tho. hìc *ad* 3.

XXXVIII. Reſpondeo tamen, neg. ant. Ut enim eſſent circumſtantiæ, in quibus occiſio fuiſſet illicita, ſi non eſſet diſpenſatio, debuiſſet fieri privatâ auctoritate; & ut Deus in præcepto propriè diſpenſaſſet, debuiſſet illi præcipere, ut privatâ auctoritate illum occideret: ſic enim maneret materia prohibita per præceptum: *non occides*. Verùm cùm Deus præceperit Abrahæ, ut occideret filium auctoritate divinâ, mutata fuit materia; nec enim occidere auctoritate publicâ, & multo magis divinâ, præfati præcepti materia eſt. Quod declaratur exemplo à Fraſſen allato. Cum enim Pontifex concedit alicui ſano, ac benè valenti, ut comedat carnes die veneris, verè diſpenſat in præcepto abſtinentiæ; quia hæc eſt materia præcepti, ut homo ſanus abſtineat: ſed ſi infirmo, aut malè valenti præcipiat, ut carnes comedat die veneris, non propriè diſpenſat: quia materia præcepti non eſt, quòd abſtineat eâ die à carnibus infirmus, ſed ſanus.

Ad id, quod additur de Samſone, dico, nullam factam fuiſſe cum eo diſpenſationem: quia quando ſeipſum unâ cum aliis occidit, id fecit motus ex ſpeciali Spiritus Sancti inſtinctu, & conſequenter auctoritate à Deo acceptâ, & juſtè: talis autem interfectio nullâ lege prohibetur. De quo ſuperiùs diximus *Tom.* 7. *Qu.* 3. *de Act. human. moralit. Dub.* 7. §. 3.

XXXIX. Ad ſecundum, ex dictis, nego, Deum cum Iſraelitis propriè diſpenſaſſe in præcepto furti, faciendo ſcilicet, ut acciperent aliena; ſed faciendo, ut quæ fuerant aliena, jam eſſent ſua. Unde D. Thom. hìc ad 3. *Si alicui* (inquit) *auferatur, quod ſuum erat, ſi debitum eſt, quòd ipſum amittat, hoc non eſt furtum, vel rapina, quæ præcepto Decalogi prohibentur. Et ideo, quando Filii Iſrael præcepto Dei tulerunt Ægyptiorum ſpolia, non fuit fur-*

Digitized by Google

ſurtum, quia hoc eis debebatur ex ſententia Dei. Et quamvis Ægyptii eſſent inviti, quia tamen Deus res illas eis donabat; non invito ſupremo Domino, ſed potius donante, eas auferebant. Eo vel maximè, quòd in recompenſationem operum, quæ Iſraelitæ pro Ægyptiis impenderant, & pro quibus nullam mercedem acceperant, eis tanquam debita dabantur. Quapropter S. Auguſt. *lib. 2. Quæſt. in Exod. q. 39.* ait: *Nec Iſraelitæ furtum fecerunt, ſed Deo jubenti miniſterium præbuerunt; quemadmodum cum miniſter judicis occidit eum, quem judex juſſit occidi: profectò ſi id ſponte faciat, homicida eſt, etiamſi eum occidat, quem ſcit, occidi à judice debuiſſe.* Et l. 22. contra Fauſtum cap. 71. *Ægyptii verò* (inquit) *ſacrilegi, & iniqui; nam & auro illo, hoc eſt, Dei creaturâ malè utentes ad Creatoris injuriam, ſuis Idolis ſerviebant, & homines peregrinos labore gratuito injuſtè, ac vehementer afflixerant: digni ergo erant, & iſti, quibus talia juberentur, & illi, qui talia paterentur.* Dicendum ergo cum D. Tho. in 3. diſt. 37. qu. 1. art. 4. ad 3. *Quòd circa praecepta Decalogi, ſecundùm quòd ad Decalogum pertinent, nunquam Deus contrarium fieri praecepit. Probibitio enim furti ad Decalogum pertinet, inquantùm res furata aliena eſt ab accipiente: retentâ ergo hac conditione, ſi res illa fiat ipſius accipientis, jam non erit contra Decalogum. Hoc autem non ſolùm Deus, qui eſt omnium Dominus, facere poterat; ſed etiam quandoque homines auctoritatem habentes, rem, quæ unius fuerat, alteri conferunt ex aliqua cauſa.*

XL. Ad tertium de obſtetricibus Ægyptiis ſuperiùs citato loco dictum eſt. Modò addo: in eis duo conſideranda occurrere, & intentionem, & medium, quo uſæ ſunt, ut intentionem executioni mandarent. Intentio non alia fuit, quàm ut prodeſſent Hebræorum maſculis, quos Pharao præſocari juſſerat: medium, quod adhibuerunt, fuit mendacium. Intentio igitur mercede temporali remunerata fuit, mendacium verò reprobatum. Uno verbo: earum benevolentia mercedem reportavit, non fallacia, benignitas mentis, non iniquitas mentientis. Unde patet, Deum nullo modo cum illis in mendacio diſpenſaſſe.

XLI. Ad quartum, nego, Deum diſpenſaſſe cum Iſraelitis, ut cum extraneis fænerarentur, hoc eſt, pecuniam darent ad uſuram, quaſi hoc approbando, & licitum faciendo; ſed purè tolerando, vel ſummendo fænus largo modo, nempe, pro mutuo. Ita S. Thom. 2. 2. *q. 78. a. 1. ad 2.* dicens: *Quòd autem ab extraneis uſuram acciperent, non fuit eis conceſſum, quaſi licitum, ſed permiſſum ad majus malum vitandum: ne ſcilicet à Judæis Deum colentibus uſuras acciperent, propter avaritiam, cui dediti erant, ut habetur Iſaiæ 56. Quòd autem in præmium promittitur:* Fæneraberis gentibus multis, *largè accipitur pro mutuo, ſicut & Eccleſ. 29. dicitur:* Multi non cauſa nequitiæ non fænerati ſunt, *ideſt, non mutuaverunt. Promittitur ergo in præmium Judæis abundantia divitiarum, ex qua contingit, quòd aliis mutuare poſſint.*

XLII. Ad quintum de Oſea dico, quòd Oſeas accedens ad mulierem, quæ aliàs erat fornicaria, non fuit fornicatus; quia accedens ad illam mandante Domino, fecit ſuam, quæ non erat ſua. Ita S. Thomas hâc 1. 2. *q. 95. a. 5. ad 2.* dicens: *Ad quamcumque mulierem aliquis accedat ex mandato divino, non eſt adulterium, nec fornicatio.* Et hâc q. 100. a. 8. ad 3. *Et ſimiliter* (inquit) *etiam Oſee accedens ad uxorem fornicariam, vel mulierem adulteram, non eſt mœchatus, nec fornicatus; quia acceſſit ad eam, quæ ſua erat ſecundùm mandatum divinum, qui eſt auctor inſtitutionis matrimonii.* Rurſus, *in 3. diſt. 37. q. 1. a. 4. ad 3.* ait: *Poteſt tamen Deus in aliquibus factis conditiones contrarias Decalogo auferre, qui & naturam mutare poteſt, quod homo facere non poteſt: ſicut ab ea, quæ non eſt matrimonio junc-*

ſta, *poteſt auferre hanc conditionem*, non ſuam, *ſine hoc*, *quòd uxor plenaria fiat*, *ut ſic accedere ad eam*, *non ſit contra decalogum*.

XLIII. Dico ſecundò cum S. Hieronymo in *c.* 1. *Oſeæ*, Prophetam juſſum fuiſſe, ut mulierem fornicariam acciperet ſibi in uxorem; id enim iſta verba ſignificant: *Sume tibi uxorem fornicariam*. Unde ait S. Hieronymus, *Ex quo, oſtenditur mulier iſta, quam Propheta ſumit in conjugem, non ſemel, ſed frequentiùs fornicata*. Quòd verò additur: *& fac tibi filios fornicationum*, proſequitur S. Hier. *Utrumque poteſt intelligi: quòd, & fornicaria priores de fornicatione ſuſceptos recipiat filios, & ipſe ex meretrice generet filios; qui idcircò fornicationis appellandi ſunt filii, quòd ſint de meretrice generati*, id eſt, non fornicatione patris, ſed fornicatione matris, juxta illud c. 2. v. 4. & 5. *Filii fornicationum ſunt, quia fornicata eſt mater eorum*. Hoc eodem modo exponit S. Auguſtinus *l.* 22. *contra Fauſtum c.* 80. Utrovis ergo modo exponas, nunquam invenies, Deum in præcepto de non fornicando cum Oſea diſpenſaſſe.

XLIV. Ad ſextum de Polygamia veterum Patriarcharum, nego, eam eſſe contrariam legi naturæ, ſaltem quantùm ad prima principia ejus. Ut enim docet S. Thomas in 4. diſt. 33. q. 1. a. 1. *Pluralitas uxorum neque totaliter tollit*, *neque aliqualiter impedit primum finem* (matrimonii) *cùm unus vir ſufficiat pluribus uxoribus fœcundandis*, *& educandis filiis ex eis natis*. Solùm ergo aliqualiter impedit ſecundùm finem, qui eſt pax familiæ, quæ vix eſſe poteſt, ubi uni viro plures uxores junguntur. Vel ut ait S. Doct. ibi *a.* 2. ſolùm eſt contra legem naturæ *quantùm ad ſecunda*, *quæ quaſi concluſiones à primis præceptis derivantur*: *ſed quia actus humanos variari oportet ſecundùm diverſas conditiones perſonarum*, *& temporum*, *& aliarum circumſtantiarum*; *ideo concluſiones prædictæ à primis legis naturæ præceptis, non procedunt*, *ut ſemper efficaciam habentes*, *ſed in majori parte* .... *ſed quia non eſt facile determinare hujuſmodi varietates*; *ideo illi*, *ex cujus auctoritate lex efficaciam habet*, *reſervantur*, *ut licentiam præbeat*, *legem prætermittendi in illis caſibus*, *ad quos legis efficacia non ſe extendere debet*, *& talis licentia diſpenſatio dicitur*. *Lex autem de unitate uxoris non eſt humanitus*, *ſed divinitus inſtituta* ..... *& ideo in hoc à ſolo Deo diſpenſatio fieri potuit &c.* Cùm ergo temporibus veterum Patriarcharum, finis primarius matrimonii, eſſet multiplicatio populi Dei, qui debebat ordinariè multiplicari non prædicatione, ſed generatione carnali; æquum erat, ut in his circumſtantiis Deus in lege de unitate uxoris diſpenſaret, ſeu veriùs declararet, legem de unitate uxoris non obligare, ſed deſinere, eam unitatem eſſe pro illo tempore legis materiam. Unde nec fuit iſta propriè diſpenſatio, ſed declaratio, ut ex dictis patet.

XLV. Ad ſeptimum dico, quòd in dimiſſione uxoris duo erant, ſcriptio libelli repudii, & dimiſſio uxoris. Primum contra legem naturæ non erat, imò congruum, ne ſcilicet dimiſſio illa temerariò fieret. Secundum verò non fuit permiſſio approbativa, ſed tolerativa tantùm: nec qui uxorem dimittebant, ac repudiabant, excuſabantur à peccato, quamvis excuſarentur à pœna ſecundùm leges infligendâ. Quapropter Chriſtus *Matth.* 19. *v.* 8. ait: *Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis*, *dimittere uxores*: *ab initio autem non fuit ſic*. Ac proinde ex hoc non convincitur facta in lege diſpenſatio de dimittenda uxore, ſed pura permiſſio ad majus evitandum malum; ne uxor facta viro odibilis, ab eo occideretur. Et hanc reſponſionem dicit S. Thomas in 4. *diſt.* 33. *q.* 2. *a.* 2. *quæſt.* 2. fuiſſe ſuo tempore communiorem.

Quia verò ibidem probabilem etiam cenſet opinionem, quòd eo tempore licitum fuit, & conceſſum uxoris repudium,

Digitized by Google

pudium; dicendum eſt, non propterea dici debere, quòd Deus diſpenſaverit in præceptis legis naturæ, ſed ſolùm in aliquibus concluſionibus: quæ licèt ex principiis legis naturæ procedant, non tamen ſemper cum efficacia, adeo ut non in omnibus perſonarum, & temporum circumſtantiis obligent: Eo modo, quo de pluralitate uxorum dictum eſt.

XLVI. Ad octavum, nego, cum Naamane diſpenſatum fuiſſe, ut adoraret Idolum, aliàs cum eo diſpenſatum fuiſſet in uno ex præceptis primæ tabulæ, quod, negat Scotus, fieri poſſe. Solùm ergo declaravit Eliſæus, quòd procumbere, & genuflectere ante Idolum, præcisè ut Regem procumbentem, & adorantem Idolum ſuſtentaret (quod Naamani in officio erat) non eſſet Idolum adorare, ac proinde ipſi licitum eſſet; ut alibi, Deo favente, dicemus.

XLVII. Objicies quintò. Deus diſpenſavit cum filiis Adæ, ut validum eſſet matrimonium fratris cum ſorore: ſed matrimonium fratris cum ſorore, eſt contra legem naturæ; ergo &c.

XLVIII. Reſpondeo primò, negando min. Matrimonium enim fratris cum ſorore in Mundi exordio non ſolùm non fuit per ſe, & ex lege naturæ illicitum, ſed fuit neceſſarium ad genus humanum propagandum; quamvis poſtea titulo honeſtatis factum ſit illicitum. Unde D. Auguſtinus L. 15. de Civit. Dei c. 16. *Cùm* (inquit) *ſorores accipere in matrimonium primis humani generis temporibus omnino licuerit* (conſuetudo) *ſic averſetur, quaſi nunquam licere potuerit: ad humanum enim ſenſum, vel alliciendum, vel offendendum mos valet plurimùm.* Ad conſuetudinem ergo, morem, ſeu ad jus gentium, non ad jus naturæ refert Auguſtinus prohibitionem conjugii inter fratrem, & ſororem.

XLIX. Reſpondeo ſecundò. Matrimonium fratris cum ſorore, ſicut diximus de pluralitate uxorum, eſſe non contra prima legis naturæ præcepta, ſed contra concluſiones; quæ eſto à primis præceptis procedant, non procedunt tamen, ut ſemper efficaciam habentes, ſed in majori parte, attentâ ſcilicet conditione perſonarum, & temporum. Quare eſtò poſtea, genere humano multiplicato, præceptum de non ineundo conjugio cum ſorore obligaverit; in exordio tamen Mundi, quando aliter iniri conjugium non poterat, non obligabat: ideoque nulla diſpenſationis propriè talis erat neceſſitas.

QUÆSTIO IV.

De Lege Veteri, ſeu Moſaica.

POſt legem naturalem ſequitur lex poſitiva, quæ duplex eſt: divina, & humana. Divina autem adhuc duplex: vetus, ſeu Moſaica, & nova, ſeu Evangelica. Quia autem inter leges poſitivas potior, ac dignior eſt lex divina, quàm humana; ideo dignitatis ordinem tenentes præmittimus legem divinam. Priùs agemus de veteri, quæ fuit diſpoſitio ad novam, omnia, quæ de illa quæri ſolent, pertractantes cum S. Thoma hâc 1. 2. à *quæſt.* 98. uſque ad *q.* 105. incluſivè.

DUBIUM I.

Utrum Lex Vetus fuerit Bona, Utilis, ac Perfecta.

§. I.

Rejiciuntur Errores.

I. LEgis veteris nomine intelligitur ea, quam acceptam à Deo Moyſes promulgavit, ideoque Moſaica dicta eſt. Tota continetur in Lege, in Prophetis, & Pſalmis. Legem continent quinque libri Moyſis; ideoque & leges omnes, quæ Adamo, Noemo, Abrahamo, & aliis veteribus Patriarchis ad Moyſen incluſivè datæ ſunt. Quæ Moyſes poſtea docuit,

Digitized by Google

eadem quoad multa ab Abrahamo ſervata ſunt: quæ autem ab Abraham, eadem & Noe, & Enoch agnoverunt munda ab immundis diſcernentes. Abel quoque ea, quæ didicerat ab Adamo obtulit Deo; Adamus verò Dei magiſterio inſtructus fuerat. Per Prophetas intelligitur quidquid ſcriptum eſt à Joſue, à Samuele, ab Eſdra, à ſexdecim Prophetis, & aliis Hiſtoriæ Sacræ ſcriptoribus. Tandem per Pſalmos accipiuntur Davidis, & Salomonis libri, & alii ejuſdem generis.

II. Contra legem veterem blaſphemarunt plures trium priorum ſeculorum hæretici, teſte Auguſtino *L. de Hæreſibus*. Ut (cap. 7.) Carpocratiani à Carpocrate, qui ſeculo ſecundo circa annum 129. temporibus Adriani Imper. & Xiſti Roman. Pont. emerſi ſunt. *Cajani* (*c.* 18.) ſeu Cainani eodem ſeculo ſic dicti, quia Cain honorabant. Cerdoniani (c. 21.) à Cerdone quodam Mago, circa ann. 144. ſub Antonino Pio, & Higino Rom. Pont. Marcionitæ (c. 22.) à Marcione Cerdonis diſcipulo, natione Pontico, circa ann. 155. ſub Antonino Pio Imp. & Pio I. Rom. Pont. Tandem Manichæi (c. 46.) à Manete Perſâ, circa ann. 271. temporibus Aureliani Imp. & Felicis I. Rom. Pont. quos latè S. Auguſtinus impugnavit, tùm in libris contra Fauſtum, tùm in L. contra Adverſarium legis, & Prophetarum, tùm alibi. Cùm enim præfati hæretici duo principia, ſeu duos Deos admitterent: unum bonum, alterum malum; legem veterem à Deo malo prodiiſſe aſſerebant; ac proinde eſſe malam, tùm ratione auctoris, tùm præceptorum, quibus homines onerabat.

III. Pelagiani verò Legem veterem ſummis laudibus celebrabant: ſed intentio earum prava erat: quia dum unum errorem vitabant, laudando nuptias in lege veteri inſtitutas, quas Manichæi damnabant; in alium ruebant, dicentes, ex nuptiis natos non contrahere peccatum originale, nec indigere gratiâ per Chriſtum. Ita S. Auguſtinus *L.* 4. *contra Duas Epiſt. Pelagian.* c. 5. dicens: *Rurſus in laude legis, quid eis prodeſt, quòd contra Manichæos verum dicunt; quando ex hoc ad illud volunt ducere, quod falſum contra Catholicos ſentiunt? Dicunt enim:* legem etiam veterem ſecundùm Apoſtolum juſtam, & ſanctam, & bonam fatemur, quæ cuſtodientibus mandata ſua, ac per fidem juſtè viventibus, ſicut Prophetis, & Patriarchis, omnibuſque Sanctis vitam potuit conferre perpetuam. *Quibus verbis calidiſſimè poſitis, legem contra gratiam laudant. Neque enim lex illa quamvis juſta, ſancta, & bona, omnibus illis hominibus Dei, ſed fides, quæ in Chriſto eſt, vitam potuit conferre perpetuam.*

IV. Catholicè verò omnes, & legem veterem laudant, tanquam juſtam, & bonam, tàm ratione auctoris, quàm præceptorum, quæ imponebat; & fidem in Chriſtum, ejuſque gratiam ad vitam perpetuam neceſſariam eſſe, ac ſemper fuiſſe, confitentur.

§. I I.

Legem Veterem fuiſſe Bonam.

V. DIco. Lex Vetus fuit bona. Eſt concluſio de fide contra præfatos Hæreticos, eamque ſtatuit D. Th. hâc *q.* 98. *a.* 1. qui nomine legis non intelligit ſola præcepta Decalogi tabulis lapideis inſcripta, & per Moyſen ad populum Iſraeliticum delata: ſed totam eam doctrinam, vel diſpoſitionem, quæ per Moyſen eidem populo data eſt, juxta illud Deuteron. 33. v. 4. *Legem præcepit nobis Moyſes*. Undè *q.* 99. dividit præcepta legis in Moralia, Cæremonialia, & Judicialia. Dicitur autem lex vetus; vel quia tempore præceſſit novam, quò reſpexit Apoſtolus cùm *Hebr.* 7. *v.* 18. dixit: *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati:* Vel quia erat figura prænuncians, & teſtificans novam. Undè S. Auguſt. *l.* 4. *contra Fauſtum c.* 2. ait; *Veteris quippe teſtificatio fidem novæ con-*

Digitized by Google

conciliat. Hanc ergo fuiſſe bonam.

VI. Probatur primò ex Apoſtolo *Roman.* 7. *v.* 12. dicente: *Itaque lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, juſtum, & bonum*. Quia verò Manichæi reſpondebant, S. Paulum non loqui de lege veteri, ſic inſto. De illa lege loquitur Paulus, eamque dicit, eſſe ſanctam, mandatum juſtum, & bonum, de qua ſuperiùs dixerat v. 7. *Nam concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret, non concupiſces:* atqui lex, quæ dicit, *non concupiſces:* eſt lex vetus data à Deo Moyſi; ergo hanc dicit Paulus, eſſe ſanctam &c. Unde S. Auguſtinus Serm. 152. aliàs 45. de Tempore: *Quid* (inquit) *tam ſanctum, quàm non concupiſces? Non eſſet mala legis prævaricatio, niſi ipſa eſſet bona. Si enim non eſſet bona, non eſſet malum, prævaricari rem malam. Quia verò malum eſt, eam prævaricari; ergo bona eſt. Quid tam bonum, quàm* non concupiſces? *Lex ergo ſancta, & mandatum ſanctum, & juſtum, & bonum.*

VII. Secundò probatur. Nam Chriſtus legem veterem probavit verbo, & facto. Verbo quidem, quando *Matth. c.* 8. *v.* 4. leproſo, quem mundaverat, dixit: *Vade, oſtende te Sacerdoti, & offer munus, quod præcepit Moyſes:* & cap. 23. v. 2. & 3. *Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi. Omnia ergo, quæcumque dixerint vobis, ſervate, & facite.* Facto verò, quando fuit circumciſus, & quando cum parentibus aſcendit in Jeruſalem ſecundùm conſuetudinem diei feſti, *Lucæ* 2. Item quando, *Joann.* 7. aſcendit ad diem feſtum, & alibi ſæpè.

VIII. Probatur ratione D. Thomæ hoc a. 1. *Sicut Doctrina oſtenditur eſſe vera ex hoc, quòd conſonat rationi; ita etiam lex aliqua oſtenditur eſſe bona, ex hoc, quòd conſonat rationi rectæ:* ſed *lex vetus rationi* rectæ *conſonabat, quia concupiſcentiam reprimebat, quæ rationi* rectæ *adverſatur, ut patet in illo mandato*: Non concupiſces rem proximi tui, *quod ponitur Exodi* 20. *Ipſa etiam omnia peccata prohibebat, quæ ſunt contra rationem;* ergo *manifeſtum eſt, quòd bona erat. Et hæc eſt ratio Apoſtoli, Rom.* 7. *v.* 22. Condelector (*inquit*) legi Dei ſecundùm interiorem hominem. *Et iterum*: Conſentio legi, quoniam bona eſt. *v.* 16.

IX. Sed opponebant hæretici primò illud *Ezechiel.* 20. *v.* 25. ubi Deus ait: *Ecce & ego dedi eis præcepta non bona, & judicia, in quibus non vivent:* ſed hic loquitur Deus de lege veteri; ergo hæc continebat præcepta non bona.

X. Reſpondeo primò exponendo textum: præcepta non bona, contrariè, ideſt mala, nego. Comparativè, ideſt minùs bona, concedo. Ita reſpondet S. Thom. *hoc a.* 1. *ad* 1. dicens: *Dominus loquitur ibi de præceptis cæremonialibus, quæ quidem dicuntur non bona, quia gratiam non conferebant, per quam homines à peccato mundarentur; cùm tamen per hujuſmodi ſe peccatores oſtenderent. Unde ſignanter dicitur:* Et judicia, in quibus non vivent, *ideſt, per quæ vitam gratiæ obtinere non poſſunt. Et poſtea ſubditur*: Et pollui eos in muneribus ſuis, *ideſt pollutos oſtendi*, cùm offerrent omne, quod aperit vulvam, propter delicta ſua. Huic interpretationi conſentit S. Gregorius *L.* 28. *Moral. c.* 18. *aliàs* 17. dicens, Deum populo rudi, & quaſi pannis infantiæ adhuc involuto dixiſſe, dedi eis præcepta non bona: *Mala enim, quaſi mala eſſe deſinunt comparatione pejorum: & bona quaſi bona non ſunt comparatione meliorum ..... ita melioribus novi Teſtamenti præceptis ſubſequentibus, præcepta bona, quæ rudibus data ſunt, non bona eſſe, memorantur.*

S. Hieronymus interpretans hunc locum dicit primò, quòd Judæis in captivitate diſperſis, *quæ naturâ ſuâ bona erant præcepta Domini, & judicia in quibus poſſent credentes vivere, facta ſint eis non bona, dum nequaquam valent, in captivitate legis præcepta ſervare ..... Neque dixit: dedi eis præcepta* mala, *ſed* non bona. *Non enim ſtatim ſequitur, ut quod bonum non eſt,*

ſit

ſit malum, ſicut Apoſtolus dicit 1. Cor. 7. bonum eſſe uxorem, vel mulierem non tangere: nec tamen ſequitur, quòd tangere uxorem ſuam ſit malum. — Dicit ſecundò, Deum præcepta bona Judæis dediſſe, ſed Judæos eum quaſi coegiſſe dare, quæ non dedit; ut *Dei præcepta bona vitio ſuo non bona facerent, dum Idolis exhibent, quæ Deus ſibi præceperat exhibenda*. Unde ly *dedi*, idem eſt, ac *permiſi*, ut quæ bona erant, vitio ſuo facerent mala. Utraque reſponſio à Manichæorum inſania veterem legem tuetur.

XI. Opponebant ſecundò. Lex, quæ culpâ non vacat, eſt mala: ſed lex vetus culpâ non vacabat, dicente Paulo ad Hebr. 8. v. 7. *Nam ſi illud prius* (Teſtamentum) *culpâ vacaſſet, non utique ſecundi locus inquireretur*. Ergo &c.

XII. Reſpondet S. Thomas in cap. 8. ad Hebr. lect. 2. *Quòd aliquid poteſt convenire legi dupliciter. Vel ſecundùm ſe, & ſic erat bona: vel ratione illorum, quibus data eſt: & ſic dicitur habere culpam, propter duo. Primò, quia non dabat virtutem ad purgandum commiſſa, infra c. 10.* Impoſſibile eſt ſanguine taurorum, aut hircorum auferri peccata. *Secundò, quia non dabat gratiam adjutricem ad vitandum peccata, ſed ad cognoſcendum, & ſic erat occaſio peccati, Roman. 7.* Concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret: Non concupiſces. *Et ſic dicitur non vacaſſe à culpa, quia homines in ipſa relinquebantur in culpa; & ideo inquirebatur ſecundi Teſtamenti locus, quo homines gratiâ adjutrice per Chriſtum à culpa liberarentur*. Huic expoſitioni conſentit S. Chryſoſt. *Homil. 14. in Epiſt. ad Hebræos*.

XIII. Opponebant tertiò. Ea lex non fuit bona, quæ non fuit hominibus ſalutifera, cùm de ratione legis ſit, ut communi ſaluti proficiat: ſed lex vetus non fuit ſalutifera, ſed mortifera, dicente Paulo Rom. 7. v. 8. & 9. *Sinè lege peccatum mortuum erat; ego autem vivebam ſinè lege aliquando: ſed cùm veniſſet mandatum, peccatum revixit*. Et ad Roman. 5. v. 20. *Lex ſubintravit, ut abundaret delictum*. Huc ſpectat illud 2. ad Cor. 3. v. 6. *Littera occidit, Spiritus autem vivificat:* ubi nomine litteræ legem intelligit.

XIV. Reſpondet D. Tho. hoc a. 1. ad 2. *Quòd lex dicitur occidiſſe, non quidem effectivè, ſed occaſionaliter ex ſua imperfectione; inquantùm ſcilicet gratiam non conferebat, per quam homines implere poſſent, quod mandabat, vel vitare, quod vetabat. Et ſic occaſio iſta non erat data, ſed ſumta ab hominibus. Unde & Apoſtolus ibidem dicit:* Occaſione acceptâ peccatum per mandatum ſeduxit me, & per illud occidit. *Ex hac etiam ratione dicitur, quòd* lex ſubintravit, ut abundaret delictum, *ut ly* ut *teneatur conſecutivè, non cauſaliter: inquantùm ſcilicet homines accipientes occaſionem à lege abundantiùs peccaverunt. Tùm quia gravius fuit peccatum poſt legis prohibitionem. Tùm etiam quia concupiſcentia crevit: magis enim concupiſcimus, quod nobis prohibetur*. Hæc S. Thomas. Qui rurſus in *c. 7. ad Rom. lect. 2.* obſervat, quòd peccatum ante legem vocatur mortuum: *Non quidem ſic, quòd peccatum non eſſet; quia per unum hominem peccatum in hunc Mundum intravit ante legem: ſed intelligitur, quòd erat mortuum, vel quantùm ad cognitionem hominis, qui quædam lege prohibita neſciebat eſſe peccata, puta, concupiſcentiam: vel quia erat mortuum quantùm ad efficaciam moriendi .... Non enim habebat tantam virtutem inducendi hominem ad mortem, quantum poſtea habuit occaſione acceptâ ſub lege*.

Eadem docet S. Auguſtinus *l. de Spiritu, & litt. c.* 4. ubi exponens, quomodo littera legis occidat, ait: *Ubi Sanctus non adjuvat Spiritus inſpirans pro concupiſcentia mala concupiſcentiam bonam, hoc eſt, caritatem diffundens in cordibus noſtris, profectò illa lex, quamvis bona, auget prohibendo deſiderium malum: ſicut aqua*

impe-

impetus ſi in eam partem non ceſſet influere, vehementior fit obice oppoſito; cujus molem cùm vicerit, majore cumulo præcipitatus violentiùs per prona provolvitur. Neſcio quo enim modo, hoc ipſum, quod concupiſcitur, fit jucundius, cùm vetatur. Et hoc eſt, quod fallit peccatum per mandatum, & per illud occidit, cùm accedit etiam prævaricatio, quæ nulla eſt, ubi lex non eſt.

XV. Opponebant quartò. Lex vetus primò fuit ſuperſtitioſa: prohibuit enim uſum ciborum, qui Dei benedictione conſecrati fuerant.

Secundò. Contraria fuit pietati: immundos enim reputabat eos, qui mortuorum cadavera ſepeliſſent.

Tertiò. Æquitati, & juſtitiæ adverſabatur. Tùm quòd *Deuteron.* 23. *v.* 24. cuique facultatem faceret tantum de vinea proximi ſumere, quantum vellet. Tùm quòd *Deuteron.* 24. vetaret accipere pignus à debitore. Tùm quòd *Levitici* 25. juſſerit, ut omnia debita anno Jubilæi remitterentur. Tùm denique, quòd *Deuteron.* 23. vetuerit, ne ſervus profugus domino reſtitueretur.

Quartò. Fovit concupiſcentiam vindictæ per legem talionis, *Exodi* 21. unde Chriſtus *Matth.* 5. *v.* 38. eum damnat, ac rejicit dicens: *Audiſtis, quia dictum eſt, dentem pro dente, oculum pro oculo: ego autem dico vobis, non reſiſtere malo.*

Quintò. Peccavit contra diſcretionem, tantum enim fuit illius jugum, ut portari minimè potuerit, juxta illud Petri, Actor. 15. v. 10. *Quid tentatis imponere jugum ſuper cervices diſcipulorum, quod neque nos, neque Patres noſtri portare potuimus?*

Sextò. Sapiebat crudelitatem, & tyrannidem: Chananæos enim, & Amalecitas unà cum liberis adhuc lactentibus interfici juſſit; ergo lex vetus non fuit bona.

Septimò. Bonorum abundantiam promittebat, *Deuteron.* 28. *v.* 4. 5. & 6. ſed rerum temporalium abundantia periculoſa eſt, ac nociva, unde eam reſpuit Salomon, Proverb. 30. v. 8. *Mendicitatem, & divitias ne dederis mihi*; ergo lex vetus mala promittebat; ergo non erat bona.

XVI. Reſpondeo ad ſingula. Ad primum dico cum Tertulliano *lib.* 2. *contra Marcionem c.* 18. legem aliquos cibos interdixiſſe, tùm ad comprimendam gulam, tùm ad formandum hominem ad jejunium; tùm ad monendum eum, ut fugeret vitia, quæ gulam comitantur, vel certis cibis adumbrantur: *Etſi lex* (inquit) *aliquid cibis detrahit, & immunda pronuntiat animalia, quæ aliquando benedicta ſunt; conſilium exercendæ continentiæ intellige, & frænos impoſitos illi gulæ agnoſce: quæ quum panem ederit Angelorum, cucumeres, & pepones Egyptiorum deſiderabat. Agnoſce ſimul, & comitibus gulæ libidini ſcilicet, atque luxuriæ proſpectum, quæ ferè ventris caſtigatione frigeſcunt .... Poſtremò ut faciliùs homo ad jejunandum Deo formaretur, paucis, & non glorioſis eſcis aſſuefactus, & nihil de lautioribus eſuriturus.* Ita Tertullianus.

XVII. Ad ſecundùm nego, apud Judæos reputatos fuiſſe immundos immunditiâ etiam legali ex mortuorum ſepulturâ, cùm potiùs id eſſet apud ipſos officium pietatis. Quare, *Tobias c.* 1. *c.* 20. laudatur, quia *mortuis, atque occiſis ſepulturam ſolicitus exhibebat.* Et *cap.* 12. *v.* 12. Angelus Raphael hujuſmodi pietatis officium in Tobia commendans: *Quando* (inquit) *orabas cum lacrymis, & ſepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abſcondebas per diem in domo tua, & nocte ſepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.* Fateor quidem, quòd in aliis caſibus ex contactu mortui Judæi legaliter polluebantur, ut habetur *Numer.* 19. *verſ.* 11. & 16. Hæc tamen immunditia non erat peccatum, ſed quædam quaſi irregularitas, quâ per ſeptem dies arcebatur à Sacrificiis offerendis, quod ſuo non carebat my-

ſterio:

ſterio: immunditia enim illa extrinſeca per contactum cadaveris, immunditiam ſpiritualem per contactum peccati adumbrabat.

XVIII. Ad tertium nego, illam conceſſionem fuiſſe contra æquitatem, ſed valde conformem pietati, & juſtitiæ; ut pauperibus ſubveniretur, quo famem, aut ſitim extinguere poſſent: unde non licebat de vitis alienæ fructibus quidquam domum deferre. Quare ibidem *v.* 24. dicitur: *Ingreſſus vineam proximi tui, comedeuvas quantum tibi placuerit: foras tamen ne efferas tecum: & ſi intraveris in ſegetem amici tui, franges ſpicas, & manu conteres: falce autem non metes*. Vetat autem accipere pignus à debitore in gratiam pauperum; ne ſcilicet opprimerentur, ſi in neceſſitate conſtituti pignus dare tenerentur. Anno autem Jubilæi omnia, etiam agri, ad priores Dominos revertebantur; ne familiæ confunderentur, ſi agri ad priores dominos eſtò debitores, non redirent. Et tandem vetat, ne ſervus profugus domino ſuo tradatur, conſulens ſaluti ſervi, qui fortè ab irato domino occideretur, ſi ei traderetur.

XIX. Ad quartum nego, legem talionis foviſſe vindictam. Ut enim ait S. Auguſtinus *lib.* 19. *contra Fauſt. cap.* 25. lex talionis, nimirùm: *Oculum pro oculo, dentem pro dente, non fomes, ſed limes furoris eſt; non ut id, quod ſopitum erat, hinc accenderetur, ſed ne id, quod ardebat, ultra extenderetur, impoſitus*. Populo enim rudi, & duro (inquit Aug. ibi) *modus prius adhibendus fuit, quo diſceret, non egredi debitum, ut edomitâ irâ...... tranquillus attenderet, quid ipſe deberet, quod ſibi relaxari à Domino cuperet, ut hac conſideratione conſervo debitum relaxaret*. Unde (ut docet idem S. Doct. lib. contra Adimantum c. 8.) hic fuit primus lenitatis gradus, ut *injuriæ acceptæ menſuram nullo modo dolor vindicantis excederet*; ut paulatim diſponeretur ad eam ex Chriſti mandato totaliter condonandam.

XX. Ad quintum reſpondeo cum D. Tho. hâc q. 98. a. 1. ad 3. *Quòd jugum legis ſervari non poterat ſinè gratiâ adjuvante, quam lex non dabat: dicitur enim Roman.* 9. Non eſt volentis, neque currentis, *ſcilicet, velle, & currere in praeceptis Dei*, ſed miſerentis Dei. *Unde in Pſalm.* 118. *dicitur*. Viam mandatorum cucurri, quia dilataſti cor meum, *ſcilicet, per donum gratiæ, & caritatis*.

XXI. Ad ſextum dico, legem in Chananæos latam æquiſſimam fuiſſe. Par enim erat, ut cumulo peccatorum jam impleto, Chananæi omnes interficerentur. Cum Amalecitis etiam æquiſſimè actum fuit. Ut enim habetur 1. *Regum cap.* 15. *v.* 2. Populo Iſraelitico ex Ægypto in terram promiſſam proficiſcenti ſummâ injuriâ obſtiterant: ideo autem nec parvulis ignoſci jubetur, ut gravior illis eſſet pœna: gravior enim eſt parentibus filiorum ſub oculis propriis interfectio, quàm ſua.

XXII. Ad ſeptimum dico, bonorum temporalium abundantiam eſſe nocivam, quando in eis ultimus finis conſtituitur; non verò ſi eis tanquam mediis moderatè utamur: imò ſi ab illis cor abſtrahamus, ad ſalutem utilia eſſe poſſunt. Quòd verò lex vetus ſola temporalia promitteret, non æterna, ſolùm evincit, eam non fuiſſe ita perfectam, ſicut lex gratiæ, & nova, ut dicemus.

XXIII. Opponebant demum. Legem veteram plures ex Antiquis commendaſſe, qui tamen graviſſimis flagitiis ſe polluerunt, ut Loth, Iſaac, Jacob, Sara, Rebecca, David, Salomon, & alii; ergo lex vetus non fuit bona. Ita diſcurrebat Fauſtus Manichæus apud D. Auguſtinum *lib.* 22. *contra Fauſt.*

XXIV. Reſpondeo primò, ea, quæ Fauſtus objicit Abrahamo, Iſaaco, Jacobo, Saræ, & Rebeccæ fuiſſe fictitia crimina, ut latè oſtendit citato libro S. Auguſtinus. Reſpondeo ſecun-

cundò. Legem veterem recenſere quidem nonnullorum veterum crimina; ſed ea nec collaudare, nec approbare, nec excuſare, ut falsò ſupponebat Fauſtus. Unde S. Auguſtinus citato lib. 22. c. 45. *Nos* (inquit, loquens præcipuè de inceſtu Loth) *Scripturas Sanctas, non hominum peccata defendimus. Non ſic autem de hujus facti purgatione ſatagimus, quaſi hoc Deus noſter, aut fieri juſſerit, aut factum approbaverit; aut ita juſti homines in illis libris appellentur, ut ſi voluerint peccare, non poſſint. Cùm ergo in litteris, quas iſti* (Manichæi) *reprehendunt, Deus huic facto nullum juſtitiæ teſtimonium perhibuerit, quâ dementiâ temeritatis hinc illas litteras accuſare contendunt; cùm aliis earum locis apertiſſimè inveniantur divinis præceptis iſta prohiberi? Unde in illa re geſta de opere filiarum Loth narrata iſta ſunt, non laudata.*

§. III.

Legem Veterem fuiſſe Utilem.

XXV. Dico. Lex vetus non ſolùm fuit bona, ſed etiam utilis. Probatur legis veteris utilitas, exponendo varias ejus utilitates. Prima ergo eſt, quòd per eam cognoſcebant homines, ſe eſſe peccatores, juxta illud Roman. 3. v. 20. *Per legem cognitio peccati*. Et cap. 7. v. 7. *Peccatum non cognovi, niſi per legem*. Hæc autem cognitio non potuit non eſſe valdè utilis, & proficua: ſicut enim via ad quærenda remedia pro recuperanda ſanitate èſt cognitio infirmitatis; ita via ad quærendam animæ ſalutem per pœnitentiam eſt cognitio ſui peccati: hac autem cognitione ante legem caruiſſe quamplures teſtatur Apoſtolus dictis teſtimoniis. Adeo enim propter flagitia homines erant excæcati, ut etiamſi flagitiosè viverent, neſcirent ſe peccare: at poſt legem, cum in ea viderent quid faciendum, quidque omittendum eſſet, cæperunt agnoſcere, ſe eſſe peccatores.

XXVI. Secunda utilitas ex priori oritur. Nam cum agnoſcerent, ſe eſſe peccatores, & indigere Chriſto Salvatore, cæperunt eum ſummo deſiderio ſolicitare: unde *Pſalm*. 143. *v*. 5. dicitur: *Domine inclina cælos tuos, & deſcende*. Iſaiæ 64. v. 1. *Utinam diſrumperes Cælos, & deſcenderes*. Et cap. 45. v. 8. *Rorate Cæli deſuper, & nubes pluant juſtum, aperiatur terra, & germinet Salvatorem*. Quod breviter indicavit S. Auguſtinus *lib. de Spiritu, & litt. cap.* 19. cùm ait: *Lex data eſt, ut gratia quæreretur; gratia data eſt, ut lex impleretur*. Et *lib. de Continentia cap.* 3. legem vocat *Pædagogum*, qui ducit ad gratiam. Quibus conſentiens S. Tho. hàc *qu*. 98. *a*. 2. *ad* 3. ait: *Ut ſic, dum homines præſumentes de ſe, peccatores ſe invenirent, humiliati recurrerent ad auxilium gratiæ*.

XXVII. Tertia utilitas ex precedentibus orta, erat, quòd homines per legem cognoſcentes, ſe eſſe peccatores, & indigere gratiâ Redemtoris, paulatim diſponebantur ad altiorem Chriſti doctrinam ſuſcipiendam. Quò ſpectat illud Apoſtoli: *Lex Pædagogus noſter fuit in Chriſto* (ad Galat. 3. v. 24.)

XXVIII. Quarta utilitas erat, quòd lex cum proponeret umbras, & figuras, ſub quibus Chriſtus promittebatur, homines quodammodo præparabat; ut inde aſſurgerent ad cognitionem legis Evangelicæ, quæ ad eam comparatur quaſi corpus ad umbram: unde Paulus ad Hebr. 10. v. 1. *Umbram* (inquit) *habens lex futurorum bonorum*. Et ſicut ex umbra aliqualiter dignoſcitur corpus, & ex figuris veritas figurati; ita ex lege veteri novam aliqualiter dignoſcebant.

XXIX. Quinta demum utilitas erat, quòd ex metu pœnarum homines in officio continebat, juxta illud Deuteron. 19. v. 20. *Ut audientes cæteri timorem habeant, & nequaquam talia audeant facere*. Hoc docuit S. Auguſt. *L. de Utilitate credendi c.* 3. ubi ait: legem *utiliter eſſe latam, quòd homines, qui revocari à peccatis ratione* non

non poterant, tali lege coercendi erant; pœnarum ſcilicet iſtarum, qua videri ab ſtultis poſſunt minis, atque terroribus. Hæc omnia comprehendens S. Hieron. *ad Galat.* 3. ad illa verba: *Lex Pedagogus noſter fuit in Chriſto*, ait: *Pedagogus parvulis aſſignatur, ut laſciviens refrænetur atas, & prona in vitia corda teneantur; dum tenera in ſtudiis eruditur infantia, & ad majores diſciplinas metu pœna coercita praparatur. Itaque & laſcivienti populo lex Moyſis ad inſtar Pedagogi ſeverioris appoſita eſt, ut cuſtodiret eos, & futura fidei prapararet.*

XXX. Sed iniquies. Quomodo utilis eſſe poterat illa lex, quam homines ſuis viribus implere non poterant, nec dabat gratiam, quâ implere eam poſſent? Erat ergo lex crudelis, quæ mandabat id, quod homines obſervare non poterant.

XXXI. Reſpondeo cum S. Thoma hâc *q.* 98. *a.* 2. *ad* 3. quòd *ſicut Deus aliquando permittit, aliquos cadere in peccatum, ut exinde humilientur; ita etiam voluit talem legem dare, quam ſuis viribus homines implere non poſſent: ut ſic dum homines praſumentes de ſe, peccatores ſe invenirent, humiliati recurrerent ad auxilium gratia.* Hinc eſtò lex vetus non daret per ſeipſam gratiam, *nec ſufficeret ad ſalvandum homines; tamen aderat aliud auxilium à Deo hominibus ſimul cum lege, per quod ſalvari poterant; ſcilicet, fides Mediatoris, per quam juſtificati ſunt antiqui Patres, ſicut etiam nos juſtificamur. Et ſic Deus non deficiebat hominibus, quin daret eis ſalutis auxilia.* Ita D. Thom. laudato loco *ad* 4. Unde eſtò lex non daret per ſeipſam nec gratiam, nec ſalutem; monſtrabat tamen non ſolùm infirmitatem, ſed & medicum, ac Salvatorem, in quem qui credebant, gratiam, & ſalutem conſequebantur. *Neque enim* (inquit Auguſt. L. de Spiritu, & litt. c. 19.) *Vitio ſuo non implebatur lex, ſed vitio prudentia carnis; quod vitium per legem demonſtrandum, per gratiam ſanandum fuit.*

§. IV.

Legem Veterem fuiſſe minùs Perfectam.

XXXII. Dico. Lex vetus, ſeu Moſaica eſtò fuerit bona, & utilis, tamen non fuit perfecta, ſed imperfecta; non poſitivè, ſed comparativè, nempe, minùs perfecta, quàm lex Evangelica. Ita S. Thomas hìc *a.* 1.

Probatur ex illo Hebræorum 7. v. 19. *Nihil ad perfectum adduxit lex*, immediatè ſcilicet, ac per ſeipſam. Et ratio eſt: quia non conferebat gratiam, ſicut lex Evangelica, juxta illud Joann. 1. v. 17. *Lex per Moyſen data eſt; gratia, & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt.*

Quapropter in hoc ſenſu D. Paulus ad *Galat.* 4. *v.* 9. veteres cæremonias, & Sacrificia vocat *infirma, & egena elementa:* præcepta legis Moſaicæ apud *Ezechiel. c.* 20. *v.* 25. dicuntur *non bona*, ìdeſt, minùs perfecta: & *Hebr.* 8. *v.* 7. dicuntur *non vacaſſe culpâ*, quia culpam non tollebant. Hæc igitur eſt differentia inter legem Moſaicam, & Evangelicam: quòd Moſaica dirigeret quidem Judæos, & oſtenderet quid agendum, & quid omittendum eſſet; non tamen per ſeipſam præberet vires, & gratiam, quâ legis præcepta implerentur. Lex autem Evangelica utrumque præſtat, nimirum, & docet quid agere, & omittere debeamus; & præterea confert gratiam, ut omnia præſtare poſſimus.

XXXIII. Hinc formatur ratio Divi Thomæ ſic. In his, quæ ad finem ordinantur, perfecta bonitas eſt, quando aliquid eſt tale, quòd per ſe eſt ſufficiens inducere ad finem; imperfecta verò, quando eſt tale, ut operetur quidem aliquid, ad hoc, ut perveniatur ad finem, non tamen ſufficiat ad hoc, ut ad finem perveniatur: ſicut medicina perfectè bona eſt, quæ hominem ſanat, imperfecta verò eſt, quæ hominem adjuvat, ſed

tamen

tamen ſanare per ſe ipſam non poteſt: ſed lex Moſaica juvabat quidem, & aliquid operabatur, ut homo ad finem ultimum divinæ legis diſponeretur, non tamen per ſe ipſam poterat hominem ad illum perducere; ergo lex vetus perfectam legis bonitatem non habebat. Maj. patet. Min. prob. Sicut finis legis humanæ eſt temporalis tranquillitas civitatis, ad quem finem pervenit lex cohibendo exteriores actus, quantùm ad illa mala, quæ poſſunt perturbare pacificum ſtatum civitatis: ita finis legis divinæ eſt perducere hominem ad finem felicitatis æternæ, qui impeditur per quodlibet peccatum, ſive actus externi, ſive interni. Et ideo quod ſufficit ad perfectionem legis humanæ, ut ſcilicet mala prohibeat, & pœnam apponat, non ſufficit ad perfectionem legis divinæ; ſed oportet, ut hominem totaliter faciat idoneum ad participationem felicitatis æternæ: ſed lex Moſaica prohibebat quidem mala, & pœnas apponebat, non tamen per ſe ipſam poterat homines facere totaliter idoneos ad participationem felicitatis æternæ; quia hoc requirit auxilium gratiæ, quod non habetur, niſi per Chriſtum, nec poterat conferri per legem, ut dictum eſt; ergo &c.

Et hoc eſt, quod dicit Apoſtolus ad Rom. 3. v. 20. *Ex operibus legis non juſtificabitur omnis caro coram illo. Per legem enim cognitio peccati. Nunc autem ſinè lege juſtitia Dei manifeſtata eſt; teſtificata à lege, & Prophetis.* Ideſt, lex aliud non faciebat, quàm oſtendere, quid ſit peccatum, & teſtificari, vires ad illud vitandum habendas eſſe per Chriſtum. Rursùs ad Galat. 2. v. 16. *Scientes* (inquit) *quòd non juſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem Jeſu Chriſti: & nos in Chriſto Jeſu credimus, ut juſtificemur ex fide Chriſti, & non ex operibus legis, propter quod ex operibus legis non juſtificabitur omnis caro.* Super quæ D. Thomas *Lect.* 4. ait: *Si qui autem in veteri lege juſti erant, non erant juſti ex operibus legis, ſed ſolùm ex fide Chriſti, quem Deus propoſuit Propitiatorem per fidem, ut dicitur Roman. 3. Unde & ipſa Sacramenta veteris legis non fuerunt niſi quadam proteſtationes fidei Chriſti, ſicut & noſtra Sacramenta, ſed differenter: quia illa Sacramenta configurabant gratiam Chriſti quaſi futuram; noſtra autem Sacramenta proteſtantur, quaſi continentia gratiam præſentem.* Juſtificabantur ergo in veteri lege non ex lege, ſed ex Evangelio; cujus virtus per fidem apprehenſa perveniebat ad eos, quamvis longè diſtantes. Unde *Apocalypſis* 13. *v.* 8. Agnus, ideſt, Chriſtus dicitur occiſus *ab origine Mundi.*

DUBIUM II.

Utrum Lex Vetus, ſeu Moſaica fuerit à Deo lata.

§. I.

Reſolutio Dubii.

I. Hæretici quotquot, ut ſupra vidimus, blaſphemarunt contra legem Moſaicam, aſſerentes, eam fuiſſe malam; conſequenter dixerunt, eam non à verò Deo Patre Jeſu Chriſti, ſed à Deo malo, quem vocabant Principem tenebrarum, prodiiſſe. Ex iſtis fuerunt Cerdoniani, qui, teſte S. Auguſt. *l. de Hæreſ. c.* 21. duo principia ponebant: *Deumque legis, ac Prophetarum non eſſe Patrem Chriſti, nec bonum Deum eſſe, ſed juſtum, Patrem verò Chriſti, bonum, aſſerebant.* Hos ſecuti ſunt Marcionitæ, & Manichæi, qui, eodem Auguſt. referente *l. de Hæreſ. c.* 46. dicebant: *Deum, qui legem per Moyſen dedit, & in Hebrais Prophetis locutus eſt, non eſſe verum Deum, ſed unum ex principibus tenebrarum.* Contra iſtos ergo &c.

II. Dico. Lex vetus fuit lata à vero Dèo bono Patre Domini noſtri Jeſu Chriſti, & non ſolùm ſecundùm partem, ſed tota. Dico totam, contra

quemdam Ptolomeum (de quo S. Epiphanius) qui veterem legem partim Deo , partim Moyſi , partim Senioribus adſcripſit . Deo quidem ea , quæ nihil aliud , quàm veritatem ſapiunt ; Moyſi , quæ videntur à recta ratione recedere , ut divortium , lex talionis , & omnia ea , quæ ad ruditatem , & duritiam populi ſancita ſunt : Senioribus tandem traditiones , quarum fit mentio *Matth.* 15.

III. Prima pars probatur primò ex Scripturis . Chriſtus , *Matth.* 15. *v.* 3. redarguit Phariſæos : *Quare , & vos transgredimini mandatum Dei* (de honorando patre , e matre) *propter traditiones veſtras ?* Et *v.* 6. *Irritum feciſtis mandatum Dei* . Deo quoque legem veterem adſcribit Zacharias , *Luca* 1. *v.* 68. dicens : *Benedictus Dominus Deus Iſrael , quia viſitavit & fecit redemtionem plebis ſuæ ..... ſicut locutus eſt per os Sanctorum , qui à ſeculo ſunt Prophetarum ejus* . Eodem modo loquitur B. Virgo Maria eodem capite v. 54. *Suſcepit Iſrael puerum ſuum recordatus miſericordiæ ſuæ . Sicut locutus eſt ad Patres noſtros Abraham , & ſemini ejus in ſecula* . Actorum 3. v. 13. *Deus* (inquit) *Abraham , & Deus Iſaac , & Deus Jacob , Deus Patrum noſtrorum glorificavit Filium ſuum Jeſum :* Deus autem Iſaac &c. eſt Deus , qui dedit legem veterem ; ergo hic eſt Pater Domini Jeſu Chriſti . Verſu quoque 18. *Deus autem , quæ prænunciavit per os omnium Prophetarum pati Chriſtum ſuum , ſic implevit* . Paulus item Roman. 1. v. 1. *Vocatus* (inquit) *Apoſtolus ſegregatus in Evangelium Dei , quod ante promiſerat per Prophetas ſuos in Scripturis Sanctis* . Et ad Hebræos 1. v. 1. *Multifariam multiſque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis , noviſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio ..* Idem eſt ergo Deus , qui implevit in Chriſto , & qui prænunciavit ; qui promiſit , & olim locutus per Prophetas , noviſſimè locutus fuit in Filio : ſed qui implevit , ac noviſſimè locutus fuit , eſt Deus novi Teſtamenti Pater Chriſti ; ergo idem eſt Deus novi , ac veteris Teſtamenti .

IV. Confirmatur . Si vetus Teſtamentum à vero Deo non eſſet , Chriſtus non aſſeruiſſet , ſe in eo prænuntiatum fuiſſe , Lucæ ultimo v. 44. *Neceſſe eſt impleri omnia , quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi , & Prophetis , & Pſalmis de me* . Miſſionem ſuam non probaſſet ex antiqua lege , Joann. 5. v. 46. *Si enim crederetis Moyſi , crederetis forſitan & mihi , de me enim ille ſcripſit* . Immeritò tandem dixiſſet Apoſtolus , Chriſtum eſſe finem legis , Roman. 10. v. 4. *Finis enim legis Chriſtus ad juſtitiam omni credenti* . Immeritò quoque dixiſſet , legem eſſe Pedagogum , quæ ducit nos ad Chriſtum , Galat. 3. v. 24. *Lex pedagogus noſter fuit in Chriſto* . Ex his.

V. Formatur ratio D. Thomæ hâc *q.* 98. *a.* 4. Lex vetus ordinabat homines ad Chriſtum , teſtimonium de eo perhibendo , & diſponendo eos ad ipſum : ſed ejuſdem eſt diſponere ad finem , & ad finem perducere ; ergo idem eſt Deus , qui dedit legem diſponentem ad Chriſtum , & qui ad Chriſtum perduxit . Non enim Diabolus , vel alius contrarius Deus Patri Chriſti tuliſſet legem , quæ diſponeret ad Chriſtum , per quem ſciebat ſe ejiciendum , & Regnum amiſſurum , juxta illud Matth. 12. v. 26. *Si Satanas Satanam ejicit , diviſum eſt Regnum ejus* . Et Joann. 12. v. 31. *Nunc princeps hujus Mundi ejicietur foras* . Huc ſpectant rationes omnes , quibus *Tom.* 2. *in* 1. *P. Q.* 2. *de Unitate Dei Dubio* 1. demonſtravimus , Deum neceſſariò debere eſſe unum .

VI. Veritas hæc tanquam , unum ex fidei Chriſtianæ fundamentis , ſtatuta fuit in Concilio Toletano primo : *Si quis dixerit , vel crediderit , alterum Deum eſſe priſcæ legis , alterum Evangeliorum , anathema ſit* . Quod decretum Tridentina Synodus innovavit *Seſſ.* 4. ubi de Canonicis Scripturis loquens ſtatuit , ac decernit his verbis : *Omnes libros tàm veteris , quàm*

novi

Digitized by Google

novi Teſtamenti, *cùm utriuſque unus Deus ſit auctor* ..... *pari pietatis affectu*, *ac reverentiâ ſuſcipit*, *ac veneratur Sacroſancta Synodus*.

VII. Dices tamen contra hanc primam partem primò. Ut habetur Deuteronom. 32. *Dei perfecta ſunt opera*: ſed ex Dub. præcedente lex vetus fuit imperfecta; ergo non fuit à Deo.

Dices ſecundò. *Eccleſiaſtici* 3. dicitur: *Didici*, *quòd omnia opera*, *quæ fecit Deus*, *perſeverent in æternum*: ſed lex vetus jam deſiit, jam reprobata fuit; ergo non fuit à Deo.

VIII. Reſpondeo ad primum, diſt. maj. Sunt perfecta abſolutè, & ſimpliciter ſemper, neg. maj. Comparativè, conc. maj. Itaque (inquit S. Th. hoc a. 2. ad 1.) *Nihil prohibet*, *aliquid non eſſe perfectum ſimpliciter*, *quod tamen eſt perfectum ſecundùm tempus*; *ſicut dicitur aliquis puer perfectus*, *non ſimpliciter*, *ſed ſecundùm temporis conditionem*: *ita etiam præcepta*, *quæ pueris dantur*, *ſunt quidem perfecta ſecundùm conditionem eorum*, *quibus dantur*, *etſi non ſint perfecta ſimpliciter*. *Et talia fuerunt præcepta legis*. *Unde Apoſtolus dicit ad Galat.* 3. Lex Pedagogus noſter fuit in Chriſto.

IX. Ad ſecundum dico cum eodem S. Doctore ibidem ad 2. *Quòd opera Dei perſeverant in æternum*, *quæ ſic Deus fecit*, *ut in æternum perſeverent*; *& hæc ſunt ea*, *quæ ſunt perfecta*. *Lex autem vetus reprobatur tempore perfectionis gratiæ*, *non tanquam mala*, *ſed tanquam infirma*, *& inutilis pro iſto tempore*: *quia*, *ut ſubdit* (Paulus Hebr. 7.) nihil ad perfectum adduxit lex. *Unde ad Galat.* 3. *dicit Apoſtolus*: Ubi venit fides, jam non ſumus ſub Pedagogo.

X. Secunda verò pars aſſerti, nempe, totam legem veterem eſſe à Deo, & ſecundùm omnes ſuas partes, probatur primò. Nam *Exodi* 20. *verſ.* 1. ubi lex Moſaica incipit tradi, habentur hæc: *Locutuſque eſt Dominus cunctos ſermones hos*, *ego ſum Dominus Deus tuus* .... *Non habebis Deos alienos coram me &c.* Sub eodem quoque tenore traduntur ſequentia præcepta, ſive moralia, ſive cæremonialia, & judicialia, nimirum repetendo: *Hæc dicit Dominus*: *Locutus eſt Dominus ad Moyſen dicens*. Nam *Exodi* 21. ubi præcepta judicialia tradi incipiunt. *v.* 1. Deus ſic Moyſi loquitur: *Hæc ſunt judicia*, *quæ propones eis*: *ſi emeris ſervum Hebræum &c.* Et *cap.* 25. ubi traduntur præcepta cæremonialia, *verſu* 1. ſic legitur: *Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen dicens*, *loquere filiis Iſrael ut tollant mihi primitias ab omni homine &c.*

XI. Omnia inſuper tanquam præcepta Domini narravit Moyſes, & populus acceptavit, Exod. 24. v. 3. *Narravit plebi omnia verba Domini*, *atque judicia*: *reſponditque omnis populus una voce*: *omnia verba Domini*, *quæ locutus eſt*, *faciemus*. Et verſ. 7. *Omnia quæ locutus eſt Dominus faciemus*, *& erimus obedientes ei*. Non unam igitur tantùm legis partem, ſed omnes omnino, tùm Moyſes, tùm populus Deo tamquam Legiſlatori tribuunt. Unde etiam præcepta cæremonialia tanquam præcepta Dei agnoſcit Lucas c. 2. v. 22. *Tulerunt illum* (Jeſum) *in Jeruſalem*, *ut ſiſterent eum Domino*: *ſicut ſcriptum eſt in lege Domini*. Cùm ergo nec Scriptura vetus, nec Evangelia diſtinguant inter præcepta, ſed omnia tanquam præcepta Dei, quæ in Lege continentur proponant; mirum eſt, quòd etiam aliqui Doctores Catholici diſtinguere conentur inter præcepta moralia, & cæremonialia; dicentes, illa quidem fuiſſe immediatè à Deo tradita, iſta verò à Moyſe, Deo tamen inſpirante.

XII. Sed dices primò. Lex vetus plerumque vocatur lex Moyſi, maximè *Malachia* 4. *v.* 4. his verbis: *Mementote legis Moyſi ſervi mei*; & Lucæ 2. v. 22. *Poſtquam impleti ſunt dies purgationis ejus ſecundùm legem Moyſi*; ergo aliqua ſaltem præcepta fuerunt data à Moyſe.

XIII. Reſpondeo, neg. conſequ. Si enim ex hoc lex vetus dicatur lex Moyſi,

Moyſi, inferretur, eam eſſe à Moyſe, ut à Legiſlatore; ſequeretur etiam, quòd cùm Chriſtus, *Marci* 7. *v.* 10. dicat de præcepto honorandi parentes: *Moyſes enim dixit, honora patrem tuum, & matrem tuam*, etiam præceptum honorandi parentes, quod in Decalogo continetur, dici deberet præceptum Moyſi, non Dei: & ſic non omnia Decalogi præcepta eſſe à Deo Legiſlatore, ſed aliqua à Moyſe, quod nemo dixit. Obſervandum eſt, quòd cùm omnia præcepta, quæ in Scripturis videntur tribui Moyſi, dicantur *Mandata Dei*, ut in textu *Marci* allato *v.* 8. & *Matth.* 15. *v.* 3. ſupra ponderato, omnia habent quidem promulgatorem Moyſen, ſed Legiſlatorem Deum. Et hoc patet etiam in duobus textibus in contrarium prolatis: Malachias enim poſt relata verba ſtatim ſubdit: *Quam mandavi ei in Horeb ad omnem Iſrael præcepta, & judicia.* Si ergo lex Moyſi eſt lex, quam Moyſi mandavit Deus, Deum habet auctorem, non Moyſen, etiam quoad judicia. Item S. Lucas poſt relata verba ſubjungit: *Tulerunt illum in Jeruſalem, ut ſiſterent eum Domino, ſicut ſcriptum eſt in lege Domini.* Ecce lex Moyſi vocatur lex, & mandatum Domini.

XIV. Dices ſecundò. Saltem lex de libello repudii à Moyſe, ut Legiſlatore fuit: id enim Chriſtus teſtatur *Matth.* 19. *v.* 8. Cum enim Phariſæis interrogantibus, an liceret dimittere uxorem quâcumque ex cauſa, reſpondiſſet, non licere, & ipſi repoſuiſſent: quid ergo Moyſes mandavit dare libellum repudii, & dimittere? Reſpondit: *Quoniam Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras*; ergo ex dicto Phariſæorum confirmato à Chriſto lex repudii à Moyſe fuit.

XV. Reſpondeo, ex præfatis verbis non magis colligi, Moyſen eſſe auctorem legis de repudio, quàm ex iſtis, quæ ſuperiùs retulimus, ex Marci 7. *Moyſes enim dixit honora patrem tuum*; & aliis *Matth.* 8. *v.* 4. quibus leproſo Chriſtus ait: *Offer munus, quod præcepit Moyſes*: & tamen Moyſes auctor non fuit præcepti de colendis parentibus, cùm ſit unum de præceptis Decalogi; quòd quia Phariſæi non ſervabant dixit v. 13. eos eſſe *reſcindentes verbum Dei*. Nec fuit auctor præcepti de leproſo; cùm *Levitici* 14. ubi præceptum hoc inſtituitur, dicatur v. 1. *Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen dicens: Hic eſt ritus leproſi, quando mundandus eſt, adducetur ad Sacerdotem*; ergo nec dici poteſt auctor legis de libello repudii; eo vel maximè, quod homo ſua auctoritate ſeparare non poteſt, quod Deus conjunxit, ut Chriſtus ait, *Matth.* 19. *v.* 6. Rectè tamen dicitur Moyſes permiſiſſe, quia ex Dei auctoritate permiſit, & ipſo mandante promulgavit.

XVI. Adverte tamen, quòd quando dicimus, legem Moſaicam eſſe à Deo, & verè divinam, ac Dei auctoritate immediatè latam; loquimur de lege; contenta in libris Moyſis ab Exodo uſque ad Deuteronomium incluſivè. Neque enim negamus alias quaſdam obſervationes, & leges fuiſſe poſtea humanâ auctoritate additas, ut de celebrando quot annis feſto Phurim, *Eſther* 9. & de feſto Scenophegiæ 2. *Machab.* 1. & ſimilibus. Fatemur quoque apud Hebræos invaluiſſe quaſdam traditiones à Senioribus recentiori tempore invectas; quæ nec in libris ſanctis erant deſcriptæ, ſed vel in quibuſdam commentariis, vel de ore in os traducebantur. Quas quia ſæpè contrarias Verbo Dei, & pluris Judæi faciebant, quàm mandata Dei; ideo reprehendit Chriſtus, *Matth.* 15. *v.* 3. & *Marci* 7. *v.* 9. ut advertit S. Epiphanius contra Ptolomeum *L.* 1. *num.* 2.

§. II.

Modus, quo Lex Moſaica à Deo lata fuit.

XVII. Dico primò. Lex vetus, ſeu Moſaica lata fuit à Deo in monte Sinai. Tota ſeries deſcribitur *Exodi* 19. & 20. ubi eam legere Studioſus

dioſus poterit. Advertat tamen, quòd eſtò in Scripturis lex dicatur data, modò in monte Sinai, ut *Exodi* 19. 24. 31. 34. & *ad Galatas* 4. *v.* 24. modò in monte Horeb, ut *Deuteron.* 4. *v.* 10. & 15. *c.* 18. *v.* 16. *Pſalm.* 105. *v.* 19. 2. *Paralip.* 5. *v.* 10. *Malachiæ* 4. *v.* 4. *Eccleſiaſtici* 48. *v.* 7. nulla tamen eſt diſſonantia. Quia, ut obſervat S. Hieronymus *Lib. de Locis Hebraicis*, vel Horeb, ſeu mons Dei eſt mons Arabiæ poſitus juxta montem Sina: vel eſt idem mons duplici nomine. Cui aliqui addunt, veriſimile eſſe, nomen Sinai fuiſſe ejuſdem montis nomen appellativum à vicino deſerto, quod vocabatur ſolitudo Sinai; proprium verò nomen, magiſque excelſam ejus partem ſignificans, à qua mons totus vocatus eſt, fuiſſe Horeb, ſeu Choreb.

XVIII. Modus promulgationis legis fuit ſequens, *Exodi* 19. Parato per tridui ſanctificationem populo ad legem ſuſcipiendam, aſcendit Moyſes in montem Sinai, ſeu Horeb, qui ſubitò nube denſiſſimâ circumſuſus fuit; ac media inter tonitrua, fulgura, flammas, tubarum clangores, atque adeo terrifico apparatu lex data eſt. Et hoc, tùm ut Legiſlatoris majeſtas demonſtraretur; tùm ut proprius legis effectus, ſcilicet, iniquorum terror, declararetur; tùm etiam ut reatus aggravaretur. Ore primùm promulgata eſt, *Exodi* 20. *v.* 1. deinde ſcripto in duabus tabulis lapideis exarata digito Dei ex utraque parte, *Exodi* 24. *v.* 12. & 31. *v.* 18.

XIX. Tempus, quo lata fuit lex, conſignatur à D. Paulo, *ad Galatas* 3. *v.* 17. anno quadringenteſimo trigeſimo à promiſſione factâ à Deo Abrahæ, ſextâ die tertii Menſis ab exitu ex Ægypto, & à primo Paſchate quinquageſimâ (computum annorum exactè inſtituit S. Tho. in *Epiſt. ad Galat. cap.* 3. *lect.* 6. à Studioſo videndus) Hinc Feſtum Pentecoſtes, quo nova lex promulgata fuit, coincidit cum die, quâ vetus fuit promulgata. Ita obſervat S. Hieronymus *Epiſt. ad Fabiolam de* 42. *Manſionibus, Manſion.* 12. his verbis: *Supputemus numerum, & inveniemus quinquageſimo die egreſſionis Iſrael de Ægypto in vertice montis Sinai legem datam. Unde & Pentecoſtes celebratur Solemnitas, & poſtea Evangelii Sacramentum Spiritus Sancti deſcenſione completur: ut ſicut priori populo quinquageſimo die, vero Jubilæo, & vero anno remiſſionis..... lex data eſt: ad Apoſtolos quoque, & qui cum eis erant in centum viginti Moſaicæ ætatis numero conſtitutis, deſcenderit Spiritus Sanctus; & diviſis linguis credentium totus evangelica prædicatione Mundus expletus ſit.*

Eandem conſonantiam obſervat Sanctus Auguſtinus *l. de Spiritu, & litt. cap.* 16. ubi ait: *Dies enim quinquaginta computantur à celebratione Paſcha, quæ occiſione figuratæ ovis per Moyſen fieri præcepta eſt in ſignificationem utique futuræ Dominicæ Paſſionis, uſque ad diem, quâ Moyſes legem accepit in tabulis digito Dei conſcriptis: ſimiliter ab occiſione, & reſurrectione illius, qui ſicut ovis ad immolandum ductus eſt, quinquaginta diebus completis, congregatos in unum fideles digitus Dei, hoc eſt, Spiritus Sanctus implevit.*

XX. Circa quæſtionem: An Deus miniſterio Angelorum, an immediatè per ſeipſum legem tulerit, veteres Patres, qui S. Auguſtinum, & exortam Arianam hæreſim præceſſerunt, ut Iræneus, Juſtinus, Clemens Alexandr. cenſuerunt quidem, legem veterem fuiſſe datam per Angelum; ſed Angeli nomine intelligebant Verbum divinum, quod magni Conſilii Angelus appellari ſolet. S. Auguſtinus autem Angeli nomen ad Verbum divinum referri poſſe fortè primus negavit; volens Angeli nomen eſſe nomen miniſterii, quod ſolis creaturis ſpiritualibus accommodari poſſit: idque, ut Arianis eriperet argumentum ad negandam Verbi cum Patre conſubſtantialitatem, dum contendebant Verbum eſſe, ac dici Angelum, ſeu miniſtrum Patris. Quare

XXI.

Digitized by Google

XXI. Dico ſecundò. Lex vetus data fuit per Angelos, hoc eſt ſpirituales creaturas, non autem per Verbum divinum, quod humanâ ſpecie apparuerit. Id patet ex Scriptura tùm *Actorum 7. v.* 53. ubi B. Stephanus Judæis: *Accepiſtis*, inquit, *legem in diſpoſitione Angelorum*: at vox *Angeli* in numero plurali non poteſt dici de Verbo divino, ſed de illis creatis ſpiritualibus ſubſtantiis, de quibus dicit Paulus ad Hæbr. 1. v. 14. *Omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis*; ergo &c. Nec obeſt, quòd B. Stephanus ſuperiùs *v.* 38. dixerit, quòd Moyſes fuerit *in ſolitudine cum Angelo* (in ſingulari numero) *qui loquebatur ei in monte Sina*. Nam ex hoc ſolùm ſequitur, quòd eſtò plures ibi eſſent Angeli; unus tamen eſſet, qui in perſona Dei apparens, voces, quæ à Moyſe audiebantur, formaret, præcepta eloqueretur, ac Moyſi traderet; cæteris occupatis ad excitanda tonitrua, fulgura, clangorem tubæ, ignem, & fumum. Ita S. Auguſtin. *Serm. 6. aliàs Serm. 27. de Diverſis cap.* 2. exponens modum, quo Deus apparuit Moyſi, & obſervans, modò dici apparuiſſe Deum, modò Angelum, dicit: *Ne intelligeres Deum per ſeipſum apparuiſſe, illic tibi expoſitum eſt, quemadmodum apparuerit Deus per creaturam Angelum*. Et ſuperiùs dixerat: *Quomodo ergo Verbum Dei, ideſt, Filius Dei, ut appareret oculis, carnem aſſumſit; ſic ſemper Deus, ut appareret oculis hominum, in aliqua creaturâ viſibili apparere dignatus eſt*.

Idem confirmans S. Paulus *ad Hebr.* 2. *v.* 2. ubi poſtquam dixerat, legem novam datam fuiſſe per Verbum, ſeu Filium Dei, non per Angelos, ut veterem, ſic arguit: *Si enim, qui per Angelos dictus eſt ſermo, factus eſt firmus, & omnis prævaricatio, & inobedientia, accepit juſtam mercedis retributionem; quomodo non effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem?* Atqui iſte diſcurſus nihil concluderet ſi lex æquè, ac nova per Verbum data fuiſſet; ergo &c. Vide S. Auguſt. *l.* 3. *de Trinit. c.* 11.

XXII. Dices. Paulus *ad Galat.* 3. *v.* 19. de lege ait: *Propter tranſgreſſiones poſita eſt .... ordinata per Angelos in manu Mediatoris*: ſed unicus Mediator eſt Verbum, & Filius Dei; ergo &c.

XXIII. Reſpondeo primò, nomine Mediatoris Paulum intelligere Moyſen, qui fuit figura veri Mediatoris Chriſti, in cujus manus data fuit lex. Moyſen autem fuiſſe mediatorem inter Deum, & populum, tanquam miniſtrum promulgatorem legis, aſſerit ipſe Deuteron. 5. v. 5. *Ego ſequeſter, & medius fui inter Dominum, & vos .... ut annuntiarem vobis verba ejus*.

Reſpondeo ſecundò, legem dici datam *in manu Mediatoris* Chriſti: non quia per Verbum data ſit; ſed quia, ut exponit D. Tho. in c. 3. ad Galat. lect. 7. *Dominus legis dicitur Chriſtus. Et ideo dicit*, in manu Mediatoris, *ideſt, in poteſtate Chriſti, Deuteron.* 33. In dextera ejus ignea lex 1. *ad Timoth.* 2. Mediator Dei, & hominum &c. *Iſte mediator ſignificatus eſt per Moyſen, in cujus manu eſt lex data, Deuteron.* 5. Ego ſequeſter, & medius fui inter Deum, & vos &c. Vel ut explicat S. Auguſt *in* 3. *caput ad Galat.* dicitur lex diſpoſita per Angelos, & in manu Mediatoris, ut ſcilicet per legem illam morbos oſtendentem, ſed non auferentem, oſtenderetur neceſſitas Mediatoris, qui *liberaret à peccatis jam per tranſgreſſionem legis coactos confiteri, opus ſibi eſſe gratiam, & miſericordiam Domini*.

XXIV. Probatur hæc aſſertio ratione D. Tho. *a.* 3. *hujus quæſt.* 98. ſic: *In omnibus poteſtatibus, & artibus ordinatis ille, qui eſt ſuperior, principalem, & perfectum actum operatur per ſe ipſum; ea verò, quæ diſponunt ad perfectionem ultimam, operatur per ſuos miniſtros: ſicut navifactor compaginat navem per ſe ipſum, ſedpræparat mate-* riam

Digitized by Google

riam per artifices ſubminiſtrantes: atqui lex vetus imperfecta erat, & erat quaſi diſpoſitio ad ſalutem humani generis habenda per Chriſtum in lege nova; ergo *conveniens fuit, ut lex perfecta novi Teſtamenti daretur immediatè per ipſum Deum hominem factum, lex autem vetus per miniſtros Dei, ſcilicet, per Angelos, daretur hominibus. Et per hunc modum Apoſtolus ad Hebræos 1. probat eminentiam novæ legis ad veterem: quia in novo Teſtamento* locutus eſt nobis Deus in Filio ſuo; *in veteri autem Teſtamento* eſt ſermo factus per Angelos.

XXV. Sed objicies primò. Lex vetus tradita dicitur ab Angelo, qui ſe Deum eſſe profitetur: *Exodi* enim 20. ubi exponitur traditio legis, *v.* 1. habetur: *Locutuſque eſt Dominus cunctos ſermones hos.* Quis autem ſit iſte Dominus, ſtatim hiſce verbis aperitur: *Ego ſum Dominus Deus tuus:* atqui non alius Dominus, non alius Deus, quam Verbum divinum; ergo &c.

XXVI. Confirmatur. *Deuteron.* 33. *v.* 2. legitur: *Dominus de Sinai venit, & de ſeir ortus eſt nobis: apparuit de monte Pharan, & cum eo Sanctorum millia. In dextera ejus ignea lex.* Quis autem poterat eſſe iſte Dominus ſtipatus ſanctorum Angelorum millibus, niſi Verbum Dei?

XXVII. Reſpondeo, diſt. maj. Se profitetur Deum officio, co. maj. Deum eſſentiâ, nego maj. Ita S. Tho. hoc a. 3. ad 1. *Sicut Greg. dicit in principio moralium* (ſcilicet in præf. cap. 1.) Angelus, qui Moyſi apparuiſſe deſcribitur, modò Angelus, modò Dominus memoratur: Angelus videlicet, propter hoc, quòd exteriùs loquendo ſerviebat: Dominus autem dicitur, quia interiùs præſidens loquendi efficaciam miniſtrabat: *Et inde eſt etiam, quòd quaſi ex perſona Domini Angelus loquebatur.* Et ſicut dum præco diplomata Regis populum ſuum alloquentis, eique præcipientis legit, ac pronunciat, ita dicit: Nos Philippus Rex &c. prohibemus, mandamus &c. eo quòd ſic loquens, quaſi induit perſonam Regis, vel Regem repræſentat: ita Angelus Dei perſonam induens, ſeu repræſentans dicebat: *Ego ſum Dominus Deus tuus.* Ac rurſum ſicut in actis non ſcribitur: Ille præco dixit, præcepit, aut prohibuit hoc, ſed Rex; quamvis annotetur per talem præconem: ita in libris, qui hiſtoriam legis latæ continent, *loquutus eſt Dominus ſermones iſtos;* quamvis interdum non taceatur, quòd eos Dominus per Angelum locutus ſit. Ita S. Auguſtinus *lib.* 3. *de Trin. c.* 11. ubi ſibi objiciens: *Sed ait aliquis, cur ergo ſcriptum eſt:* Dixit Dominus ad Moyſen; *& non potiùs: Dixit Angelus ad Moyſen?* Reſpondet: *Quia cum verba judicis præco pronuntiat, non ſcribitur in geſtis, ille præco dixit; ſed ille judex: ſic etiam loquente Propheta ſancto, etſi dicamus, Propheta dixit; nihil aliud, quàm Dominum dixiſſe intelligi volumus. Et ſi dicamus, Dominus dixit, Prophetam non ſubtrahimus; ſed quis per eum dixerit, admonemus.*

XXVIII. Ad Confirm. dico ſimiliter, verborum Deuteronomii ſenſum eſſe, quòd cum Domino, ideſt, cum Angelo perſonam Dei gerente fuerint multi alii Angeli, qui nomine Dei loquenti aſſiſterent. Quis autem fuerit ille Angelus, qui perſonam Dei loquentis geſtaret; veriſimile putant aliqui fuiſſe Michaelem principem populi Dei, ut vocatur *Dan.* 12. *v.* 1.

XXIX. Objicies ſecundò. Per eum immediatè data eſt lex, qui Moyſi immediatè locutus eſt: ſed Deus Moyſi immediatè loquebatur, habetur enim Exodi 33. v. 11. *Loquebatur Dominus ad Moyſen facie ad faciem, ſicut loqui ſolet amicus ad amicum ſuum;* ergo lex vetus immediatè à Deo data eſt.

XXX. Reſpondeo cum D. Tho. hoc a. 3. ad 2. *Quòd ſicut Auguſtinus dicit* 12. *ſuper Geneſ. ad litt. c.* 27. *In Exodo dicitur:* Locutus eſt Dominus Moyſi

Digitized by Google

facie ad faciem; *& paulò poſt ſubditur:* Oſtende mihi gloriam tuam. Sentiebat ergo, quod videbat, & quod non videbat, deſiderabat: *Non ergo videbat ipſam Dei eſſentiam: & ita non immediatè ab eo inſtruebatur. Quod ergo dicitur, quòd loquebatur ei facie ad faciem; ſecundùm opinionem populi loquitur Scriptura, qui putabat Moyſen ore ad os loqui cum Deo: cùm per ſubjectam creaturam, ideſt, per Angelum, & nubem ei loqueretur, & appareret. Vel per viſionem faciei intelligitur quadam eminens contemplatio, & familiaris infra eſſentia divina viſionem.*

XXXI. Objicies tertiò. Saltem præcepta Decalogi Deus dedit per ſeipſum: hoc enim docet D. Thomas infra *qu.* 100. *a.* 3. dicens: *Præcepta Decalogi ab aliis præceptis legis differunt in hoc, quòd præcepta Decalogi per ſeipſum Deus dicitur populo propoſuiſſe: alia verò præcepta propoſuit populo per Moyſen;* ergo &c.

XXXII. Reſpondeo, diſt. ant. Per ſeipſum, ideſt non per Moyſen, conc. ant. Per ſeipſum, ideſt nòn per Angelum, nego antecedens. Neque aliud intendit S. Tho. quàm, quòd cum alia præcepta Deus per Angelum Dei perſonam gerentem communicavit Moyſi, & Moyſes populo; præcepta Decalogi non per Moyſen, ſed per Angelum in perſona Dei immediatè nota fecit univerſo populo, & per ipſum in tabulis ſcripſit. Et hanc eſſe mentem D. Thomæ conſtat: quia poſtquam ait, præcepta Decalogi Deum per ſeipſum propoſuiſſe, non ſubjunxit, quòd alia præcepta propoſuerit per Angelum, ſed per Moyſen. Ratio quare reliqua præcepta non per Angelum immediatè populo annunciavit, ſed Moyſi, & per Moyſen populo, videtur ex Scriptura ipſa erui. Nam cùm, Angelo in perſona Dei Decalogum coram multitudine promulgante, omnes ex populo audirent voces, tonitrua, & ſonitum buccinæ, viderentque lampades, & montem fumantem; dicitur *Exodi* 20. *v.* 18. *&* 19. quòd *perterriti, ac pavore concuſſi, ſteterunt procul, dicentes Moyſi: loquere tu nobis, & audiemus, non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur.* Quapropter poſtea non legitur Deus amplius immediatè locutus ad populum, ſed ad Moyſen. Unde verſ. 22. *Dixit præterea Dominus ad Moyſen: hæc dices filiis Iſrael.* Et in ſubſequentibus c. 24. v. 1. *Moyſi quoque dixit.* cap. 25. v. 1. *Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen.*

DUBIUM III.

An Lex Moſaica ſoli Populo Judæorum data fuerit, eumque ſolùm obligaverit?

§. I.

Reſolutio prioris Partis.

I. Dico. Soli populo Judæorum data, & promulgata fuit lex vetus: imò & debuit, debito non juſtitiæ, ſed condecentiæ. Ita S. Tho. hâc q. 98. a. 4. Et quidem quòd lex vetus ſoli populo Judaico data fuerit, conſtat ex *cap.* 19. *Exodi*, & ſequentibus. Unde *Deuteron.* 4. *v.* 8. habetur: *Quæ eſt enim alia gens ſic inclyta, ut habeat cæremonias, juſtaque judicia, & univerſam legem.* Pſal. 147. v. 10. *Non fecit taliter omni nationi, & judicia ſua non manifeſtavit eis.* Roman. 3. v. 1. *Quid ergo amplius Judæo eſt? Multum per omnem modum. Primum quidem, quia credita ſunt illis eloquia Dei.* Et Roman. 9. v. 4. *Qui ſunt Iſraelitæ, quorum adoptio eſt filiorum, & gloria, & teſtamentum, & legislatio, & obſequium, & promiſſa.* Ex quibus patet, legem veterem ſoli populo Judaico fuiſſe latam, & hanc fuiſſe illius populi ſpecialem prærogativam.

II. Quòd verò hanc prærogativam illi non conceſſerit Deus ex debito juſtitiæ, propter aliquod ejus meritum, probatur. Nam quemadmodum non propter ullum illius meritum, dedit ei terram promiſſionis; unde

unde Moyſes Deuteronom. 9. v. 6. *Scito* (inquit) *quòd non propter juſtitias tuas Dominus Deus dederit tibi terram hanc optimam in poſſeſſionem, cùm duriſſimæ cervicis ſis populus*: ita ſimiliter non propter juſtitias ſuas legem à Deo accepit — Neque ullius momenti eſt ratio, quæ afferri poſſet, dicendo, quòd potiùs populo Judæorum data ſit lex, quàm aliis populis; quia aliis populis ad idololatriam declinantibus, ſolus populus Judæorum in cultu unius Dei permanſerit — Eam enim rejicit S. Thomas hoc *art.* 4. Nam falſum eſt, quòd populus Judaicus in cultu veri Dei conſtans fuerit, ſive ante legem, ſive poſt legem datam. Poſt legem quidem (quod gravius fuit) *Exod.* 32. in conflatione Vituli. Et ex Amos 5. v. 25. 26. *Nunquid Hoſtias, & Sacrificium obtuliſtis mihi in deſerto quadraginta annis domus Iſrael? & portaſtis Tabernaculum Moloch veſtro, & imaginem Idolorum veſtrorum, ſidus Dei veſtri, quæ feciſtis vobis?* Ante legem etiam, Joſue 24. v. 14. *Auferte Deos, quibus ſervierunt Patres veſtri in Meſopotamia, & in Egypto*. Ac inſuper hoc teſtatur *Ezechiel. cap.* 20. *v.* 8. *& cap.* 23.

III. Lex ergo vetus data eſt ſolis Judæis, vi ſolius promiſſionis Patriarchis Abraham, Iſaac, & Jacob divinitus ſactæ. Id enim ait Moyſes, *Deuteron.* 9. *v.* 5. nimirum: *Ut compleret verbum ſuum Dominus, quod ſub juramento pollicitus eſt Patribus tuis Abraham, Iſaac, & Jacob*. Nempe, quòd Abrahæ ſemine Chriſtus eſſet naſciturus: *Deus igitur* (inquit S. Thomas) *& legem, & alia beneficia ſpecialia illi populo exhibuit propter promiſſionem eorum Patribus factam, ut ex eis Chriſtus naſceretur. Decebat enim, ut ille populus, ex quo Chriſtus naſciturus erat, quadam ſpeciali ſanctificatione polleret, ſecundùm illud, quod dicitur Levit.* 19. Sancti eritis, quia ego Sanctus ſum.

Sic ergo formatur ratio. Decebat, ut illi ſoli populo daretur lex, cujus Patribus factæ fuerant promiſſiones, quòd Chriſtus ex eis naſceretur: ſed illæ promiſſiones factæ fuerant ſolis Patribus populi Judæorum; ergo decebat, ut ſoli illi populo daretur lex. Min. conſtat ex Scripturis. Maj. probatur primò. Quia conveniebat, ut populus, ex quo Chriſtus erat naſciturus, quadam ſingulari prerogativâ ſanctificationis polleret præ reliquis gentibus, ac Deo magis conſecraretur, juxta illud Levitici 20. v. 26. *Eritis mihi Sancti, quia Sanctus ſum ego Dominus, & ſeparavi vos à cæteris populis, ut eſſetis mei*. Secundò prob. major. Lex, ac legis cæremoniæ, & Sacrifitia ordinabantur, tanquam figuræ, ad Chriſtum venturum; ergo conveniebat, ut illi populo darentur, cui promiſſus erat Chriſtus, ut ex eo naſciturus.

IV. Quæres primò: Cur potius Deus elegerit Abraham, cui faceret promiſſionem de Chriſto ex ejus ſemine naſcituro, quàm alium quemvis?

V. Reſpondet hìc D. Thom. quòd non fuit propter meritum Abrahæ, *ut Chriſtus ex ejus ſemine naſceretur: ſed ex gratuita Dei electione, ac vocatione. Unde dicitur Iſaia* 41. Quis ſuſcitavit ab Oriente juſtum, vocavit eum, ut ſequeretur ſe? Unde concludit: *Sic ergo patet, quòd ex ſola gratuitâ Dei electione Patres promiſſionem acceperunt, & populus ex eis progenitus legem accepit, ſecundùm illud Deuteronomii* 4. Audiſti verba illius de medio ignis, quia dilexit Patres tuos, & elegit ſemen illorum poſt illos. Et ſubjungit: *Quòd ſi ulteriùs quæratur: Quare hunc populum elegit, ut ex eo Chriſtus naſceretur, & non alium? Conveniet reſponſio Auguſtini, quam dicit ſuper Joann.* (tract. 26.) Quare hunc trahat, & illum non trahat, noli velle judicare, ſi non vis errare.

VI. Reſpondent alii, D. Thomam hìc loqui de merito de condigno, quo certè Abraham non meruit, nec ullus mereri potuit, ut Chriſtus ex ejus ſemine naſceretur. Non tamem loqui de me-

merito ſolius congruitatis, quo in Tractatu de Incarnat. dicitur, veteres S. Patres potuiſſe mereri, non quidem ſubſtantiam, ſed circumſtantias Incarnationis. Quo pacto B. Virgo meruit, ac digna fuit, ut ex ea potiùs, quàm ex alia carnem ſumeret: ita fides, & obedientia Abrahæ. De quo Paulus Roman. 4. v. 18. *Qui* (inquit) *contra ſpem in ſpem credidit, ut fieret pater multarum gentium*. Et v. 22. *Ideo reputatum eſt illi ad juſtitiam*. Et Geneſ. 22. v. 16. *Quia feciſti rem hanc, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me..... benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ, quia obediſti voci meæ*. Nec refert, quòd hæc benedictio jam fuiſſet illi promiſſa *Gen.* 12. & 13. antequam filium Iſaac Deo obtuliſſet. Nam dici poteſt, fuiſſe illi promiſſam relatè ad fidem, & obedientiam à Deo prævisam, poſtea ſecuturam. Unde S. Paulus *ad Hebræos c.* 11. enumeratis veteribus Patribus, *v.* 33. dicit, quòd omnes per fidem *adepti ſunt repromiſſiones*.

VII. Dices primò contra primam partem aſſerti. Lex vetus, ut dictum eſt, diſponebat ad ſalutem, quæ erat futura per Chriſtum: ſed ſalus illa non erat futura ſolùm in Judæis, ſed in omnibus gentibus, juxta illud Iſaiæ 49. v. 6. *Parum eſt, ut ſis mihi ſervus ad ſuſcitandas tribus Jacob, & faces Iſrael convertendas: Ecce dedi te in lucem gentium, ut ſis ſalus mea uſque ad extremum terræ;* ergo lex vetus debuit dari omnibus gentibus, non ſolis Judæis.

VIII. Confirmatur. Finis legis divinæ, qualis erat lex vetus, eſt perducere homines ad finem felicitatis æternæ; ſed ad hunc finem non ſolus populus Juædorum erat perducendus, ſed omnes homines; ergo non ſoli ipſi &c.

IX. Reſpondeo, quòd lex vetus erat diſpoſitio ad ſalutem, non omnibus neceſſaria, ſed ſoli illi populo, ex quo Chriſtus naſciturus erat, ut dicetur §. *ſequenti*. Unde D. Thom. hoc a. 4. ad 1. *Quamvis* (inquit) *ſalus futura per Chriſtum, eſſet omnibus gentibus præparata; tamen oportebat ex uno populo Chriſtum naſci, qui propter hoc præ aliis prerogativas habuit, ſecundùm illud Roman.* 9. Quorum, *ſcilicet Judæorum*, eſt adoptio filiorum, & teſtamentum, & legiſlatio, quorum patres, & ex quibus Chriſtus eſt ſecundùm carnem.

X. Ad Confirm. eodem modo reſpondeo, neg. conſ. Quamvis enim finis legis veteris eſſet æterna felicitas; ille tamen finis haberi poterat ſinè iſtâ lege: cùm homines potuerint ſalvari ſinè eâ antequam daretur; & gentiles, etiam poſt illam datam abſque illius obſervatione ſalvari poterant: quia non fuit data velut ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem.

XI. Dices ſecundò. *Actorum* 10. *v.* 34. 35. dicit Petrus: *Non eſt perſonarum acceptor Deus: Sed in omni gente, qui timet eum, & operatur juſtitiam, acceptus eſt illi;* non ergo uni populo, ſed omnibus gentibus debuit ſalutem aperire.

Confirmatur. Omnibus gentibus exhibuit Deus miniſterium Angelorum, juxta illud Eccleſiaſtici 17. v. 14. *In unamquamque gentem præpoſuit Rectorem*.

XII. Reſpondet S. Thom. hoc a. 4. ad 2. *Quòd acceptio perſonarum locum habet in his, quæ ex debito dantur: in his verò, quæ ex gratuita voluntate conferuntur, acceptio perſonarum locum non habet. Non enim eſt perſonarum acceptor, qui ex liberalitate de ſuo dat uni, & non alteri: ſed ſi eſſet diſpenſator bonorum communium, & non diſtribueret æqualiter ſecundùm merita perſonarum, eſſet perſonarum acceptor. Salutaria autem beneficia Deus humano generi confert ex ſua gratia; unde non eſt perſonarum acceptor, ſi quibuſdam præ aliis conferat. Unde Auguſt. dicit in lib. de Prædeſt. SS. c.* 8. Omnes, quos Deus docet, miſericordiâ docet; quos autem non docet, judicio non docet: *Hoc enim venit ex damnatione humani generis pro peccato primi Parentis*.

XIII. Ad Confirm. dico cum eodem

S. Do-

Digitized by Google

S. Doctore *ad* 3. diſparitatem eſſe: *Quòd beneficia gratiæ ſubtrahuntur homini propter culpam, ſed beneficia naturalia non ſubtrahuntur: inter quæ ſunt miniſteria Angelorum, quæ ipſe naturarum ordo requirit, ut ſcilicet per media gubernentur infima; & etiam corporalia ſubſidia, quæ non ſolùm hominibus, ſed etiam jumentis Deus adminiſtrat, ſecundùm illud Pſalm.* 35. Homines, & jumenta ſalvabis Domine.

§. II.

Reſolutio poſterioris Partis.

XIV. Pro reſolutione ſupponendum eſt, quòd cùm lex vetus, ſeu quatenus à Moyſe promulgata, duplicis generis præcepta contineret, nimirum præcepta legis naturæ, quæ manifeſtabat, uti ſunt præcepta Decalogi, & moralia; & præcepta, quæ illis ſuperaddebat, erantque legis Moſaicæ propria: pro certo tenendum eſt, *quòd quantùm ad illa, quæ lex vetus continebat de lege naturæ, omnes tenebantur ad obſervantiam veteris legis; non quia erant de veteri lege, ſed quia erant de lege naturæ.* Ita S. Thom. hâc *q.* 98. *a.* 5. Dubium ergo reſtringitur ad ea, quæ lex Moſaica de proprio ſuperaddebat.

XV. Dico ſecundò. Quantùm ad illa, quæ lex vetus ſuperaddebat legi naturæ, non omnes tenebantur ad obſervantiam illius, ſed ſolus populus Judæorum, & qui illi adſcribi voluiſſent. Probatur primò. Lex non obligat, niſi eos, quibus imponitur, & promulgatur: ſed lex Moſaica quantùm ad ea, quæ legi naturæ ſuperaddebat, ſoli populo Judæorum data, & promulgata fuit, ut §. præcedente oſtenſum eſt; ergo illum ſolum obligabat.

XVI. Probatur ſecundò diſcurſu S. Thomæ hoc a. 5. *Quæcumque ſtatuuntur ad ſpecialem aliquorum ſanctificationem, non obligant, niſi illos: ſicut ad quædam obligantur Clerici, qui mancipantur divino miniſterio, ad quæ laici non obligantur: ſimiliter & Religioſi ad quædam perfectionis opera obligantur ex ſua profeſſione, ad quæ ſeculares non obligantur:* atqui *lex vetus data eſt populo Judæorum, ut quandam prærogativam ſanctitatis obtineret, propter reverentiam Chriſti, qui ex illo populo naſciturus erat;* ergo *ad quædam ſpecialia obligabatur populus ille, ad quæ alii populi non obligabantur. Unde dicitur Deuteron.* 18. Perfectus eris, & abſque macula coram Domino Deo tuo. *Et propter hoc etiam quadam profeſſione utebantur, ut patet Deuteron.* 26. Profiteor hodie coram Domino Deo tuo &c.

XVII. Probatur tertiò ratione ejuſdem in arg. *Sed contra.* Multi Gentilium per Angelos reducti ſunt in Deum, fidem, gratiam, & ſalutem ſunt conſecuti, ut docet D. Dionyſ. *c.* 9. *Cœl. Hierarch.* & S. Paulus *ad Rom. c.* 2. ſed Gentiles legem Moſaicam non obſervabant; ergo &c. Ma. prob. Tùm in Melchiſedech, & iis, apud quos, cum eſſet Sacerdos Dei Altiſſimi, Sacerdotio fungebatur, eorumque poſteris: hi enim verè Deo ſerviebant, & ſalutem conſequi poterant, & tamen Circumciſionis legem non obſervabant. Tùm in Job (ſi tamen poſt legem latam vixit) ejuſque amicis, & aliquibus ex ejus poſteris, & Naaman Syro, ut habetur 4. *Reg.* 5. qui veri Dei cultores, juſti, ac pii fuerunt, cùm tamen legem Moſaicam non profiterentur.

XVIII. Nec dicas, quòd ex hoc ſequeretur, deterioris conditionis fuiſſe Judæos, quàm Gentiles; quia legi Moſaicæ, ejuſque durioribus præceptis adſtrictos, quibus iſti non tenebantur. Nam reſpondet D. Thom. hoc *a.* 5. *ad* 2. Quòd ſicut Clerici, ac Religioſi non deterioris, ſed melioris conditionis ſunt, quàm laici, & ſeculares, quamvis pluribus, iiſque durioribus præceptis teneantur, quibus iſti non tenentur; quia magis Deo conjuncti, & ipſi conſecrati: ita populus

pulus

Digitized by Google

pulus Judaicus, quamvis lege Moſaicâ eſſet adſtrictus, quâ populus gentilis non tenebatur, cùm tamen per eam Deo magis conjungeretur, & conſecraretur, melioris conditionis erat populo Gentili, non deterioris.

XIX. Dixi, Gentiles lege Moſaicâ non obligari, niſi adſcripti fuiſſent populo Judaico. Si enim Gentiles voluiſſent populo Judaico aggregari, admittendi erant: ſed exinde obligabantur ad legis Moſaicæ, etiam quoad ea, quæ ſuperaddebat legi naturæ, obſervantiam. Sicut etiam nunc laici tranſire volentes ad Clericatum, & ſeculares ad Religionem, admittuntur, ut docet D. Thom. hìc *ad* 3. ſed ex quo tempore facti ſunt Clerici, aut Religioſi, obligantur ad ea, quæ ſunt Clericatus, aut Religionis. Quò pertinet illud ad Galat. 5. v. 3. *Teſtificor autem rurſus omni homini circumcidenti ſe, quoniam debitor eſt univerſæ legis faciendæ.*

XX. Quòd autem Gentiles poſſent Judæis adjungi, colligitur ex illo Exodi 12. v. 48. *Si quis peregrinorum in veſtrum voluerit tranſire Coloniam, & facere Phaſe Domini, circumcidetur priùs omne maſculinum ejus, & tunc ritè celebrabit: eritque ſicut indigena terræ.*

Eſtò autem his verbis fiat expreſſa mentio ſolius Circumciſionis, illativè tamen ſequitur obligatio totius legis. Nam Circumciſio apud hebræos erat profeſſio Religionis Judaicæ, ſicut Baptiſmus Religionis Chriſtianæ. Sicut ergo qui Baptiſmum ſuſcepit, eſt conſequenter obligatus ad obſervantiam omnium præceptorum Religionis Chriſtianæ: ita qui circumcidebatur, erat obligatus obſervare totam legem Religionis Judaicæ — Porro aliquos Gentiles ad Judæos tranſiiſſe conſtat, Judith 14. *v.* 6. *in Achior*, de quo dicitur: *Tunc Achior videns virtutem, quam fecit Deus Iſrael, relicto gentilitatis ritu, credidit Deo, & circumcidit carnem præputii ſui, & appoſitus eſt ad populum Iſrael, & omnis ſucceſſio generis ejus uſque in hodiernum diem.* Et *Eſther* 8. *v.* 17. dicitur, quòd intantùm Judaici nominis crevit exiſtimatio; *Ut plures alterius gentis, & ſectæ eorum Religioni, & cæremoniis jungerentur.*

XXI. Sed oppones, Chriſtum *Matth.* 23. *v.* 15. improperare Scribis, & Phariſæis quòd circuirent mare, & aridam, ut facerent unum proſelytum, hoc eſt à Gentilitate ad Judaiſmum transferrent.

XXII. Reſpondeo tamen, ſtudium traducendi alienigenas ad legis Moſaicæ obſervantiam, ſecundùm ſe fuiſſe ſanctum, & laudabile; nec ob hoc fuiſſe à Chriſto reprehenſos Scribas, & Phariſæos: ſed reprehenduntur, quia illum, quem tanto ſtudio conquiſierant, redderent ſceleratum; partim doctrinâ, eum non in lege Dei, ſed in ſuis traditionibus pravis, & verbo Dei ſæpè contrariis (*Matth.* 15.) inſtruentes; partim in moribus exemplo malæ vitæ. Unde ſubdit Chriſtus; *Et cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo, quàm vos.*

XXIII. Oppones iterum. Si Gentiles poterant ſalvari ſinè legis obſervatione, quâ ratione legis hujus jugum ſuſciperent?

Reſpondeo ex dictis cum D. Thom. hìc *ad* 3. quòd eſtò ſinè obſervatione legis Gentiles poſſent ſalvari; attamen *perfectiùs, & ſecuriùs ſalutem conſequebantur ſub obſervantiis legis, quàm ſub ſola lege naturali: & ideo ad eos admittebantur. Sicut etiam nunc laici tranſeunt ad Clericatum, & ſeculares ad Religionem, quamvis abſque hoc poſſint ſalvari.*

§. III.

An Lex Vetus convenienti Tempore data fuerit, & ob quem Finem?

XXIV. Circa tempus veteris legis tria cum D. Tho. hìc *a.* 6. occurrunt querenda, nempe: cur data fuerit tempore Moyſis, & non potiùs, vel ab initio Mundi, vel tempore Abrahæ, vel tempore viciniori Incarnationis.

XXV.

Digitized by Google

XXV. Dico. Convenientius fuit, legem veterem dari tempore Moyſis, quàm alio tempore. Prob. diſcurſu D. Thom. Lex duobus hominum generibus dari poterat, malis nimirùm ac ſuperbis, ut in officio contineantur; & bonis, ut ad bonum per legem inſtructi adimplendum adjuventur: ſed hoc convenienter factum fuit potiùs tempore Moyſis; ergo &c. Min. prob. Mali enim, ac ſuperbi à tempore Adami uſque ad Moyſen experimento ſatis didicerant, rationem naturalem abſque adminiculo legis ſcriptæ ſibi non ſufficere: hâc enim tractu temporis per ignorantiam obtenebratâ, uſque ad Idololatriam, & turpiſſima flagitia prolapſi fuerant; ergo oportuit, ut per legem de ſua infirmitate, & ignorantiâ admonerentur, ac cognoſcerent, ſe eſſe peccatores: *Per legem* enim *cognitio peccati* Rom. 7. Item boni, ne in tanta ignorantiæ, & corruptelæ nocte ſalutis viam prorſus amitterent; egebant lege, tanquam luce, rectam viam ipſis monſtrante, & auxilio eos ducente, ne ab ea declinarent. Et ideo inter legem naturæ, & legem gratiæ, oportuit legem veterem dari quaſi mediam.

XXVI. Hinc apparere poteſt primò: non conveniſſe, ut lex vetus daretur temporibus Adamo vicinioribus. Tùm quia, ut ait Divus Thomas hoc a. 6. ad 1. *Nondum homo recognoſcebat, ſe eâ indigere, de ſua ratione confiſus: tùm quia adhuc dictamen legis naturæ nondum erat obtenebratum per conſuetudinem peccandi.*

XXVII. Secundò: nec conveniſſe, ut daretur temporibus Abrahæ; etſi jam tunc naturæ lex cepiſſet obſcurari, & homines in Idololatriam, & turpiſſima flagitia ruere cæpiſſent. Quia, ut docet S. Tho. hîc ad 2. *Lex non debet dari niſi populo, eſt enim præceptum commune, ut dictum eſt:* tempore autem Abrahæ non erat adhuc formatus populus, ſed privata familia: *Et ideo tempore Abrahæ data ſunt quædam familiaria præcepta, & quaſi domeſtica Dei ad homines. Sed poſtmodum multiplicatis ejus Poſteris, intantùm quòd populus eſſet, & liberatis eis à ſervitute lex convenienter potuit dari.* Nam ſervi non ſunt pars populi, vel civitatis, cui legem dari competit, *ut Philoſophus dicit in 3. Politic. c. 3.* Quia tamen in Abraham quaſi concipiebatur, & præformabatur populus, qui ex ſemine ejus ſucceſſu temporis erat conſtituendus: ideo Abrahæ factæ ſunt repromiſſiones de gentibus in ſemine ſuo benedicendis, *Geneſ.* 22. *v.* 18. quas S. Paulus, *Galat.* 3. *v.* 17. vocat *Teſtamentum confirmatum à Deo, quæ poſt quadringentos, & triginta annos facta eſt lex.* Et in præcepto Circumciſionis Abrahæ data fuit quædam inchoatio legis, quò ejus poſteritas, cui ſtato tempore in populum efformatæ integra lex danda erat, obſignaretur, & à cæteris populis diſtingueretur.

XXVIII. Tertiò apparet, non conveniſſe, quòd lex daretur ſolis deſcendentibus ex David, & poſt ejus tempora — Neque obſtat ſi dicas, quòd ſicut Chriſtus non eſt natus ex aliis deſcendentibus ex Noe, niſi per Abraham, cui facta fuit promiſſio: ita non eſt natus ex aliis filiis Abrahæ, niſi per David, cui eſt promiſſio renovata; ergo ſicut lex data fuit poſt Abraham, ita debuit dari poſt David — Nam reſpondeo cum D. Thom. *hîc ad* 3. neg. conſequ. *Quia* enim *legem oportebat alicui populo dari, non ſolùm illi, ex quibus eſt Chriſtu natus, legem acceperunt; ſed totus populus conſignatus ſignaculo Circumciſionis, quæ fuit ſignum promiſſionis Abrahæ factæ, & ab eo creditæ, ut dicit Apoſtolus Roman. 4. Et ideo etiam ante David oportuit legem dari tali populo jam collecto.*

XXIX. Multò minus autem conveniens fuiſſet, differre legis veteris promulgationem uſque ad tempus Incarnationis Chriſti. Primò: ne legis naturæ obſcuritas, quæ à temporibus Moyſi multorum mentes occupaverat, ni-

nimium

Digitized by Google

mium invaleſceret, & omnes hominum nationes ab ea devianies inveniret. Secundò: ut populus, ex quo Chriſtus erat naſciturus, ad eum diſponeretur, & ardentiori fide, ac ſpe in eum moveretur. Tertiò: quemadmodum ait D. Thom. hoc *art. in c.* ut per imperfecta ad perfecta homines manuducerentur, inter legem naturæ, & gratiæ tamquam mediam oportuit legem veterem dari.

XXX. Circa finem, ob quem lex vetus data fuit, dico cum D. Thoma infra q. 107. a. 2. *Quòd finis cujuslibet legis eſt, ut homines efficiantur juſti, & virtuoſi... Unde & finis veteris legis erat juſtificatio hominum. Quam quidem lex efficere non poterat, ſed figurabat quibuſdam cæremonialibus factis, & promittebat verbis*. Quare finis ejus erat homines præparare, & diſponere ad Chriſtum, tanquam ad complementum ipſius. Quare *Matth. 5. v. 17.* dixit Chriſtus: *Non veni ſolvere legem, ſed adimplere*. Hinc deducitur, quòd tametſi lex vetus ad ſolos Judæos pertinuerit quoad obligationem, & obſervantiam; tamen etiam aliquomodo pertinuit ad nos Chriſtianos, nempe, quoad ſignificationem; quatenùs erat figura quædam eorum, quæ per Chriſtum adimpleta ſunt. Ita S. Auguſt. *L. 19. contra Fauſt. c.* 7. & ſequent. Apertè etiam deducitur ex Scripturis. 1. *Cor.* 10. *v.* 6. dicit Paulus: *Hæc autem in figura facta ſunt noſtri*. Et v. 11. *Hæc autem omnia in figura contingebant illis: ſcripta ſunt autem ad correptionem noſtram*. Item Rom. 15. v. 4. *Quæcumque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt*. Et v. 8. *Dico enim, Chriſtum Jeſum miniſtrum fuiſſe Circumciſionis propter veritatem Dei ad confirmandas promiſſiones Patrum*. Et 2. Corinth. 1. v. 20. *Quotquot enim promiſſiones Dei ſunt, in illo* (Chriſto) *eſt*. Et ſanè omnia Sacrificia veteris legis erant figuræ Sacrificii Chriſti in Cruce: omneſque promiſſiones veteris legis ad Chriſtum, ut ad finem, reſpiciebant.

DUBIUM IV.

Quotuplicia fuerint Veteris Legis Præcepta.

§. I.

Diviſio Mandatorum Legis.

I. Tot, tantaque in lege veteri fuernnt mandata, ut ab Apoſtolo ad *Epheſ.* 2. *v.* 15. lex mandatorum nuncupetur, dum de Chriſto ait: *Legem mandatorum decretis evacuans*: hoc eſt, legem Moſaicam in mandatorum multitudine conſiſtentem, per decreta novæ legis vacuam, & inutilem reddens. Propterea S. Auguſtinus ipſam dixit ſarcinam innumerabilium præceptorum. Et S. Petrus Act. 15. v. 10. *Quid tentatis Deum, imponere jugum ſuper cervicec diſcipulorum, quod neque Patres noſtri, neque nos portare potuimus?* Et meritò quidem. Nam ſi fides detur Genebrardo ſub finem Chronologiæ, & Guillelmo Pariſienſi *L. de Legibus c.* 1. præcepta cæremonialia erant ad minùs ſexcenta, & tredecim: ex quibus 248. erant affirmativa, tot ſcilicet, quot ſunt membra, & oſſa in homine. & 365. negativa, quot in anno dies numerari ſolent. Qua ratione Cerdoniani, Manichæi, aliique veteres hæretici ſuperiùs recenſiti, eam tanquam nimis duram, & aſperam, Deumque ejus Legiſlatorem, Deum aſperum, crudelem, malum eſſe enormiter blaſphemabant.

II. Porrò univerſa hæc mandatorum ſeries ad duo reducitur, nempe, ad dilectionem Dei, & proximi. Unde ait Chriſtus Matth. 22. v. 40. *In his duobus mandatis univerſa lex pendet, & Probeta*. Imò Paulus Rom. 13. v. 8. 9. ad unum mandatum, nempe, dilectionem proximi propter Deum, omnia reſolvit: *Qui enim diligit proximum, legem implevit*. Et enumeratis variis legis mandatis, ſubjungit: *Et ſi quod*

quod eſt aliud mandatum, in hoc verbo inſtauratur: Diliges proximum tuum, ſicut te ipſum. Super quæ D. Thomas hâc 1. 2. q. 99. a. 1. ad 2. *Sicut* (inquit) *Apoſtolus 1. ad Timoth.* 1. Finis præcepti caritas eſt: *ad hoc enim omnis lex tendit, ut amicitiam conſtituat, vel hominum ad invicem, vel hominis ad Deum. Et ideo tota lex impletur in hoc uno mandato:* Diliges proximum tuum, ſicut te ipſum, *ſicut in quodam fine mandatorum omnium. In dilectione enim proximi includitur etiam Dei dilectio, quando proximus diligitur propter Deum. Unde Apoſtolus hoc unum præceptum poſuit pro duobus, quæ ſunt de dilectione Dei, & proximi; de quibus dicit Dominus, Matth.* 22. In his duobus mandatis pendet omnis lex, & Prophetæ.

Ex quibus conficitur, quòd legis præcepta, quamvis in ſeipſis multiplicia, ſunt tamen unum præceptum unitate finis. Quare D. Thom. citato *a. 1. ad 1.* ait: *Quòd lex vetus dicitur eſſe una ſecundùm ordinem ad finem unum* (qui eſt charitas Dei, & proximi propter Deum) *& tamen continet diverſa præcepta ſecundùm diſtinctionem eorum, quæ ordinantur ad finem. Sicut etiam ars ædificativa eſt una ſecundùm unitatem finis, quia tendit ad ædificationem domus: tamen continet diverſa præcepta ſecundùm diverſos actus ad hoc ordinatos.*

III. Præcepta igitur in veteri lege contenta generaliter dividuntur, & revocantur ad tria genera, ſcilicet, ad *Moralia*, *Cæremonialia*, & *Judicialia*. His verbis, *Deuteron. 5. v.* 31. ea expreſſit Dominus Moyſi: *Tu verò hic ſta mecum, & loquar tibi omnia mandata mea, & cæremonias, atque judicia.* Et rurſus ibi *c. 6. v.* 1. Moyſes ait: *Hæc ſunt præcepta, cæremoniæ, atque judicia, quæ mandavit Dominus Deus veſter, ut docerem vos.* Ita docet D. Tho. hâc *qu.* 99. Probari autem poteſt. Nam lex divina debet hominem dirigere, ut benè ſe gerat erga Deum, & proximum: hoc autem fit dupliciter. Primò; per præcepta moralia, quæ generatim docent, Deum eſſe colendum, & cum proximo ſervandam juſtitiam. Secundò: per præcepta cæremonialia, & judicialia, quibus determinantur ſpecialiter ritus, & cæremoniæ, per quas colendus ſit Deus, & quibus modis ſervanda ſit juſtitia inter homines. Quare præcepta cæremonialia, & judicialia nihil aliud ſunt, quàm particulares quædam determinationes præceptorum moralium, tùm pro cultu divino, tùm pro juſtitia humanâ ſervandâ.

IV. Sequitur ex his, omnia præcepta moralia pertinere ad Jus naturale; cæremonialia verò, & judicialia ad Jus poſitivum. Prior pars traditur à D. Tho. *q.* 100. *a.* 1. Utraque autem ſic probatur. Ratio naturalis dictat, Deum eſſe colendum, & proximo non eſſe faciendam injuriam; neque hoc mutari, aut abrogari poteſt, ut ſupra dictum eſt *Quæſt. præcedente Dub.* 5. At quibus cæremoniis colendus ſit Deus, & quibus modis coercenda ſit injuria, pendet ex arbitrio, & poteſtate legislatoris. Unde præcepta moralia ab omnibus quovis tempore obſervanda ſunt; reliqua verò ſolùm eo tempore, quo legiſlator vult, & ab iis, quos ipſe ad hoc obligavit.

V. Bonam eſſe præfatam diviſionem præceptorum veteris legis oſtendit D. Tho. hâc *q.* 99. *a.* 5. Quæcumque enim alia, quæ reperiuntur in veteri lege, vel non ſunt præcepta, ſed ordinantur ad præceptorum obſervationem, ſive tanquam indicantia auctoritatem præcipientis; ſive tanquam promiſſiones præmii, aut comminationes pœnæ, ſive ut quædam utilia ad melius eſſe: vel ſi præceptum contineant, ſub moralibus, cæremonialibus, aut judicialibus continentur.

VI. Quæri poteſt primò: An fuerint in lege veteri aliqua conſilia?

Reſpondetur, fuiſſe. Quoad moralia quidem, nam fuerunt vota: *Geneſ.*

28. v. 20. ubi Jacob *Vovit etiam votum*. Levitici 27. 1. *Judicum* 11. v. 30. & alibi; ſed licèt votum reddere ſit præcepti, juxta illud Deuteron. 23. v. 21. *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere*. Et Pſalm. 75. v. 12. *Vovete, & reddite Domino Deo veſtro:* vovere tamen ſolùm eſt conſilii; ergo &c.

Quoad cæremonialia etiam conſtat ex *Levit.* 22. *v.* 18. ubi de ſpontaneis oblationibus dicitur: *Qui obtulerit oblationem ſuam, vel vota ſolvens, vel ſpontè offerens &c.*

Quoad Judicialia etiam colligitur ex illo Exodi 22. v. 26. 27. *Si pignus à proximo tuo acceperis veſtimentum, ante ſolis occaſum reddes ei: Ipſum eſt enim ſolum, quo operitur, indumentum carnis ejus, nec habet aliud, in quo dormiat.* Hæc autem verba, eſtò contineant præceptum in caſu neceſſitatis ibi expreſſæ; neceſſitate tamen ſemotâ, non videntur continere, niſi conſilium. Et rationem horum dat Divus Thomas infra *q.* 100. *a.* 2. Quia illa *ſinè quibus ordo virtutis, qui eſt ordo rationis, obſervari non poteſt, cadunt ſub obligatione præcepti: quædam verò, quæ pertinent ad benè eſſe virtutis perfectæ, cadunt ſub admonitione conſilii.*

VII. Quæres ſecundò: An in veteri lege fuerint aliqua præcepta de actibus ſupernaturalibus?

Reſpondeo affirmativè. Dabatur enim præceptum fidei, & ſpei in Deum. Sed quia præceptum de fide in Deum, ſicut & de ſpe, debet præſupponi ad legem, cùm lex nequeat imponi niſi ſubdito; homo autem ſubjicitur Deo per fidem: *Propter hoc, Exodi* 20. *id, quod eſt fidei, præmittitur ante legis præcepta, cùm dicitur:* Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti. *Et ſimiliter Deuteron.* 6. *præmittitur:* Audi Iſrael, Dominus Deus tuus unus eſt: *& poſtea ſtatim incipit agere de præceptis*. Ita S. Tho. 2. 2. *qu.* 16. *a.* 1. ubi ſubdit, quòd eſtò, ſuppoſitâ fide unius Dei, quod eſt primum inter omnia credibilia, poſſint dari præcepta de aliis credendis; attamen *in veteri lege non erant ſecreta fidei populo exponenda: & ideo ſuppoſita fide unius Dei, nulla alia præcepta ſunt in veteri lege data de fide*. Idem docet de ſpe, eâdem 2. 2. *q.* 22. *a.* 1. ubi docet: quòd *ſicut fidei præceptum proponendum fuit per modum denunciationis, & commemorationis .... ita etiam præceptum ſpei in prima legislatione proponendum fuit per modum promiſſionis*. Datâ vero lege, homines potuerunt etiam muniri præcepto ad credendum, & ſperandum. Hinc *Eccleſiaſtici* 2. *v.* 6. dicitur: *Crede Deo, & recuperabit te, & dirige viam tuam, & ſpera in illum*. Et v. 8. *Qui timetis Dominum, credite illi, & non evacuabitur merces veſtra: Qui timetis Dominum, ſperate in illum.*

VIII. Quoad præceptum verò caritatis, habetur Deuteronom. 6. *v.* 5. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua*. Quod fuiſſe præceptum legis, probat Chriſti reſponſio, *Matth.* 22. *v.* 36. ubi cuidam interroganti: *Quod eſt mandatum in lege?* Reſpondit v. 37. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c.* Sermonem autem ibi eſſe de dilectione caritatis, & ſupernaturali, quæ eſt per gratiam, teſtatur D. Auguſt. *l. de Gratia, & lib. arb. c.* 18. ubi allatis Chriſti verbis prælaudatis, ait: quòd præcepta caritatis *quia per legem dantur, & veterem, & novam (quamvis in nova venerit gratia, quæ promittebatur in vetere, lex autem ſinè gratiâ littera eſt occidens, in gratiâ verò ſpiritus vivificans) unde eſt in homine caritas Dei, & proximi, niſi ex ipſo Deo?* Et ſanè cum in veteri lege eſſent viri juſti, & ſancti, nec poſſent eſſe tales ſinè actibus fidei, ſpei, & caritatis; debebant illos actus exercere, non quidem per legem ſinè gratiâ: ſed Spiritu Sancto eos vivificante ex meritis Chriſti venturi, in quem credebant.

IX.

IX. Hinc non obeſt, ſi dicas, quòd lex vetus neque juſtificabat, neque ad aliquid perfectum adducebat, ut ait Paulus, *Hebr. 7. v. 19.* — Nam hoc totum verum eſt. Lex enim præcipiebat actus ſupernaturales fidei, ſpei, & caritatis; ſed præcipiendo non juvabat, nec per ſeipſam dabat vires ad faciendum actus præceptos; dum tamen homines cognoſcentes ſuam infirmitatem, erigebant animum ad Mediatorem, quem expectabant, vires ex ejus meritis eis dabantur. Unde D. Tho. infra *qu. 107. a. 1. ad 2.* ait: *Fuerunt tamen aliqui in ſtatu veteris Teſtamenti habentes caritatem, & gratiam Spiritus Sancti, qui principaliter expectabant promiſſiones ſpirituales, & æternas; & ſecundùm hoc pertinebant ad legem novam.* Videatur etiam *qu. 100. a. 12.*

X. Si quæras: Cùm præcepta veteris legis omnia ſint vel moralia, vel cæremonialia, vel judicialia, præcepta de actibus ſupernaturalibus ad quod genus pertinebant?

Reſpondeo, reducenda eſſe ad præcepta moralia. Neque omnia præcepta moralia reſtringenda ſunt ad ſolam legem naturæ. excludendo quamlibet legem ſupernaturalem: nam ea moralia dicuntur, quæ ratio, vel naturali, vel ſupernaturali lumine illuſtrata, dictat, ut ſecundùm ſe agenda, vel vitanda.

§. II.

De Præceptis Moralibus.

XI. Conveniens fuiſſe, ut in lege veteri darentur præcepta moralia, ſeu præcepta virtutum, oſtendit D. Tho. hìc *q. 99. a. 2.* Quia cùm finis divinæ legis ſit conjungere per amicitiam hominem cum Deo, qui eſt optimus; oportebat, ut ei daret præcepta, per quæ homo fieret bonus: *Bonitas autem hominis eſt virtus, quæ facit bonum habentem. Et ideo oportuit, præcepta legis veteris etiam de actibus virtutum dari. Et hæc ſunt moralia legis præcepta.*

XII. Neque dicas, legem divinam ſubvenire debuiſſe homini in his, ubi deficit ratio humana, ſicut patet in his, quæ pertinent ad fidem, quæ ſunt ſupra rationem: ſed ad præcepta moralia ſufficere videtur ratio hominis per legem naturalem; ergo &c.

XIII. Nam reſpondeo cum D. Thoma citato ad 2. *Quòd legi divinæ conveniens erat, ut non ſolùm provideret homini in his, ad quæ ratio non poteſt; ſed etiam in his, circa quæ contingit, rationem hominis impediri. Ratio autem hominis circa præcepta moralia, quantùm ad ipſa communiſſima præcepta legis naturæ, non poterat errare in univerſali: ſed tamen propter conſuetudinem peccandi obſcurabatur in particularibus agendis. Circa alia verò præcepta moralia, quæ ſunt quaſi concluſiones deductæ ex communibus principiis legis naturæ, multorum ratio oberrabat; ita ut quædam, quæ ſunt ſecundùm ſe mala, ratio multorum licita judicaret. Unde oportuit contra utrumque defectum homini ſubveniri per auctoritatem legis divinæ. Sicut etiam inter credenda nobis proponuntur non ſolùm ea, ad quæ ratio attingere non poteſt (ut* Deum eſſe trinum*) ſed etiam ea, ad quæ ratio recta pertingere poteſt (ut* Deum eſſe unum*) ad excludendum rationis humanæ errorem, qui accidebat in multis.* Ita D. Tho.

XIV. Dico. Præcepta moralia veteris legis aliqua in Decalogo, aliqua verò extra Decalogum exprimuntur; omnia tamen ad præcepta Decalogi reducuntur. De contentis in Decalogo egimus *Quæſt. præced. Dub. 4. & 5.* ad quæ Studioſum revoco. Hanc veritatem docet D. Tho. hìc *q. 100. a. 3. & 11.* ubi ita diſcurrit: *Præcepta moralia ex ipſo dictamine naturalis rationis efficaciam habent, etiamſi nunquam in lege ſtatuantur. Horum autem triplex eſt gradus. Nam quædam ſunt communiſſima, & adeo manifeſta, quòd editione non indigent; ſicut mandata*

de dilectione Dei, & proximi, & alia hujuſmodi.... quæ ſunt quaſi fines præceptorum: unde in eis nullus poteſt errare ſecundùm judicium rationis. Quædam verò ſunt magis determinata, quorum rationem ſtatim quilibet popularis poteſt de facili videre; & tamen quia in paucioribus circa hujuſmodi contingit judicium humanum perverti, hujuſmodi editione indigent: & hæc ſunt præcepta Decalogi. Quædam verò ſunt, quorum ratio non eſt adeo cuilibet manifeſta, ſed ſolùm ſapientibus: & iſta ſunt præcepta moralia ſuperaddita Decalogo, tradita à Deo populo per Moyſen, & Aaron. Sed quia ea, quæ ſunt manifeſta, ſunt principia cognoſcendi eorum, quæ non ſunt manifeſta; alia præcepta moralia, ſuperaddita Decalogo, reducuntur ad præcepta Decalogi per modum cujuſdam additionis.

XV. Probatur etiam, quòd præcepta moralia ſummatim contineantur in Decalogo, ſic. Nam tria priora reſpiciunt cultum divinum; Deus autem colitur tribus modis: primò per fidelitatem, ſecundò per reverentiam, tertiò per famulatum. Et ſic habentur tria priora præcepta Decalogi, non habendi Deos alienos, non aſſumendi in vanum Dei nomen, & ſanctificandi Sabbatum. Eſtò autem, quoad determinationem diei, præceptum ſanctificationis Sabbati ſit cæremoniale; quoad ſubſtantiam tamen, nempe, quòd homo aliquo tempore vacet rebus divinis, eſt morale, ut docet D. Thom. *q.* 100. *a.* 3. *ad* 2. Reliqua verò præcepta reſpiciunt juſtitiam cum proximo ſervandam; ſive erga parentes, eos honorando: ſive erga alios, eos non lædendo, neque ore, neque opere, neque corde.

XVI. Quòd autem alia præcepta moralia reducantur ad præcepta Decalogi tanquam additiones; vel, ut loquitur S. Thom. *qu.* 100. *art.* 3. tanquam concluſiones ex iis principiis deducantur, oſtendit idem S. Doct. eâdem *quæſt. a.* 11. Nam ex primo vetante cultum alienorum Deorum, deducitur, *Deuteron.* 18. *v.* 10. & 11. quòd nullus luſtret filium, vel filiam, nullus ſit maleficus, vel incantator, nullus conſulat Pythones, aut Divinos. Ex ſecundo prohibente perjurium ſequitur, quòd nullus blaſphemet nomen Domini, *Levit.* 24. 16. nullus doceat falſam doctrinam, *Deuteron.* 13. Ex tertio ſanctificationis Sabbati deducuntur omnia cæremonialia. Ex quarto honorandi parentes ſequitur præceptum de honorandis ſenibus, de reverentia eis exhibendâ *Levit.* 19. *v.* 32. Ex quinto de prohibitione homicidii deducitur prohibitio odii fratris, & cujuslibet violationis contra proximum, *Levit.* 19. *v.* 16. & 17. Ex ſexto de non adulterando, ſequitur prohibitio meretricii, *Deuteron.* 23. *v.* 17. & vitii contra naturam, *Levit.* 18. *v.* 22. & 23. Ex ſeptimo de non furando ſequitur prohibitio uſuræ, *Deuteron.* 23. *v.* 19. & fraudis, ibidem *c.* 25. *v.* 13. 14. & 15. Ex octavo de non dicendo falſo teſtimonio deducitur prohibitio falſi judicii, *Exod.* 23. *v.* 2. & mendacii, ibid. *v.* 7. & detractionis, *Levit.* 19. *v.* 13. 14. & 16. *Aliis autem duobus præceptis* (ait S. Thom.) *nulla alia junguntur, quia per ea univerſaliter omnis mala concupiſcentia prohibetur.*

XVII. Sed dices. Si præter præcepta Decalogi ſuperadduntur alia moralia pertinentia ad latriam, liberalitatem, miſericordiam, & caſtitatem; cur non adduntur alia præcepta pertinentia ad actus aliarum virtutum, puta ad fortitudinem, ſobrietatem &c.

XVIII. Reſpondet D. Thom. q. 100. a. 11. ad 3. *Quòd præcepta legis ordinantur ad bonum commune, ut ſupradictum eſt. Et quia virtutes ordinantes ad alium directè pertinent ad bonum commune; & ſimiliter virtus caſtitatis, inquantùm actus generationis ſervit bono communi ſpeciei: ideo de iſtis virtutibus directè dantur præcepta Decalogi, & ſuperaddita. De actu autem fortitudinis datur præceptum proponendum per Duces exhortantes in bello, quod pro*

bono

Digitized by Google

bono communi ſuſcipitur ; ut patet Deuteron. 20. ubi mandatur Sacerdoti, ut ad populum dicat appropinquante jam prælio : Nolite metuere, nolite cedere. *Similiter etiam actus gulæ prohibendus committitur monitioni paternæ ; quia contrariatur bono domeſtico : Unde dicitur Deuteron. 21. ex perſona parentum :* Monita noſtra audire contemnit, comeſſationibus vacat, & luxuriæ, atque conviviis.

§. III.

De Præceptis Cæremonialibus. De Sacrificiis.

XIX. PRæcepta cæremonialia propriè dicuntur ea, quæ pertinent ad Dei cultum, ut docet D. Th. hâc 1. 2. *q.* 101. *a.* 1. his verbis : *Cæremonialia præcepta determinant præcepta moralia in ordine ad Deum ; ſicut judicialia determinant præcepta moralia in ordine ad proximum. Homo autem ordinatur ad Deum per debitum cultum.* In cultu autem Dei (ut docet ibi a. 4.) tria conſiderari poſſunt : *& ipſe cultus, & colentes, & inſtrumenta colendi. Ipſe autem cultus ſpecialiter conſiſtit in Sacrificiis, quæ in Dei reverentiam offeruntur. Inſtrumenta autem colendi pertinent ad Sacra, ſicut Tabernaculum, Altare,* Arca fæderis, vaſa, veſtes ſacerdotales, ſolemnitates. *Ex parte autem colentium*, ſeu cultorum *duo poſſunt conſiderari : ſcilicet, eorum inſtitutio ad cultum divinum, quod fit per quamdam conſecrationem, vel populi, vel miniſtrorum ; & ad hoc pertinent ſacramenta : & iterum eorum ſingularis converſatio, per quam diſtinguuntur ab his, qui Deum non colunt ; & ad hoc pertinent obſervantiæ, puta, in cibis, & veſtimentis, & aliis hujuſmodi.* Ita D. Thom. Unde præcepta cæremonialia erant quadruplicia : Sacrificia, Inſtrumenta colendi, ſeu Sacra, Sacramenta, & Obſervantiæ.

XX. Sacrificiorum tria ſunt genera, nempe, Holocauſtum, Hoſtia pro peccato, & Hoſtia pacifica. Holocauſtum, ut docet D. Thom. 1. 2. *q.* 102. *a.* 3. *ad* 8. quaſi *totum incenſum*, erat illud, in quo tota victima comburebatur : nam *offerebatur Deo ſpecialiter ad reverentiam majeſtatis ipſius, & amorem bonitatis ejus, & conveniebat perfectionis ſtatui in impletione conſiliorum. Et ideircò totum comburebatur, ut ſicut totum animal reſolutum in vaporem ſurſum aſcendebat : ita etiam ſignificaretur, totum hominem, & omnia, quæ ipſius ſunt, Dei dominio eſſe ſubjecta, & ei eſſe offerenda.* Ritus offerendi Holocauſtum præſcribitur *Levit.* 1. & præceptum *Levit.* 6.

XXI. Hoſtia pro peccato erat Sacrificium, *quod offerebatur Deo ex neceſſitate remiſſionis peccati. Et conveniebat ſtatui pœnitentium in ſatisfactione peccatorum. Quod dividebatur in duas partes. Nam una pars ejus comburebatur ; altera verò cedebat in uſum Sacerdotum : niſi quando offerebatur Sacrificium pro peccato totius populi, vel ſpecialiter pro peccato Sacerdotis : tunc enim totum comburebatur. Non enim debebant in uſum Sacerdotum venire ea, quæ pro peccato eorum offerebantur.... Si enim cederet in uſum eorum pro quorum peccatis offerebatur, idem eſſe videretur, ac ſi non offerretur.* Ita S. Thom. laudatus. Ritus Hoſtiæ pro peccato deſcribitur *Levit.* 4. & 6. Præceptum de eo datur *Levit.* 7.

Porro cùm ibi *v.* 7. diſtinguatur hoſtia pro peccato, & hoſtia pro delicto ; in quo differant peccatum, & delictum, non una eſt ſententia. Origenes *Homil.* 5. *in Levitic.* & D. Auguſt. *q.* 20. *in Levitic.* in eo putant differre, vel quòd peccatum ſit commiſſio mali, delictum ſit omiſſio boni : nam (inquit S. Auguſt.) *quid aliud ſonat delictum, niſi derelictum ; & quid derelinquit, qui delinquit, niſi bonum?* Vel, ut ajunt prælaudati Patres, delictum eſt, quod ignoranter, peccatum verò, quod ſcienter committitur : unde Auguſt. ibidem : *Poteſt* (inquit) *etiam videri, illud eſſe delictum, quod impru-*

deu-

denter, ideſt ignoranter; illud peccatum, quod ab ſciente committitur. Quibus conſentit S. Hieron. *in c.* 40. *Ezechiel.*

XXII. Hoſtia pacifica (proſequitur D. Thom.) illa erat, *quæ offerebatur Deo vel pro gratiarum actione, vel pro ſalute, & proſperitate offerentium, ex debito beneficii vel accipiendi, vel accepti. Et convenit ſtatui proficientium in impletione mandatorum. Et iſta dividebatur in tres partes. Nam una pars incendebatur ad honorem Dei, alia pars cedebat in uſum Sacerdotum, tertia verò pars in uſum offerentium: ad ſignificandum, quòd ſalus hominis procedit à Deo, dirigentibus miniſtris Dei, & cooperantibus ipſis hominibus, qui ſalvantur.* Ritus hoſtiæ pacificæ deſcribitur *Levit.* 3. & præceptum *Levit.* 7.

XXIII. Pergit autem S. Doct. citato loco *ad* 8. Quòd in omni Sacrificio *Hoc generaliter obſervabatur, quòd ſanguis, & adeps non veniebat neque in uſum Sacerdotum, neque in uſum offerentium: ſed ſanguis effundebatur ad crepidinem altaris in honorem Dei, adeps verò adurebatur in igne.* Et hoc primò ad excludendam Idololatriam. Idololatræ enim bibebant de ſanguine victimarum, & comedebant adipem. Secundò, ut Hebræi horrerent humani ſanguinis effuſionem, & ut vitarent laſciviam, cui maximè confert eſus adipum. Tertiò, ob reverentiam divinam, ut ſcilicet oſtenderetur, ſanguinis, in quo maximè conſiſtit vita, effuſione, & adipis, quod eſt ſummi nutrimenti, concrematione, vitam, & omnem bonorum ſufficientiam à Deo nobis ineſſe. Tertiò, quia per hoc figurabatur effuſio ſanguinis Chriſti, & pinguedo caritatis ejus, per quam ſe obtulit Deo pro nobis.

XXIV. Addit S. Thomas ibi: Quòd *de Hoſtiis pacificis in uſum Sacerdotis cedebat pectuſculum, & armus dexter; ad excludendam quamdam divinationis ſpeciem, quæ vocatur* Spatulamantia: *quia, ſcilicet in ſpatulis animalium immolatorum divinabant, & ſimiliter in oſſe pectoris; & ideo iſta offerentibus ſubtrahebantur. Per hoc etiam ſignificabatur, quòd Sacerdoti erat neceſſaria ſapientia cordis ad inſtruendum populum; quod ſignificabatur per pectus, quod eſt tegumentum cordis; & etiam fortitudo ad ſuſtentandum defectus, quæ ſignificatur per armum dextrum.*

XXV. Obſervat inſuper ibidem ad 10. *Quòd inter omnia Sacrificia Holocauſtum erat præcipuum; quia totum comburebatur in honorem Dei, & nihil ex eo comedebatur. Secundum verò locum in ſanctitate tenebat Hoſtia pro peccato; quia comedebatur ſolùm in atrio à Sacerdotibus in ipſa die Sacrificii. Tertium verò gradum tenebant Hoſtia pacificæ pro gratiarum actione, quæ comedebantur ipſo die, ſed ubique in Hieruſalem. Quartum verò locum tenebant hoſtiæ pacificæ ex voto, quarum carnes poterant etiam in craſtino comedi.*

XXVI. Animalia, quæ horum Sacrificiorum victimæ eſſe poterant, ex quadrupedibus erant boves, oves, & capræ; ex volatilibus turtur, & columba, & etiam paſſer in emundatione leproſi. Ex terræ frugibus panis, vinum, ſal, & thus. Ratio autem, quare boves, oves, & capræ, & non alia quadrupedia Deo in Sacrificium offerrentur, traditur à Divo Thoma citatâ q. 102. a. 3. ad 2. *Primò quidem ad excludendam Idololatriam; quia omnia alia animalia offerebant Idololatræ Diis ſuis, vel eis ad maleficia utebantur. Iſta autem animalia apud Ægyptios, cum quibus converſati erant, abominabilia erant ad occidendum .... Unde ea non offerebant in Sacrificium Diis ſuis. Unde dicitur Exodi* 8. Abominationes Ægiptiorum immolabimus Domino Deo noſtro. *Oves enim colebant, hircos venerabantur, quia in eorum figura Dæmones apparebant: Bobus etiam utebantur ad agriculturam, quam inter res ſacras habebant.* Secundò. Quia præfata animalia uſui, ac nutrimento hominis maximè deſerviunt, munda ſunt, & mundum habent alimentum. Alia verò animalia, vel ſunt ſylveſtria, & non ſunt

com-

communiter uſui hominum deputata: vel ſi ſunt domeſtica, immundum habent nutrimentum, ut porcus, & gallina: *Solùm autem id, quod eſt purum, Deo eſt attribuendum*. Ex avibus ſpecialiter offerebantur turtur, & columba, ſive quia habebantur in copia in terra promiſſionis; ſive quia per earum immolationem puritas mentis deſignatur: turtur enim, & præcipuè columba caſtitatem, & ſimplicitatem mentis ſignificant, vel turtur caſtitatem, & columba caritatem.

Ideo autem mandantur offerri turtures, & pullos columbarum; quia, inquit S. Thomas ad 4. *In turturibus meliores ſunt majores, quàm pulli, in columbis autem è converſo*. Quod autem eſt optimum, Deo eſt offerendum.

Piſces non offerebantur: quia, ut ait D. Tho. ad 3. *Piſces, qui in aqua vivunt, magis ſunt alieni ab homine, quàm cætera animalia, quæ vivunt in aere, ſicut & homo. Et iterum piſces ex aqua extracti ſtatim moriuntur: unde non poterant in templo afferri, ſicut alia animalia*.

Ideo autem *animalia in Sacrificium oblata occidebantur* (inquit D. Tho. ad 5.) *quia veniunt in uſum hominis occiſa, ſecundùm quod à Deo dantur homini ad eſum: & ideo etiam igni cremabantur, quia per ignem decocta ſunt apta humano eſui. Similiter etiam per occiſionem animalium ſignificatur deſtructio peccatorum, & quòd homines erant digni occiſione pro peccatis ſuis, ac ſi illa animalia loco eorum occiderentur, ad ſignificandam expiationem peccatorum. Per occiſionem hujuſmodi animalium ſignificabatur occiſio Chriſti*.

Determinatur autem in lege modus occidendi animalia immolata. Tùm ad excludendos alios modos, quibus Idololatræ animalia Idolis immolabant. Tùm, ut Rabbi Moyſes dicit: *Lex elegit genus occiſionis, quo animalia minùs affligebantur occiſa; per quod etiam excludebatur & immiſericordia offerentium, & deterioratio animalium occiſorum*. Ita S. Tho. *ad* 6.

Animalia aliquem defectum, ſeu maculam habentia inepta erant Sacrificio; quia ſolent contemtui haberi etiam apud homines. Et eadem ratione non offerebant animalia ante ſeptimum diem; quia talia animalia erant quaſi abortiva, & nondum plenè conſiſtentiæ, propter teneritudinem. Prohibitum quoque erat offerre mercedem proſtibuli, aut pretium carnis. Sic D. Tho. *ad* 7.

In Holocauſto (inquit *ad* 9.) quod inter Sacrificia erat perfectiſſimum, non offerebatur niſi maſculus, nam fœmina eſt animal imperfectum: *Oblatio autem turturum, aut columbarum erat propter paupertatem offerentium, qui majora animalia offerre non poterant. Et quia Hoſtiæ pacificæ gratis offerebantur, & nullus eas offerre cogebatur, niſi ſpontaneus; ideo hujuſmodi aves non offerebantur inter Hoſtias pacificas, ſed inter Holocauſta, & Hoſtias pro peccato, quas quandoque oportebat offerre. Aves etiam hujuſmodi propter altitudinem volatus congruunt perfectioni Holocauſtorum, & etiam Hoſtiis pro peccato, quia habent gemitum pro cantu*.

Qui verò avem habere non poſſet, ſaltem offerre debebat panem; & ſi nec hunc habere poſſet, ſaltem farinam, vel ſpicas offerret. Panis enim figurabat Chriſtum, qui eſt panis vivus: *Qui quidem erat velut* ſpica *in ſtatu legis naturæ in fide Patrum. Erat autem ſicut* ſimila *in doctrina legis, & Prophetarum. Erat autem ſicut* panis formatus *poſt humanitatem aſſumtam:* coctus ignè, *ideſt, formatus Spiritu Sancto in clibano uteri virginalis: qui etiam fuit coctus* in ſartagine *per labores, quos in Mundo ſuſtinebat: in Cruce verò quaſi* in craticula *aduſtus*. Ita S. Doctor *ad* 12.

XXVII. Quæ verò de terræ naſcentibus (inquit ad 13.) *Vel ſunt in cibum; & de his offerebatur* panis. *Vel ſunt in potum; & de his offerebatur* vinum;

vinum. *Vel ſunt in condimentum; & de his offerebatur* oleum, *&* ſal. *Vel ſunt in medicamentum; & de his offerebatur* thus, *quod eſt aromaticum, & conſolidativum. Per* panem *autem figuratur caro Chriſti: per* vinum *autem ſanguis ejus, per quem redemti ſumus:* oleum *figurat gratiam Chriſti:* ſal *ſcientiam:* thus *orationem. Mel* (inquit idem S. Doct. ad 14.) *non offerebatur in Sacrificiis Dei: tùm quia conſueverat offerri in Sacrificiis Idolorum: tùm etiam ad excludendam omnem carnalem dulcedinem, & voluptatem ab his, qui Deo ſacrificare intendunt.* Fermentum *verò non offerebatur ad excludendam corruptionem; & fortè etiam in Sacrificiis idolorum ſolitum erat offerri.*

XXVIII. Quamvis autem etiam in Sacrificiis Idolorum offerretur thus, & ſal, adhuc tamen à Sacrificiis Dei non excludebatur. Quia, ut docet D. Tho. ibi, Sal *offerebatur, quia impedit corruptionem putredinis; Sacrificia autem Dei debent eſſe incorrupta: & etiam quia in ſale ſignificatur diſcretio ſapientiæ, vel etiam mortificatio carnis. Thus autem offerebatur Deo ad deſignandam devotionem mentis, quæ eſt neceſſaria offerentibus; & etiam ad deſignandum odorem bonæ famæ. Nam thus, & pingue eſt, & odoriferum. Et quia Sacrificium Zelotipiæ non procedebat ex devotione, ſed magis ex ſuſpicione; ideo in eo non offerebatur thus.*

§. IV.

De aliis Præceptis Cæremonialibus.

XXIX. Inter præcepta cæremonialia ſequuntur ea, quæ verſabantur circa inſtrumenta colendi Deum: quæ, ex dictis, erant Tabernaculum, Arca fœderis, Propitiatorium, Candelabrum, Menſa, duplex Altare, Vaſa, Veſtes Sacerdotales &c.

Tabernaculum erat quædam Templi mobilis, ac portatilis ſpecies, de quo *Exodi 26.* ad differentiam Templi ſtabilis, & immobilis à Salomone conſtructi, de quo 3. *Reg. 6.* &c. Rationem aſſignat S. Tho. hâc *q.* 102. *a.* 4. *ad* 2. Nam primò populus cùm incederet per deſertum per 40. annos, non habuit certam, ac fixam manſionem. Deinde terram promiſſionis ingreſſus variis bellis cum finitimis gentibus à pacifica poſſeſſione illius terræ diſturbatus fuit; ſolùmque Davidis temporibus, & Salomonis quietiſſimum ſtatum habere cæpit. Conveniens ergo erat, ut toto præcedente tempore haberet Templum mobile, quod de loco in locum ſecum aſportare poſſet; non autem firmum, ac ſtabile, ne à Gentilibus occuparetur: & ſolùm Salomonis tempore, quo ſummâ pace, ac pacificâ poſſeſſione fruebatur, Templum firmum erigeretur. Unde S. Thomas citatus ait: *Locus autem ille deſignari non debuit per ædificationem Templi ante tempus prædictum, propter tres rationes, quas Rabbi Moyſes aſſignat. Prima eſt, ne Gentes appropriarent ſibi locum illum. Secunda eſt, ne Gentes ipſum deſtruerent. Tertia verò ratio eſt, ne quælibet Tribus vellet habere locum illum in ſorte ſua, & propter hoc orirentur lites, & jurgia. Et ideo non fuit ædificatum Templum, donec haberent Regem, per quem poſſet hujuſmodi jurgium compeſci. Antea verò ad cultum Dei erat ordinatum Tabernaculum portatile per diverſa loca, quaſi nondum exiſtente determinato loco divini cultus. Et hæc eſt ratio litteralis diverſitatis Tabernaculi, & Templi.*

Ratio autem figuralis (proſequitur S. Doct.) *eſſe poteſt, quia per hæc duo ſignificatur duplex ſtatus. Per Tabernaculum enim, quod eſt mutabile, ſignificatur ſtatus præſentis vitæ, quæ eſt mutabilis. Per Templum verò, quod erat fixum, & ſtans, ſignificatur ſtatus futuræ vitæ, quæ omnino immutabilis eſt. Et propter hoc in ædificatione Templi dicitur, quòd* non eſt auditus ſonitus mallei, vel ſecuris *ad ſignificandum, quòd omnis perturbationis tumultus longè erit à ſtatu futuro. Vel per Taberna-*

natulum ſignificatur ſtatus veteris legis; per Templum autem à Salomone conſtructum, ſtatus novæ legis: unde ad conſtructionem Tabernaculi ſoli Judæi ſunt operati, ad ædificationem verò Templi cooperati ſunt etiam Gentiles, ſcilicet Tyrii, & Sidonii.

XXX. Arca fœderis, quæ primò fuit in Tabernaculo, deinde in Templo, compacta erat ex lignis ſetim, ſeu, ut reddunt lxx. ex *lignis imputribilibus*, genus arboris ſpinæ albæ ſimile; intus, & foris deaurata, coronâque aureâ circumdata. Quid verò in hac Arca fuerit, magna quæſtio eſt. Nam 3. *Reg. c.* 8. *v.* 9. expreſsè dicitur: *In arca autem non erat aliud, niſi duæ tabulæ lapideæ, quas poſuerat in ea Moyſes in Horeb, quando pepigit Dominus fœdus cum Filiis Iſrael, cum egrederentur de terra Ægypti*. Quod repetitur 2. *Paralip.* 5. *v.* 10. Ex oppoſito autem S. Paulus *Hebraor.* 9. *v.* 4. affirmat, præter duas tabulas, fuiſſe etiam manna, & virgam Aaron, his verbis: *Et Arcam teſtamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua urna aurea habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ teſtamenti*. Paulo ſubſcribens S. Thomas 1. 2. q. 102. a. 4. ad 6. *In illo* (inquit) *Tabernaculo tria continebantur, ſcilicet, Arca teſtamenti, in qua erat urna aurea habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ, in quibus erant ſcripta decem præcepta legis*. Quomodo igitur in uno Scripturæ loco dicitur, quòd in Arca non erat aliud, quàm tabulæ lapideæ, & in altero quòd erat aliud, nempe, manna, & virga Aaron?

XXXI. Apparens hæc contradictio duplici viâ tolli ſolet. Unâ, dicendo, Paulum ſcripſiſſe, quòd manna, & virga erant in Arca; non quia intus, ſed quia juxta Arcam erant: more loquendi in Scripturis ſolemni, quo dicitur aliquid eſſe in loco, quòd juxta locum eſt. Ita ut ſolæ quidem tabulæ legis eſſent intus Arcam, manna tamen, & virga in Arca, ideſt juxta Arcam eſſent. Sic *Joann.* 10. dicitur: *Et ambulabat Jeſus in Templo in Porticu Salomonis*; ideſt, in porticu juxta Templum. Sic etiam dicitur Chriſtus eieciſſe ementes, & vendentes de Templo; qui tamen non intra Templum, ſed in porticu propè Templum negotiabantur. Manna autem fuiſſe repoſitam in vaſe prope Arcam, habetur *Exod.* 16. *v.* 33. & 34. & ſimiliter virgam Aaron *Numer.* 17. *v.* 10.

Aliâ viâ conciliari poteſt Apoſtolus, ut dicamus, Moyſi quidem, & Salomonis temporibus, non aliud intus Arcam fuiſſe, quàm tabulas legis: ſed poſt Salomonis fortè tempora Sacerdotes cupientes, virgam Aaron, & urnam auream continentem manna in ſecretiori, ac tutiori eſſe cuſtodiâ, illa in Arca cum tabulis legis repoſuiſſe: cujus rei non inſcius S. Paulus Traditiones majorum edoctus, hæc tria eſſe in Arca ſcripſerit. Ita Theophilactus. Quæ dicebatur *Arca Teſtimonii*, quia, ut ait S. Auguſt. *l.* 10. *de Civit. Dei c.* 17. divinæ voluntatis teſtimonia ex illa conſueverant perhiberi.

XXXII. *Hæc autem Arca* (inquit D. Tho. *q.* 102. *a.* 4. *ad* 6. citat.) *ſita erat inter duos Cherubim, qui ſe mutuis vultibus reſpiciebant* (Exod. 25.) *& ſuper Arcam erat quadam tabula, quæ dicebatur* Propitiatorium, *ſubter alas Cherubin, quaſi ab ipſis Cherubin portaretur, ac ſi imaginaretur, quòd illa tabula eſſet ſedes Dei. Unde &* Propitiatorium *dicebatur, quaſi exinde populo propitiaretur ad preces ſummi Sacerdotis; & idcircò quaſi portabatur à Cherubim, quaſi Deo obſequentibus. Arca verò Teſtamenti erat tanquam ſcabellum ſedentis ſuper Propitiatorium*. Videatur *Exodi* 25. *v.* 22. & *Numer.* 7. *v.* 89. ubi etiam vocatur *Oraculum*, quia Deus reddebat ibi reſponſa.

XXXIII. *Candelabrum* (inquit Divus Thomas laudato loco) *erat inſtitutum ad honorificentiam Tabernaculi, perti-*

pertinet enim ad magnificentiam domus, quòd ſit benè luminoſa. Habebat autem Candelabrum ſeptem calamos, ut Joſephus dicit (lib. 3. Antiquit. c. 7. & 8.) *ad ſignificandum ſeptem Planetas, quibus totus Mundus illuminatur. Et ideo ponebatur Candelabrum ex parte Auſtrali; quia ex illa parte eſt nobis Planetarum curſus.*

XXXIV. *Altare verò Thymiamatis erat inſtitutum, ut jugiter in Tabernaculo eſſet fumus boni odoris. Tùm propter venerationem Tabernaculi, tùm etiam in remedium fœtoris, quem oportebat accidere ex effuſione ſanguinis, & occiſione animalium. Ea enim, quæ ſunt fœtida, deſpiciuntur quaſi vilia; quæ verò ſunt boni odoris homines magis appretiantur.*

XXXV. *Menſa autem apponebatur ad ſignificandum, quòd Sacerdotes Templo ſervientes, in Templo victum habere debebant. Unde duodecim panes ſuperpoſitos menſæ, in memoriam duodecim Tribuum, ſolis Sacerdotibus edere licitum erat, ut habetur Matth. 12. Menſa autem non ponebatur directè in medio ante Propitiatorium, ad excludendum ritum idolatriæ. Nam Gentiles in ſacris Lunæ proponebant menſam coram Idolo Lunæ. Unde dicitur Jerem. 7.* Mulieres conſpergunt adipem, ut faciant placentas Reginæ Cœli.

XXXVI. *In atrio verò extra Tabernaculum continebatur Altare Holocauſtorum, in quo offerebantur Deo Sacrificia de his, quæ erant à populo poſſeſſa. Et ideo in atrio poterat eſſe populus, qui hujuſmodi Deo offerebat per manus Sacerdotum: ſed ad interius Altare, in quo ipſa devotio, & ſanctitas populi offerebatur, non poterant accedere, niſi Sacerdotes, quorum erat Deo offerre populum. Eſt autem hoc Altare extra Tabernaculum in atrio conſtitutum, ad removendum cultum Idololatriæ. Nam Gentiles intra Templa Altaria conſtituebant ad immolandum Idolis.* Hucuſque Sanctus Thomas citato loco. Qui proſequitur, aſſignando rationes figurales omnium prædictorum, quas Studioſus apud ipſum legere poterit. Interim de Candelabro, & Menſâ propoſitionis videat *Exod. c.* 25. de Altari thymiamatis *Exod.* 30. de Altari Holocauſti *Exod.* 27. *&* 38.

XXXVII. Vaſorum varia genera erant, *Exod.* 25. *&* 27. 3. *Reg.* 7. & 2. *Paralip.* 4. ubi numerantur acetabula, phialæ, thuribula, cyathi, lebetes, hydriæ, mortariola, lucernæ &c.

Veſtes quoque Sacerdotales erant variæ, ut patet *Exod.* 28. ubi Pontificalia indumenta Aaronis, & filiorum ejus deſcribuntur.

XXXVIII. Sacramenta veteris legis erant duplicia, ut colligitur ex D. Thoma *q.* 102. *a.* 5. Quædam enim pertinebant ad totum populum, ut Circumciſio, eſus agni Paſchalis, purificationes à quibuſdam exterioribus immunditiis, expiationes à peccatis: alia propria miniſtris, ut conſecratio Sacerdotum, eſus panis propoſitionis, & aliorum, quæ uſibus Sacerdotum deputabantur; ablutio manuum, ac pedum, raſio pilorum &c. Ratio autem hujus diſtinctionis eſt: quia cultus Dei, eſtò generali quodam modo pertineret ad totum populum, ſpeciali tamen modo pertinebat ad Sacerdotes, & Levitas: & ideo pro iſtis præter communia, ſpecialia inſtituta fuerunt Sacramenta.

XXXIX. Hæc autem omnia, præter litteralem ſignificationem, habebant etiam figuralem; quia ordinabantur (ut omnia Moſaica) ad figurandum Chriſtum, quod ſigillatim diſcurrenti conſtabit. Nam Circumciſio erat figura Baptiſmi: agnus Paſchalis Euchariſtiæ, Sacerdotium legale noſtri Sacerdotii, expiationes omnes Sacramenti Pœnitentiæ. Ita D. Thom. citato *a.* 5. *ad* 3. ubi advertit, Sacramento Confirmationis nullum reſpondiſſe in veteri lege Sacramentum; quia nondum advenerat plenitudo gratiæ, quæ per Confirmationem datur. Sicut nec Extremæ unctioni: quia *hæc eſt quædam immediata præparatio ad introitum gloriæ, cujus aditus nondum patebat in*

veteri

Digitized by Google

veteri lege, pretio nondum ſoluto. Matrimonium autem fuit quidem in veteri lege, prout erat in officium naturæ; non autem pro ut eſt Sacramentum conjunctionis Chriſti & Ecleſiæ, quæ nondum erat facta. Unde & in veteri lege dabatur libellus repudii, quod eſt contra Sacramenti rationem.

XL. Si quæras: Cur inter Sacramenta veteris legis non numerantur Sacrificia; cùm in nova lege ipſum Sacrificium ſit Sacramentum Altaris?

Reſpondet D. Thom. 1. 2. q. 101. a. 4. ad 2. *Quòd Sacrificium novæ legis, ideſt Euchariſtia continet ipſum Chriſtum, qui eſt ſanctificationis actor:* Sanctificavit *enim* per ſuum Sanguinem populum, *ut dicitur ad Hebræos ultimo. Et ideo hoc Sacramentum etiam Sacrificium eſt. Sed Sacrificia veteris legis non continebant Chriſtum, ſed ipſum figurabant: & ideo non dicuntur Sacramenta; ſed ad hoc deſignandum, ſeorſum erant quædam Sacramenta in veteri lege, quæ erant figura futuræ conſecrationis: quamvis etiam quibuſdam conſecrationibus quædam Sacrificia adjungerentur.*

XLI. Superſunt *Obſervantiæ legales*, quibus ex decreto Dei populus Judæorum ab aliis gentibus diſcernebatur, quæ verum Deum non colebant. Iſtæ enim inter *Sacra* computari non poterant: *quia* (ut D. Thom. q. 101. a. 4. ad 4. obſervat) *non habebant immediatum reſpectum ad cultum Dei, ſicut Tabernaculum, & vaſa ejus; ſed per quamdam conſequentiam erant cæremonialia, inquantùm pertinebant ad quamdam idoneitatem populi colentis Deum.*

XLII. Obſervantiæ legales erant variæ. Primò, diſcretio ciborum mundorum ab immundis. Secundò, abſtinentia à ſanguine, & adipe. Tertiò, jejunia Nazaræorum. Quartò, vota. Quintò, Solemnitates. Sextò, certus uſus veſtium. De his agit D. Thom. *q.* 101. *a.* 6. ubi ſpecialiter *ad* 1. exponit, quo ſenſu aliqui cibi dicerentur immundi; & alia multa in ſequentibus, quò Candidatum remitto. Solùm circa Solemnitates obſervo ex D. Thom. *q.* 101. *a.* 4. *ad* 5. quòd Solemnitates etiam inter *Sacra* computari videntur: *Sicut enim Sacrificia offerebantur in determinato loco; ita etiam offerebantur in determinatis temporibus.*

XLIII. Solemnitates, teſte S. Thom. *q.* 102. *a.* 4. *ad* 10. in veteri lege ſeptem erant temporales, & una continua, ut poteſt colligi *Numer.* 28. & 29. Erat enim quaſi continuum Feſtum; quia quotidie mane, & veſpere immolabatur agnus. Et per illud continuum feſtum jugis Sacrificii repræſentabatur perpetuitas divinæ beatitudinis. Feſtorum autem temporalium primum erat, quod iterabatur quâlibet ſeptimanâ: & hæc erat *Solemnitas Sabbati*, quod celebrabatur in memoriam creationis rerum. Alia Solemnitas iterabatur quolibet menſe, ſcilicet, feſtum *Neomeniæ*, ad commemorandum opus divinæ gubernationis. Quia autem hæc duo beneficia ſunt communia toti generi humano, ideo frequentiùs iterabantur.

Alia verò quinque Feſta celebrabantur ſemel in anno; & recolebantur in eis beneficia ſpecialiter illi populo exhibita. Celebrabatur enim Feſtum *Phaſe* primo menſe, ad commemorandum beneficium liberationis ex Egypto. Poſt quinquaginta dies celebrabatur Feſtum *Pentecoſtes*, ad recolendum beneficium legis datæ. Alia verò tria Feſta celebrabantur in menſe ſeptimo; qui quaſi totus apud eos erat ſolemnis, ſicut & ſeptimus dies. In prima enim die menſis ſeptimi erat *Feſtum Tubarum* in memoriam liberationis Iſaac; quando Abraham invenit arietem hærentem cornibus, quem repræſentabant per cornua, quibus buccinabant. Erat autem Feſtum tubarum quaſi quædam invitatio, ut præpararent ſe ad ſequens Feſtum, quod celebrabatur decimo die, & vocabatur Feſtum *Expiationis*, in memoriam illius beneficii, quo Deus ad preces Moyſi propitiatus eſt peccato populi de adoratione vituli. Poſt hoc celebrabatur Feſtum *Scenopægia* ideſt, *Tabernaculorum*, ſeptem diebus ad com-

memorandum beneficium divinæ protectionis, & deductionis per deſertum, ubi in tabernaculis habitaverunt. Octavo autem die celebrabatur aliud Feſtum, ſcilicet, *Cœtus*, atque *Collecta*; in quo colligebantur à populo ea, quæ erant neceſſaria ad expenſas cultus divini: & ſignificabatur adunatio populi, & pax præſtita in terra promiſſionis. Hæc iiſdem ferè verbis S. Thom. qui deinde rationes figurales pro ſingulis feſtis aſſignat, quæ videri poſſunt.

§. V.

De Præceptis Judicialibus.

XLIV. POſtquam egimus de præceptis, quæ populum Iſraeliticum ad Deum ordinabant, qualia ſunt cæremonialia; de præceptis agendum eſt, quibus ille populus ordinabatur invicem: & hæc vocamus præcepta Judicialia. Quadruplex ergo ordo in aliquo populo inveniri poteſt (inquit S. Thom. 1. 2. *q.* 104. *a.* 4.) Primus *Principum populi ad ſubditos*. Secundus *ſubditorum ad invicem*. Tertius *ad extraneos*. Quartus *Ad domeſticos, ſicut Patris ad filium, uxoris ad virum, & Domini ad ſervum*. In quolibet ex iſtis ordinibus benè inſtituendo erant in lege veteri præcepta, ac judicia.

XLV. De Principibus convenienter ordinavit lex vetus. Nam ut docet D. Thom. 1. 2. q. 105. a. 1. *Circa bonam ordinationem Principum* duo ſunt attendenda. Unum, *ut omnes aliquam partem habeant in principatu: per hoc enim conſervatur pax populi, & omnes talem ordinationem amant, & cuſtodiunt. Aliud eſt* forma regiminis, cujus cum diverſæ ſint ſpecies, illa tamen præcipua eſt, *in qua unus principatur ſecundùm virtutem*, quæ eſt Regnum; *& Ariſtocratia, in qua aliqui pauci principantur ſecundùm virtutem. Unde optima ordinatio Principum eſt in aliqua civitate, vel Regno; in quo unus præficitur ſecundùm virtutem, qui omnibus præſit, & ſub ipſo ſunt aliqui principantes ſecundùm virtutem: & tamen talis principatus ad omnes pertinet. Tùm quia ex omnibus eligi poſſunt. Tùm quia etiam ab omnibus eliguntur. Talis verò eſt omnis politia benè commixta ex* Regno, *inquantùm unus præeſt, &* Ariſtocratia, *inquantùm multi principantur ſecundùm virtutem; & ex* Democratia, *ideſt, poteſtate populi, inquantùm ex popularibus poſſunt eligi Principes, & ad populum pertinet electio Principum*. Talis autem ordinatio Principum erat in veteri lege. *Nam Moyſes, & ejus ſucceſſores gubernabant populum, quaſi ſingulariter omnibus principantes, quod eſt quædam ſpecies* Regni. *Eligebantur autem ſeptuaginta duo Seniores ſecundùm virtutem: dicitur enim Deuteron.* 1. Tuli de veſtris Tribubus viros ſapientes, & nobiles, & conſtitui eos Principes: *& hoc erat* Ariſtocraticum. *Sed* Democraticum *erat, quòd iſti de omni populo eligebantur: dicitur enim Exod.* 18. Provide de omni plebe viros ſapientes &c. *Et etiam, quòd populus eos eligebat: Unde dicitur Deuter.* 1. Date ex vobis viros ſapientes &c. *Unde patet, quòd optima fuit ordinatio Principum, quam lex inſtituit*. Ita S. Thomas.

XLVI. Neque obeſt primò, quòd in lege non inveniatur, quo modo ſupremus Princeps deberet eligi — Nam, ut docet D. Thom. hoc *a.* 1. *ad* 1. populus ille ſub ſpeciali Dei curâ regebatur; & ideo inſtitutionem ſummi Principis Dominus ſibi reſervavit, ut optimè oſtendit S. Doct. in Moyſe, Joſue, & Judicibus; addens, quòd etiam electionem Regis non commiſit Dominus populo, ſed ſibi reſervavit, ut patet Deuteron. 17. *Eum conſtitues Regem, quem Dominus Deus tuus elegerit*. Ex quo inferri poteſt, Iſraelitici populi regimen uſque ad Saulem propriè nec Monarchiam, nec Ariſtocratiam, ſed Theocratiam fuiſſe. Quamvis enim Moyſes, & Seniores, & poſt Moyſen Joſue, deinde Judices Iſraelem moderarentur; Deus tamen ſummæ re-

rum

rum ſpeciali modo præerat, & non modò Sacra, verùm & civilia omnia ſupremo imperio, ceu Rex politicus, regebat. Quare populo Regem ſibi dari petente, Samuelem moleſtè id ferentem ita conſolatur Deus 1. Reg. 8. v. 7. *Audi vocem populi in omnibus, quæ loquuntur: non enim te abiecerunt: ſed me, ne regnem ſuper eos.*

XLVII. Neque obeſt ſecundò, quòd lex à principio Regem non inſtituerit — Nam, ut docet S. Thom. hoc *a.* 1. *ad* 2. etſi Regnum ſit optimum regimen populi, ſi non corrumpatur; de facili tamen Regnum degenerat in tyrannidem, ob magnam poteſtatem, quæ Regi conceditur, niſi virtus, cui conceditur ſit perfecta: quæ virtus cùm in paucis inveniatur, & minùs inveniretur in Judæis, qui crudeles erant, & ad avaritiam proni: ideo Dominus à principio eis Regem non inſtituit cum plena poteſtate, ſed Judicem, & Gubernatorem in eorum cuſtodiam. Et quamvis omnia diſpoſuerit, *Deuteron.* 17. quæ ad Regem benè inſtituendum neceſſaria erant: eis tamen Regem non conceſſit, niſi petentibus, & magis indignatus, quàm propitius; & prænuntians illis mala, quæ à Rege eis obventura eſſent, ut habetur 1. *Reg.* 8. Ubi obſervat D. Tho. hìc *ad* 5. quòd cùm Deus dixit Samueli: *Hoc erit jus Regni &c.* non eſt locutus de jure Regis legitimo, quod competeret Regi ex inſtitutione divina: *Sed magis prænunciabatur uſurpatio Regum, qui ſibi jus iniquum conſtituunt, in tyrannidem degenerantes, & ſubditos deprædantes,* filios eorum tollendo, & omnia bona in ſuum privatum commodum convertendo. Et hoc Samuel dicere juſſus fuit, ut populum à petendo Rege deterreret: *Poteſt tamen contingere* (ſubdit S. Tho.) *quòd bonus Rex abſque tyrannide filios tollat, & conſtituat Tribunos, & Centuriones, & multa accipiat à ſubditis ſuis propter commune bonum procurandum.* Reliqua apud D. Tho. hoc *art.* 1. videnda relinquo.

XLVIII. Convenienter quoque de ſubditis inter ſe invicem lex vetus ordinavit; quod oſtendit D. Tho. eadem *q.* 105. *art.* 2. Duplex enim eſt communicatio hominum ad invicem. Una, quæ fit auctoritate Principum: alia, quæ fit propriâ voluntate perſonarum privatarum. Circa primam ſufficienter lex providit, inſtituendo Judices, *Deuteron.* 16. ordinem judicii, *Deuteron.* 1. numerum teſtium, *Deuteron.* 17. 19. Suſtulit occaſionem injuſti judicii, vetando Judicibus acceptionem perſonarum, & receptionem munerum, *Exod.* 23. *Deut.* 16. Inſtituit etiam certas pœnas pro diverſis delictis, ut oſtendit S. Tho. *ad* 10. Circa ſecundùm quoque multa ſanxit circa poſſeſſiones, earumque pluralitatem, quantùm ad emptiones, & venditiones: quæ omnia copiosè, & eleganter exponit S. Tho. tùm *in corp.* præfati articuli; tùm in ſolutionibus argumentorum.

XLIX. Convenienter etiam providit quoad extraneos, ut oſtendit S. D. citatâ *q.* 105. *a.* 3. Ubi notat, quòd converſatio cum extraneis poteſt eſſe dupliciter. Uno modo pacificè: alio modo hoſtiliter. Circa primum lex convenientia præcepta tradidit. Nam cum alienigenæ tranſibant per terras Judæorum, & apud illos inhabitabant, prohibuit, ne contriſtarentur, aut moleſtia illis inferretur, *Exod.* 22. & 23. Quòd ſi aliqui extranei in eorum conſortium totaliter admitti cupiebant, proviſum erat, ut non ſtatim admitterentur tanquam Cives: ſed qui veniebant ex Gentibus aliquam affinitatem habentibus cum Judæis, quales erant Ægyptii, apud quos nati fuerant, & enutriti, & Idumæi filii Eſau fratris Jacob in tertia generatione, reciperentur in conſortium populi. Qui verò erant ex gentibus, quæ hoſtiliter contra eos ſe geſſerant, ſicut Ammonitæ, & Moabitæ, nunquam in conſortium populi admittebantur. Amalecitæ autem, qui magis eis fuerant adverſati, quaſi hoſtes perpetu

petui habebantur: dicitur enim Exodi 17. v. 16. *Bellum Domini erit contra Amalec à generatione in generationem*.

Circa ſecundum, nempe, quantùm ad hoſtes, convenientia præcepta tradidit. Nam primò, inſtituit, ut bellum juſtè initetur, *Deuteron.* 20. Secundò, ut fortiter bellum inceptum exequerentur, habentes in Deo fiduciam. Tertiò, mandavit, ut impedimenta prælii removerentur, remittendo ad domum quoſdam, qui poſſent impedimento eſſe. Quartò, ut victoriâ moderatè uterentur, parcendo mulieribus, & parvulis, & etiam ligna fructifera regionis non incidendo. Plura videri poſſunt apud D. Tho. *art.* 3. citato.

L. Convenienter demum ſtatuit præcepta circa perſonas domeſticas. Nam Domino relatè ad ſervum ſtatuit, ne ſervi moleſtè tractarentur; ne nimiis, ac immoderatis laboribus opprimerentur: mutilantibus ſervos impoſuit, ut dimitterentur in pœnam; & ancilla evaderet libera, ſi eam quis duceret in uxorem: & quoad ſervos, qui erant ex populo, ut ſeptimo anno liberi eſſent, *Exodi* 21. & *Deuteron.* 15.

Circa uxores ſtatuit, ut ex ſua Tribu ducerentur, ne ſortes tribuum confunderentur. *Numer. ultimo*. Ut frater ducat uxorem fratris defuncti ſinè liberis, *Deuteron.* 25. ad ſuſcitandum ſemen fratris ſui. Ne alienigenæ acciperentur in conjuges, propter periculum ſeductionis: neque propinquæ ſanguine ob reverentiam naturalem, quæ debetur illis. Ne uxori falsò crimen imponatur; ne eam ex odio affligat, ſed potiùs ſcripto libello eam dimittat, *Deuteron.* 21. *&* 22. Ut recens conjugato nihil publicæ neceſſitatis injungatur, ut major dilectio inter conjuges contrahatur. *Deuter.* 24.

Circa filios autem inſtituit, ut patres eos inſtruant in fide, *Exod.* 12. in moribus, *Deuteron.* 21. ne vacent comeſſationibus, & luxuriis. Cætera, ne fuſiores ſimus, apud S. Thomam hâc *q.* 105. *a.* 4. videnda relinquo.

DUBIUM V.

An Lex Vetus abrogata ſit, & quoad Omnia?

§. I.

De Cæremonialibus, & Judicialibus.

I. Cùm ex dictis lex vetus contineret præcepta moralia, cæremonialia, & judicialia, quærimus: an quoad hæc omnia fuerit abrogata. Et quidem in nullo abrogatam fuiſſe, ſed unà cum lege nova eſſe ſervandam, ſenſit olim præter alios Cerinthus; qui, inter alios errores, hunc ſparſit, debere Chriſtianos circumcidi, & ſabbatizare. Et teſte Philaſtrio de Hæreſ. cap. 36. *Hic ſub Apoſtolis quæſtionem ſeditionis commovit, dicens, debere circumcidi homines. Cujus cauſa contra illum, & hæreſim ejus decreverunt in ſuis actibus Apoſtoli ſententiam: non debere jam homines Judaiſmo, ideſt circumciſioni, aliiſque talibus ſuperſtitionis vana parere carnalibus, qui de gentibus venientes credebant in Chriſtum Dominum noſtrum Salvatorem*. Idem narrant de Cerintho Epiphanius *Hæreſ.* 28. & S. Auguſtin. *lib. de Hæreſ. cap.* 8. Catholici tamen omnes quovis ſeculo ſenſerunt, legem veterem quoad Cæremonialia, & Judicialia abrogatam fuiſſe, non tamen quoad moralia.

II. Dico ergo primò. Lex vetus abrogata eſt quoad Cæremonialia, & Judicialia. Hæc veritas Catholica conſtat primò ex Scripturis. Lucæ 16. v. 16. *Lex, & Propheta uſque ad Joannem*. Ad Galat. 3. v. 24. *Lex Pædagogus noſter fuit in Chriſto: at ubi venit fides, jam non ſumus ſub Pædagogo*. Et Hæbr. 7. v. 12. *Tranſlato Sacerdotio, neceſſe eſt, ut & legis tranſlatio fiat*. Ad Rom. 6. v. 14. *Non eſtis ſub lege, ſed ſub gratia*: & alibi. Veritas hæc definita fuit ab Apoſtolis *Act.* 15. ubi quibuſdam contendentibus, Legalium obſervan-

vantiam eſſe ad ſalutem neceſſariam, fieretque ſuper hoc diſceptatio, imò, & ſeditio; convenerunt Apoſtoli in Concilio Hieroſolymitano, unde emanavit decretum *v.* 28. *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris &c.*

Eſt autem abrogata propter has cauſas. Primò. Quia erat imperfecta, Hæbr. 7. v. 18. *Reprobatio fit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus, & inutilitatem*. Secundò. Quia erat grave jugum, quod Judæi vix portare poterant, *Act* 15. *v.* 10. Tertiò. Quia continebat figuras, quæ per Chriſtum impletæ ſunt; ut ratiocinatur D. Auguſt. de veteris legis Sacramentis *l.* 19. *contra Fauſtum c.* 13. Quartò. Quia ſicut majus lumen obfuſcat minus, ſic lumen Evangelii, & Sol juſtitiæ Chriſtus obfuſcavit cæremonias legales; ut notat D. Hieron. in *Comment. ad Galat.* 4. Huc ſpectat illud Theodoreti ad Philipp. 3. *Super vacaneus eſt lychnus, ſi Sol apparuerit: ſupervacaneus Pædagogus iis, qui perfectam acceperunt ſapientiam*. Quintò. Quia Chriſtus, teſte Paulo Epheſ. 2. v. 14 *Fecit utraque unum*: ideſt, ex duobus populis Ethnico, & Judaico fecit unum ovile; debuit ergo diſſolvere medium parietem legis Moſaicæ, qui unum populum ab alio ſeparabat, & unâ eâdem lege Evangelicâ utrumque populum concludere.

III. His omnibus accedit diſcurſus D. Tho. 1. 2. *q.* 103. *a.* 3. Cæremoniæ utpote cultus Dei externus debent proportionari cultui interiori, qui conſiſtit in fide, ſpe, & caritate: ſed cæremoniæ Legales non proportionantur cultui interiori, quo Deus colendus eſt poſt Chriſtum; ergo &c. Min. prob. Triplex ſtatus interioris cultus diſtingui poteſt. Unus, quo habemus fidem, & ſpem de bonis Cœleſtibus, & de iis, per quæ ad Cœleſtia introducimur, & de utriſque tanquam nobis futuris; & hic fuit ſtatus fidei, & ſpei in veteri lege: in eo enim reſpiciebatur fides, & ſpes, ut futura, non ſolùm bona cœleſtia, ſed etiam gratiam Chriſti, per quam introducerentur homines ad cœleſtia. Alter, in quo fides, & ſpes eſt quidem de Cœleſtibus bonis tanquam futuris; ſed de his per quæ introducimur ad cœleſtia, eſt tanquam de præſentibus, vel præteritis: & iſte eſt ſtatus legis novæ, qui reſpicit quidem bona Cœleſtia ut futura, ſed gratiam ut præſentem, & Chriſti merita ut præterita. Tertius autem ſtatus eſt, in quo utraque habentur ut præſentia. & nihil creditur ut abſens, & nihil ſperatur ut futurum: & iſte eſt ſtatus Beatorum.

Quemadmodum ergo in ſtatu Beatorum ceſſabunt figuræ illius ſtatus, nihilque erit figurale ad divinum cultum pertinens, ſed ſolùm gratiarum actio; & ideo de Civitate Beatorum dicitur Apoc. 21. *Templum non vidi in ea. Dominus enim Deus omnipotens Templum illius eſt, & agnus*: ita cæremoniæ primi ſtatus, nempe, legis veteris, quæ erant figurativæ ſecundi ſtatus, nempe, legis novæ, *advenientе ſecundo ſtatu ceſſare debuerunt, & aliæ cæremoniæ induci, quæ convenirent ſtatui cultus divini pro tempore illo, in quo bona Cœleſtia ſunt futura: beneficia autem Dei, per quæ ad Cœleſtia introducimur, ſunt præſentia*. Ita diſcurrit S. Thomas.

IV. Sed dices primò. Scriptura dicit, legem veterem duraturam in æternum, Baruch. 4. v. 1. *Hic liber mandatorum Dei, & lex, quæ eſt in æternum*. Et *Exodi* 12. *v.* 14. dicitur, quòd celebrabunt diem Phaſe *cultu ſempiterno*.

V. Reſpondet D. Tho. laudato loco ad 1. *Quòd lex vetus dicitur eſſe in æternum, ſecundùm moralia quidem ſimpliciter, & abſolutè* (ut dicemus infra) *ſecundùm cæremonialia verò quantùm ad veritatem per ea figuratam*: & hoc modo celebratur Paſcha etiam cultu ſempiterno; quia novum Paſcha veteri ſucceſſit, figuratum figuræ. Dici etiam poteſt, quòd in Scriptura

ater-

æternum, *ſempiternum* non ſemper indicant durationem ſinè fine; ſed interdum durationem longam, ſive indeterminatam.

VI. Dices ſecundò. Circumciſio fuit inſtituta in ſignum fidei Abrahæ, & Solemnitas Sabbati ad recolendum beneficium Creationis, ſicut alia Feſta ad recolenda beneficia Dei: ſed fides Abrahæ eſt ſemper imitanda, etiam à nobis, & beneficium Creationis ſicut & alia Dei beneficia ſemper ſunt recolenda; ergo &c.

VII. Reſpondeo cum eodem S. Doctore ibidem ad 4. *Quòd fides Abrahæ fuit in hoc commendata, quòd credidit divinæ promiſſioni de futuro ſemine, in quo benedicerentur omnes gentes: & ideo quamdiu hoc erat futurum, oportebat proteſtari fidem Abrahæ in circumciſione. Sed poſtquam jam hoc eſt perfectum, oportet idem alio ſigno declarari, ſcilicet, Baptiſmo, qui in hoc circumciſioni ſuccedit .... Sabbatum autem, quod ſignificabat primam Creationem, mutatur in diem Dominicam, in quo commemoratur nova creatura inchoata in Reſurrectione Chriſti. Et ſimiliter aliis Solemnitatibus veteris legis novæ Solemnitates ſuccedunt; quia beneficia illi populo exhibita ſignificant beneficia nobis conceſſa per Chriſtum. Unde Feſto* Phaſe *ſuccedit Feſtum Paſſionis Chriſti, & Reſurrectionis. Feſto* Pentecoſtes, *in quo fuit data lex vetus, ſuccedit Feſtum Pentecoſtes, in quo fuit data lex ſpiritus vitæ &c.*

VIII. Dices tertiò. Lex durat, quamdiu non abrogatur: ſed lex vetus non fuit abrogata, neque per expreſſam revocationem, neque per legem poſteriorem ipſi incompoſſibilem; ergo &c.

Reſpondeo, legem veterem fuiſſe abrogatam; quia ea, quæ ſuis cæremoniis figurabat, ſunt impleta. Figurabat enim Chriſtum venturum, qui cùm jam venerit, omnis ejus ſignificatio, ſicut & uſus, ceſſare debuit: aliàs qui modo eam profiteretur, profiteretur falſum.

IX. Inſtabis. Quid ergo utimur veſtibus Sacerdotalibus, oleo, incenſo &c. quæ erant veteris legis cæremoniæ?

Reſpondeo. Quòd ſicut licèt nos Chriſtiani habeamus Sacerdotes, veſtes ſacras, utamur thure, habeamus Templa, quæ omnia etiam Gentiles Ethnici habebant; cæremonias tamen Gentilium non ſectamur: ita nec cæremonias legis continuare dicendi ſumus, quamvis habeamus veſtes Sacerdotales, utamur thure: quia eis utimur, ut ex ſtatuto Eccleſiæ inductis, non ut ex legis cæremoniali, & diversâ ſignificatione, ac fine. Vide S. Thom. 3. *part. qu.* 83. *a.* 5. *ad* 1. & 2. & S. Auguſt. *l.* 20. *contra Fauſt. c.* 23.

X. Dices quartò. Oblatio leproſi mundati pertinebat ad cæremonias legis: ſed etiam in Evangelio præcipitur leproſo mundato, ut hujuſmodi oblationes offerat, *Matth.* 8. *v.* 4. ergo &c.

XI. Reſpondet D. Tho. hic *q.* 103. *art.* 3. *ad* 2. diſt. min. In Evangelio nondum conſummato, conc. min. Jam conſummato, nego min. *Ante enim Paſſionem Chriſti, Chriſto prædicante, & miracula faciente currebant ſimul lex, & Evangelium; quia jam myſterium Chriſti erat inchoatum, ſed nondum conſummatum. Et propter hoc mandavit Chriſtus Dominus ante Paſſionem Leproſo, ut legales cæremonias obſervaret.* Sed de hoc infra.

§. II.

De Præceptis Moralibus.

XII. Hæreſi Cerinthi, Ebionis, & Nazaræorum, qui, ut ſupra, dixerunt, omnia Legalia, non ſolùm à Judæis, ſed & à Chriſtianis eſſe obſervanda, tanquam ad ſalutem neceſſaria, opponitur hæreſis Manichæorum; qui, ut diximus, legem veterem, totumque vetus Teſtamentum reſpuentes, Catholicos tanquam Semijudæos inſectabantur, quòd tabulas Moyſis reciperent. His adhæſit Lutherus

rus *Serm. de Moyſe*, ubi ait: *Moſes non pertinet niſi ad Judæos, non ad Chriſtianos, aut Gentiles .... Nullus apex, aut punctus in Moyſe ad nos pertinet*. Et in cap. 20. Exodi: *Nihil* (inquit) *ad nos Gentiles, & Chriſtianos, ſed ſolùm ad Judæos lex pertinet ... Quamobrem Moyſes Decalogum ſolùm ad populum Judaicum ex Ægypto eductum dirigit*. Et *in cap. 4. ad Galat.* reprehendit S. Thomam, quòd dixerit, legem quidem Moſaicam quoad Cæremonialia, & Judicialia abrogatam eſſe, non tamen quoad moralia. Attamen

XIII. Dico ſecundò. Præcepta moralia, quatenùs continent præcepta juris naturalis, non minùs obligant Chriſtianos, quàm olim Judæos. Probatur. Dicit enim Chriſtus Matth. 19. v. 17. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*. Loqui autem de præceptis Decalogi, patet ex contextu. Et Apoſtolus *Rom. 13. v. 9.* clarè ſignificat, nos iſtis præceptis obligari: *Non adulterabis, non occides, non furaberis, non falſum teſtimonium dices, non concupiſces; & ſi quod aliud eſt mandatum, in hoc verbo inſtauratur: Diliges proximum tuum ſicut te ipſum*. Et ad *Epheſ. 6. v. 1.* jubens filios obedire parentibus, allegat Decalogum, dicens: *Honora patrem tuum, & matrem tuam, quod eſt mandatum primum in promiſſione*. Et ratio eſt: quia præcepta, quæ ſunt juris naturalis, immutabilia ſunt: quæ enim ratio naturalis dictat, ſemper, & ab omnibus ſervanda ſunt. Et hæc certa ſunt.

XIV. Dubitatur ſolùm inter Theologos Catholicos: an præfata præcepta obligent nos Chriſtianos, non ſolùm quatenus ad legem naturalem pertinent, & in Evangelio ſcripta ſunt, ſed etiam quatenus per Moyſen promulgata; itaut quoad iſta lex vetus non fuerit abrogata.

Negant Dominicus Soto *l. 2. de Juſt. & Jure q. 5. a. 4.* Medina ad *hunc art.* Valentia, Tannerus, Suarez, & alii. Affirmat Bellarminus *lib. 4. de Juſtificatione c. 6.* aſſerens, legem moralem, etiam quatenus per Moyſen datam in veteri Teſtamento, Chriſtianos obligare.

XV. Sentio cum primis: nempe, præcepta moralia obligare Chriſtianos, non quatenus tradita ſunt in lege veteri; ſed quatenus jure naturali præcepta ſunt, & lege Evangelica confirmata. Probo. Lex vetus, etiam comprehenſo Decalogo, ſoli populo Iſraelitico data fuit; ergo ex vi iſtius legislationis ſolùm eum populum obligabat; cùm lex ſolùm eos populos obliget, quibus datur. Ant. ex *q. 98. a. 4.* & ex ſupra dictis patet, ac etiam *Exod. 20.* ubi Deus Decalogum ferens expreſsè teſtatur, ſe tradere populo, quem eduxerat de Ægypto.

XVI. Huic opinioni favere videtur S. Tho. citatâ *q. 98. a. 5.* ubi ait: *Quantùm ad illa, quæ lex vetus continebat de lege naturæ, omnes tenebantur ad obſervantiam veteris legis: non quia erant de veteri lege; ſed quia erant de lege naturæ*. Quemadmodum ergo Gentiles tempore legis veteris obligabantur ad præcepta legis naturæ; non quia erant de veteri lege, ſed quia erant de lege naturæ: ita ſimiliter Chriſtiani, cùm conſtet, legem Moſaicam non plus datam fuiſſe Chriſtianis, quàm Gentibus olim viventibus. Hinc ſequitur, quòd Judæi ad fidem converſi cùm non alia præcepta habeant, quàm Chriſtiani; Judæi verò in ſua perfidiâ remanentes cum non amplius ligentur lege Moyſi, niſi fortè propter conſcientiam erroneam: ideo nec hi, nec illi tenentur ad præcepta moralia ex vi legis Moſaicæ, ſed ex vi legis naturæ. Quòd ſi in hoc ſenſu locutus fuiſſet Lutherus ſupra citatus, non eſſet in eo reprehendendus.

XVII. Neque his repugnat D. Tho. hìc *q. 103. a. 3. ad 1.* ſcribens: quòd *Lex vetus dicitur eſſe in æternum ſecundùm moralia ſimpliciter, & abſolutè*. Nam hoc dicit, quoniam mandata moralia, quæ in veteri lege contine-

bantur, quoad rem præceptam, & ſubſtantiam obligationis, ſicut erant ante legem, & obligabant; ita etiam poſt legem, & in æternum obligant. Sicut enim ante legem obligabant; ſed non vi legis ſcriptæ, quæ nondum data erat: ita poſt abrogatam legem obligant, ſed non vi legis ſcriptæ veteris.

XVIII. Quòd verò Chriſtus, Paulus, & Patres ad probanda præcepta moralia utantur teſtimonio Moyſis, & veteris legis; non concludit, eos illa proponere tanquam obligantia ex vi legis Moſaicæ: ſed quia lex Moſaica ea proponit tanquam neceſſaria ad finem benè moraliter vitæ inſtituendæ. Si enim lex aliqua poſitiva Eccleſiaſtica proponeret obſervandum aliquid, quod aliàs obſervandum foret lege divinâ, vel naturali; obligarentur homines ad illud, non vi legis humanæ Eccleſiaſticæ, ſed divinæ, aut naturalis: quia in illo caſu lex Eccleſiaſtica non ſe haberet, ut inducens vi ſuâ obligationem, ſed ut obligationem denuntians, ac proponens. Et in hoc ſenſu loquitur S. Auguſt. *l.* 10. *contra Fauſtum c.* 2. cùm Fauſto interroganti: *Cur tenes vetus Teſtamentum, cujus praecepta non ſervas?* ait: *Reſpondeo, ſervari à Chriſtianis etiam ex ſuis libris praecepta vitæ agendæ* (ideſt moralia) *Praecepta verò vitæ ſignificandæ* (ideſt cæremonialia) *tunc rectè ſunt obſervata, cum praenunciabantur iſta, quæ nunc revelata ſunt.*

DUBIUM VI.

A Quo, & Quando Lex Vetus fuerit Abrogata?

§. I.

An fuerit abrogata à Joanne?

I. Dico primò. Lex vetus abrogata eſt à Chriſto, non à S. Joanne Baptiſta. Eſt contra aliquos noſtri temporis hæreticos, qui volunt, abrogatam fuiſſe per Joannem, moti ex illo Lucæ 16. v. 16. *Lex, & Prophetæ uſque ad Joannem.*

Probatur tamen primò. Lex vetus erat quædam umbra, Hebr. 10. v. 1. *Umbram enim habens lex futurorum bonorum:* umbra autem non evaneſcit niſi luce adveniente: ſed Joannes Baptiſta non erat lux, juxta illud Joann. 1. v. 8. *Non erat ille lux, ſed ut teſtimonium perhiberet de lumine;* ergo &c. Deinde Paulus ibi pro ſigno ceſſationis legis veteris affert ceſſationem Sacrificiorum: ſed temporibus Joannis adhuc ſacrificia perſeverarunt; ergo tunc non ceſſavit lex vetus. Huc etiam ſpectant omnes Scripturæ, quæ aſſerunt, Chriſtum ipſum diſſolviſſe parietem ſeparantem Judaicum populum à Gentili, & legem mandatorum decretis evacuaſſe, *Ephеſ.* 2. *verſ.* 14. Chriſtum redemiſſe eos, qui erant ſub lege, & in libertatem adoptionis filiorum traduxiſſe, *Galat.* 4. *v.* 5. Deinde ſolus ille legem veterem abrogare poterat, qui novam inſtituit legem, veterem implendo: ſed ſolus Chriſtus, non Joannes, legem novam inſtituit, & veterem implevit; ergo &c.

II. Neque urget in contrarium fundamentum Hæreticorum. Illud enim *Lex, & Prophetæ uſque ad Joannem* duobus modis poteſt intelligi. Primò. Quòd prædictiones legis, & Prophetarum duraverint uſque ad Joannem: omnes enim Prophetæ, & lex in iis, quæ de Chriſto dixerunt, eum prænuntiarunt venturum. Primus Joannes, non venturum, ſed præſentem digito oſtendit, Joann. 1. v. 29. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Unde S. Auguſt. *lib.* 3. *contra duas Epiſt. Pelagian. cap.* 4. ait: *Uſque ad Joannem Baptiſtam quaſi praeterita diſpenſationis limitem quemdam, qui Mediatorem ipſum non aliquâ umbrâ futuri, vel allegoricâ ſignificatione, vel ullâ propheticâ praenuntiatione venturum eſſe ſignificans, ſed digito demonſtrans ait: Ecce agnus Dei &c.* Secundò. Quòd lex Moſaica duraverit uſque ad Joan-

Joannem, non quòd tunc penitùs abrogata fuerit: ſed quia tunc cœpit ſeneſcere, & ad mortem ſe diſponere: nam ut ait Paulus Hebræor. 8: v. 13. *Dicendo autem novum, veteravit prius. Quod autem antiquatur, & ſeneſcit, propè interitum eſt.* Cùm enim tunc inciperet prædicari Evangelium, lex vetus in interitum cæperat declinare. In hoc ſenſu Cyrillus Hieroſolymit. Catecheſ. 3. *Joannes* (inquit) *Prophetarum finis, & evangelicarum rerum principium.* Et Catecheſ. 10. *Quodammodo connectens ambo Teſtamenta, vetus, & novum.* Et iterum S. Auguſtinus *Serm.* 293. concludit: *Videtur ergo Joannes interjectus quidam limes Teſtamentorum duorum, veteris, & novi. Nam eum eſſe, ut dixi, quodammodo limitem, Dominus ipſe teſtatur dicens:* Lex, & Prophetæ uſque ad Joannem Baptiſtam. *Suſtinet ergo perſonam vetuſtatis, & præconium novitatis.*

§. II.

An ante Chriſti Mortem?

III. Dico ſecundò. Lex Moſaica non eſt abrogata ante Paſſionem, & Mortem Chriſti. Probatur primò. Chriſtus quamdiu vixit eam obſervavit, & ab aliis obſervari voluit. Nam & ipſe circumciſus eſt die octavo, *Lucæ* 2. *v.* 21. miſit Diſcipulos ſuos, ut aſcenderent ad diem feſtum, *Joan.* 7. *v.* 8. & celebravit cum ipſis Paſcha, *Marci* 14. *v.* 12. miſit leproſum ad Sacerdotem, ut offerret munus ſuum ſecundùm legem Moyſi, *Matth.* 8. *v.* 4. *Matth.* 23. *v.* 3. Quamvis ſuper cathedram Moyſi ſederent Scribæ, & Phariſæi, dixit tamen: *Omnia, quæcumque dixerint vobis, ſervate, & facite.*

IV. Prob. ſecundò. Vetus lex non fuit abrogata, niſi per novam, ſicut nec Teſtamentum vetus abrogatum fuit, niſi per novum: atqui nova lex, novumque Teſtamentum non fuit obſignatum ante mortem Chriſti; ergo nec lex, nec Teſtamentum vetus fuit ante abrogatum. Min. prob. ex c. 9. ad Hebr. v. 16. 17. *Ubi enim* (inquit Paulus) *teſtamentum eſt, mors neceſſe eſt intercedat Teſtatoris. Teſtamentum enim in mortuis confirmatum eſt, alioquin nondum valet, dum vivit, qui teſtatus eſt.*

V. Probatur tertiò. Apoſtolus *Hebr.* 7. *v.* 12. dicit, translato Sacerdotio translatam eſſe legem: ſed Sacerdotium Moſaicum non fuit translatum, niſi quando ſucceſſit illi Sacerdotium Chriſti, qui in ara Crucis obtulit ſeipſum hoſtiam pro peccatis totius Mundi; ergo tunc primùm translata fuit lex.

VI. Dices primò. Chriſtus fuit lux, & lex vetus fuit umbra: ſed adveniente luce ſtatim evaneſcit umbra; ergo ſtatim adveniente Chriſto lex ceſſare debuit.

Reſpondeo, neg. conſ. Lex enim fuit umbra Chriſti Mundum illuminantis per Paſſionem, & Mortem; ad hoc enim figurandum tendebant hoſtiæ, quas continuò lex immolabat, & ejus præcipuæ cæremoniæ: ideoque tunc ſolùm ceſſare debuit lex, quando lux Paſſionis, & Mortis Chriſti advenit.

VII. Ex his ſequitur, ante mortem Chriſti, cum ipſe prædicaret, ac miracula faceret, ſimul viguiſſe legem, & evangelium: ita tamen, ut lex eſſet in præcepto, & evangelium in conſilio, ac per conſequens obligaret Circumciſio, & non Baptiſmus. Quare ſi Judæus Chriſto prædicante filium ſuum baptizaſſet, & non circumcidiſſet; Judæus non peccaſſet quidem filium baptizando, quandoquidem Baptiſmus jam fuiſſet inſtitutus, & haberet vim juſtificandi: peccaſſet tamen omittèndo Circumciſionem, quia adhuc ea vigebat, & in præcepto erat.

VIII. Dices contra hoc. Si Gentilis fuiſſet eo tempore ad Chriſtum converſus, & filium ſuum baptizaſſet, non fuiſſet obligatus ei adhibere remedium in ſtatu legis naturæ præſcriptum; ergo ſimiliter Judæus, qui ſuum infantem baptizaſſet, non fuiſſet obligatus ei adhibere remedium lege Moſai-

câ præſcriptum, nempe, Circumciſionem.

IX. Reſpondeo, neg. conſ. Nam lege naturæ nullum fuerat præſcriptum particulare remedium, ſeu ſignum, ſicut & ante legem Moſaicam *Gen.* 17. & poſt, *Levit.* 12. fuerat præſcripta Circumciſio; ſed ſatis erat aliquod ſignum fidei proteſtativum, quod vel divinâ inſpiratione, vel aliter cuique determinabatur: ideoque Gentilis aſſumens pro ſigno Baptiſmum ad fidei proteſtationem, eo tempore, quo Chriſtus prædicabat, non peccaſſet.

X. Dices ulteriùs. Si Baptiſmus ante Chriſti mortem erat in conſilio; ergo Circumciſio non erat in præcepto: quia conſilium, utpote de meliori bono, tollit obligationem de re minùs bona: ſicut quando caſtitas eſt in conſilio, matrimonium reſpectu ejuſdem hominis non poteſt eſſe in præcepto.

XI. Reſpondeo, neg. conſ. Quia conſilium de meliori, tunc ſolùm tollit obligationem de re minùs bonâ, quando illæ res, vel invicem repugnant, cujuſmodi ſunt virginitas, & matrimonium; aut ſaltem non ſunt benè compatibiles: Baptiſmus autem, & Circumciſio benè ſe compatiebantur.

XII. Dices tandem. Chriſtus & Apoſtoli legem non cuſtodiebant: unde à Phariſæis ſæpè accuſantur, ut *Matth.* 12. *v.* 2. quòd in Sabbato ſpicas vellerent: & *Matth.* 15. *v.* 2. quòd pranſuri manus non lavarent; ergo &c.

Reſpondeo, injuſtam fuiſſe accuſationem Phariſæorum, qui legem non ad Legiſlatoris mentem, ſed ad ſuam voluntatem, & Traditiones interpretabantur. Unde ibidem objicit illis Chriſtus: *Vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram.*

§. III.

An in Chriſti Morte?

XIII. Dico tertiò. Lex Moſaica ceſſavit in ipſa Morte Chriſti. In hac aſſertione facilè Doctores conveniunt. Solùm diſſident in hoc; quid, nempe, per Mortem ſit intelligendum. Nam quidam, ut Dominicus Soto *l.* 2. *de Juſt. & Jure q.* 5. *a.* 4. vult, intelligi totum tempus ab ejus Morte ad Reſurrectionem. Alii uſque ad Pentecoſtem extendunt, dicentes, legem veterem etiam poſt Reſurrectionem aliquando obligaſſe.

XIV. Veriùs tamen alii cenſent, in ipſo puncto Mortis Chriſti legem veterem ceſſaſſe; & vim ſive obligandi, ſive expiandi, qualem habuerat, amiſiſſe in ipſa die Paraſceves, quando Chriſtus mortuus eſt. Tùm quia tunc primò translatum eſt Sacerdotium. Tùm quia tunc Velum Templi ſciſſum eſt, *Matth.* 27. *v.* 51. Tùm quia tunc Chriſtus dixit: *Conſummatum eſt*, Joann. 19. v. 30. Ita ſentit D. Thom. hâc *q.* 103. *a.* 3. *ad* 2. dicens: *Myſterium Redemtionis humani generis completum fuit in Paſſione Chriſti. Unde tunc Dominus dixit:* Conſummatum eſt, *ut habetur Jo.* 19. *Et ideò tunc totaliter debuerunt ceſſare Legalia, quaſi jam veritate eorum conſummatâ. In cujus ſignum in Paſſione Chriſti Velum Templi legitur eſſe ſciſſum, Matth.* 27. Accedit, quòd hâc eâdem quæſt. a. 4. ad 1. approbat ſententiam Auguſtini docentis, quòd à paſſione Chriſti uſque ad promulgationem Evangelii Legalia fuerunt mortua, addens: *Ritus autem legis ceſſabat, tanquam impletus per Chriſti Paſſionem, utpote à Deo in figuram Chriſti inſtitutus.* Et 3. p. q. 66. a. 2. *In paſſione* (inquit) *Chriſti terminata ſunt figuralia Sacramenta, quibus ſuccedit Baptiſmus, & alia Sacramenta novæ legis.*

XV. Dices pro Soto. Myſterium noſtræ Redemtionis demum fuit completum in Reſurrectione, juxta illud Roman. 4. v. 25. *Reſurrexit propter juſtificationem noſtram.* Lex enim vetus non ſolùm præfigurabat mortem peccati, ſed etiam Reſurrectionem ad novam vitam; ergo ſolùm in Chriſti reſurrectione ceſſavit.

XVI. Reſpondeo, quòd ut docet
S. Thom.

Digitized by Google

S. Thom. 3. *p. q. 56. a. 2. ad* 4. Reſurrectio Chriſti eſt quidem cauſa efficiens, & exemplaris reſurrectionis noſtræ; ſed Mors, & Paſſio Chriſti eſt cauſa meritoria, in qua myſterium Redemtionis noſtræ conſummatum eſt; & conſequenter Teſtamentum vetus finem habuit, & novum confirmatum fuit: cùm, teſte S. Paulo *Hebr.* 9. teſtamentum morte teſtatoris confirmetur, & omnia alia teſtamenta, priùs per ipſum condita, vim ſuam amittant. Nec refert, quòd lex vetus præfiguraret non ſolùm mortem peccati, ſed etiam reſurrectionem ad novam vitam: nam præfigurabat etiam adventum Spiritus Sancti, Chriſti Aſcenſionem, vocationem Gentium, & alia ſalutis noſtræ Myſteria; nec tamen demum poſt illorum omnium impletionem lex vetus deſiit obligare. Tunc ergo ceſſavit, quando conſummatum fuit opus præcipuum, ad quod Chriſtus venerat, nimirum generis humani Redemtio per Mortem ſuam.

XVII. Dices pro Scotiſtis, & aliis volentibus, legem tunc ſolùm fuiſſe totaliter abrogatam, cùm in Pentecoſte lex nova promulgata fuit. Tunc lex vetus deſiit totaliter obligare, quando cæpit obligare lex nova: ſed hæc cæpit obligare ſolùm in die Pentecoſtes; nam tunc primò fuit promulgata, lex autem ante ſui promulgationem non obligat; ergo &c.

XVIII. Omiſſis variis reſponſionibus, nego maj. Toto enim tempore à Chriſti Morte ad Pentecoſtem, nec obligabat lex vetus, quia jam abrogata, nec lex nova, quia nondum ſufficienter promulgata. Neque inconveniens eſt, quòd eo parvo tempore populus fuerit abſque ulla lege poſitivâ divinâ eum obligante; aderat tamen lex naturalis, quæ à Deo eſt, ſemper obligans. Sicut enim toto tempore ante legem fuerunt Judæi cum ſola lege naturali; & Gentiles uſque ad Evangelium caruerunt omni lege divinâ poſitiva: quid incommodi eſt concedere, Judæos uno, aut altero menſe eâ caruiſſe?

XIX. Nec tamen propterea pueri Judæorum à Morte Chriſti uſque ad promulgationem Evangelii fuerunt ſinè remedio. Nam præterquamquòd Sacramentum Baptiſmi, etſi nondum neceſſarium, utile tamen, ac efficax erat omnibus, quibus adhibebatur; veriſimile tamen eſt, quòd apud eos, qui invincibiliter ignorabant, legalia eſſe mortua, & loco ejus aliud remedium fuiſſe inſtitutum, Circumciſio, etſi non valeret tanquam Sacramentum legis Moſaicæ, quia jam mortua, & omni vi deſtituta; valeret tamen, vel tanquam Sacramentum legis naturæ, vel tanquam cæremonia pia, ac religioſa, ſicut alia bona opera in proteſtationem fidei Mediatoris facta, abſtrahendo ab hoc, quòd ſignificaret, eum jam veniſſe, vel venturum eſſe.

DUBIUM VII.

An Lex Vetus ſtatim poſt Abrogationem cæperit eſſe Mortifera?

§. I.

Aliqua Praenotantur.

I. Dictum eſt, legem veterem ſtatim poſt Chriſti mortem fuiſſe abrogatam, & mortuam. Nunc quæritur: an ſtatim cæperit eſſe mortifera, ideſt, an peccaſſet mortaliter, qui eam obſervaſſet.

Adverto cum S. Thoma hâc q. 103. a. 4. *Quòd omnes cæremoniæ ſunt quadam proteſtationes fidei, in qua conſiſtit interior Dei cultus. Sic autem fidem interiorem poteſt homo proteſtari factis, ſicut & verbis: & in utraque proteſtatione ſi aliquid homo falſum proteſtatur, mortaliter peccat. Quamvis autem ſit eadem fides, quam habemus de Chriſto, & quam antiqui Patres habuerunt; tamen quia ipſi præceſſerunt Chriſtum, nos autem ſequimur, eadem fides diverſis verbis ſignificatur à nobis, & ab eis. Nam ab eis dicebatur:* Ecce virgo concipiet, & pariet filium,

filium, *quæ ſunt verba futuri temporis. Nos autem idem repræſentamus per verba præteriti temporis dicentes*, quòd concepit, & peperit. *Et ſimiliter cæremoniæ veteris legis ſignificabant Chriſtum ut naſciturum, & paſſurum; noſtra autem Sacramenta ſignificant ipſum ut natum, & paſſum.*

Sicut igitur peccaret mortaliter, qui nunc ſuam fidem proteſtando diceret, Chriſtum naſciturum, quod Antiqui piè, ac veraciter dicebant: ita etiam peccaret mortaliter, ſi quis nunc cæremonias obſervaret, quas Antiqui piè, & fideliter obſervabant. Et hoc eſt, quod Auguſtinus dicit contra Fauſtum (*L.* 19. *c.* 16.) Jam non promittitur naſciturus, paſſurus, reſurrecturus, quod illa Sacramenta quodammodo perſonabant; ſed annuntiatur, quòd natus ſit, paſſus ſit, reſurrexerit; quod hæc Sacramenta, quæ à Chriſtianis aguntur, jam perſonant.

II. Ex hac Angelici Præceptoris noſtri clarâ, & ſubtili doctrinâ infero: quòd ſi quis poſt mortem Chriſti uſurpaſſet Circumciſionem, aut alias cæremonias veteris Teſtamenti, eo fine, quo inſtitutæ erant à Deo, nempe, ad ſignificandum, & proteſtandum Chriſtum venturum; ille procul dubio peccaſſet, quia facto falſam fidem proteſtaretur. Eàdem ratione ſi quis eaſdem cæremonias uſurpaſſet ad colendum Deum, & ejus excellentiam proteſtandam, cum hac tamen opinione, quòd talis cultus, & proteſtatio neceſſaria eſſet ad ſalutem, mortaliter peccaſſet: & ideo Galatæ reprehenduntur à Paulo, quòd putarent, Circumciſionem eſſe neceſſariam poſt mortem Chriſti. Scribit enim Galat. 5. v. 2. *Si circumcidamini, Chriſtus nihil vobis proderit .... evacuati eſtis à Chriſto, qui in lege juſtificamini*, ideſt, qui creditis per legem juſtificari, ſeu obſervantiam legis eſſe neceſſariam ad juſtificationem. Excipe tamen, ſi quis (quod pro illo tempore contingere poterat) ex ignorantia invincibili, & inculpatâ id feciſſet: is enim à peccato excuſari poſſet.

III. Quia tamen poterat aliquis, cæremonias legales uſurpare eo tempore, quo nondum plenè publicatum fuerat Evangelium, eo ſolùm fine, & animo, ut oſtenderet, eas non fuiſſe malas, ſed à Deo profectas; vel ut hoc medio faciliùs Judæos traheret ad Chriſtum, quod Apoſtolos feciſſe legimus; ideo quæſtioni via aperitur: an pro eo tempore uſus Legalium hoc fine fuerit licitus; ſeu, an Legalia fuerint quidem mortua, ſed nondum mortifera.

IV. In hac controverſiâ (inquit D. Thom. hoc a. 4. ad 1.) *Diverſimodè ſenſiſſe videntur Hieronymus, & Auguſtinus. Hieronymus enim* (Epiſt. 11. modò 75. inter Epiſt. Auguſt. & ſuper illud Galat. 2. Sed cum vidiſſem) *diſtinxit duo tempora. Unum tempus ante Paſſionem Chriſti, in quo Legalia non erant mortua, quaſi non habentia vim obligativam, aut expiativam pro ſuo modo; nec etiam erant mortifera, quia non peccabant ea obſervantes. Statim autem poſt Paſſionem Chriſti inceperunt eſſe non ſolùm mortua, ideſt, non habentia virtutem, & obligationem, ſed etiam mortifera; ita ſcilicet, quòd peccabant mortaliter quicumque ea obſervabant. Unde dicebat, quòd Apoſtoli nunquam legalia obſervaverunt poſt Paſſionem ſecundùm veritatem; ſed ſolùm quâdam piâ ſimulatione, ne ſcilicet ſcandalizarent Judæos, & eorum converſionem impedirent. Quæ quidem ſimulatio ſic intelligenda eſt, non quidem ita, quòd illos actus ſecundùm rei veritatem non facerent; ſed quia non faciebant tanquam legis cæremonias obſervantes: ſicut ſi quis pelliculam virilis membri abſcinderet propter ſanitatem, non cauſa legalis cæremoniæ obſervandæ ....*

Auguſtinus autem (Epiſt. 9. modò 40.) *diſtinxit tria tempora. Unum quidem ante Chriſti Paſſionem, in quo Legalia neque erant mortifera, neque mortua. Aliud autem poſt tempus Evangelii divulgati, in quo Legalia ſunt mortua, & mortifera. Tertium autem eſt tempus medium, ſcilicet à Paſſione Chri-*

ſti

Digitized by Google

ſti uſque ad divulgationem Evangelii, in quo Legalia quidem fuerunt mortua; quia neque vim aliquam habebant, neque aliquis ea obſervare tenebatur; non tamen fuerunt mortifera, quia illi, qui converſi erant ad Chriſtum ex Judæis, poterant illa Legalia licitè obſervare; dummodo non ſic ponerent ſpem in eis, quòd ea reputarent ſibi neceſſaria ad ſalutem, quaſi ſinè legalibus fides Chriſti juſtificare non poſſet. His autem, qui convertebantur ex Gentilitate ad Chriſtum, non inerat cauſa, ut ea obſervarent. Et ideo Paulus circumcidit Timotheum, qui ex matre Judæa genitus erat: Titum autem, qui ex Gentilibus natus erat, circumcidere noluit.

Ideo autem noluit Spiritus Sanctus, ut ſtatim inhiberetur his, qui ex Judæis convertebantur, obſervatio Legalium, ſicut inhibebatur his, qui ex Gentilibus convertebantur, Gentilitatis ritus; ut quadam differentia inter hos ritus oſtenderetur. Nam Gentilitatis ritus repudiabatur tamquam omnibus illicitus, & à Deo ſemper prohibitus: ritus autem legis ceſſabat, tanquam impletus per Chriſti Paſſionem, utpote à Deo in figuram Chriſti inſtitutus. His ergo ex S. Thoma obſervatis

§. II.

Reſolutio Dubii.

V. Dico. Cæremoniæ legales à Paſſione Chriſti uſque ad ſufficientem Evangelii divulgationem fuerunt quidem mortuæ, ſed non mortiferæ; ideoque poterant licitè obſervari, dummodo non poneretur ſpes in eis, tanquam neceſſariis ad ſalutem.

Probo. Legales cæremoniæ mortiferæ eſſe non poterant pro eo tempore, quo Apoſtoli illuſtrati, ac pleni Spiritu Sancto eas obſervarunt: ſed Apoſtoli poſt Chriſti mortem, poſtque legis Evangelicæ promulgationem in die Pentecoſtes factam; imò jam cæptâ, tùm apud Judæos, tùm apud Gentes Evangelii evulgatione, eas obſervarunt; ergo non erant &c. Min. probatur primò. Paulus, qui ad *Galat.* 2. *v.* 3. non eſt paſſus, Titum, qui erat Gentilis, circumcidi, ne veritati Evangelii præjudicaret; nihilominus *Act.* 16. *v.* 3. Timotheum ex matre Judæa circumcidit. Idem, *c.* 18. *v.* 18. more Nazaræorum caput ſibi totondit in Cenchris. Et *c.* 21. *v.* 26. purificavit ſe ipſum cum Judæis, intravit Templum, & pro ſe oblationem fieri, paſſus eſt. Et hoc fecit Paulus ſuadente S. Jacobo, qui tamen *Act.* 15. iverat in ſententiam Petri, ſcilicet, ut non onerarentur gravi jugo legis, qui ex Gentilibus ad Chriſtum converterentur. Ait enim à v. 20. *Vides frater, quot millia ſunt in Judæis, qui crediderunt, & omnes æmulatores ſunt legis. Audierunt autem de te, quia diſceſſionem doceas à Moyſe eorum, qui per Gentes ſunt Judæorum, dicens, non debere eos circumcidere filios ſuos, neque ſecundùm conſuetudinem ingredi.... Hoc ergo fac, quod tibi dicimus. Sunt nobis viri quatuor habentes votum ſupra ſe. His aſſumtis, ſanctifica te cum illis, & impende in illis, ut radant capita: & ſcient omnes, quia quæ de te audierunt, falſa ſunt, ſed ambulas & ipſe cuſtodiens legem &c.* Hæc Jacobus. Quo audito Paulus ſanctificavit ſe ritu Moſaico, Templum ingreſſus eſt, oblationem pro ſe offerri permiſit. An hoc feciſſet Paulus, ſi obſervantiam Legalium mortiferam exiſtimaſſet?

VI. Dices cum Hieronymo, hæc Paulum, & Apoſtolos feciſſe non verè, & ex animo cæremonias legis obſervandi, ſed fingendo, & ſimulando eas obſervare.

VII. Sed contra primò. Nam ut docet D. Tho. citato a. 4. ad 1. *Indecens videtur, quòd Apoſtoli ea occultarent, propter ſcandalum, quæ pertinent ad veritatem vitæ, & doctrinæ; & quòd ſimulatione uterentur in his, quæ pertinent ad ſalutem fidelium.* Ergo ſi ad veritatem vitæ, & doctrinæ, &

ſalu-

ſalutem fidelium pertinuiſſet abſtinentia à Legalibus, quia mortiferis, nunquam nec ad avertendum ſcandalum, nec ad alium bonum finem eis uti ſinè peccato licuiſſet. Ut enim docet Auguſt. l. contra Mendac. c. 7. *Ea, quæ conſtat eſſe peccata, nullo bonæ cauſæ obtentu, nullo quaſi bono fine, nullâ velut bonâ intentione facienda ſunt*. Aliàs ritus quoque Gentilitatis, etſi mortiferos, & illicitos, potuiſſent ſimulatoriè obſervare. Unde Auguſtin. Epiſt. 9. modò 40. ad Hieronymum: *Si* (inquit) *Paulus propterea illa Sacramenta celebravit, quia ſimulavit ſe Judæum, ut Chriſtum lucrifaceret: cur non etiam ſacrificavit cum Gentibus, quia & iis, qui ſinè lege erant, tanquam ſinè lege factus eſt, ut eos quoque lucrifaceret; niſi quia & illud fecit, ut naturâ Judæus, & hoc totum dixit, non ut fallaciter ſe fingeret eſſe, quod non erat?*

VIII. Contra ſecundò. Nullum hujus ſimulationis ex Scriptura indicium colligitur, imò potiùs oppoſitum, ut ex facto Pauli nuper relato. Nam primò: Jacobus Paulo auctor fuit, ut ſeipſum cum quatuor aliis, qui ſe voto obſtrinxerant, ſanctificaret: vox autem illa *ſanctificaret* abſolutè prolata non ſimulatoriam, ſed veram, hoc eſt, ad Dei cultum relatam ſanctificationem exprimit. Secundò: Paulus ex Jacobi conſilio ſanctificavit ſe, ut oſtenderet, falſam eſſe quorundam calumniam dicentium, eum docere diſceſſionem à Moyſe: atqui ſi Paulus ſimulatoriè tantùm ſeipſum ſanctificaſſet, ideſt, ſanctificationem non in Dei cultum, ſed ad aliam cauſam retuliſſet, facto ſuo non probaſſet, ſe per Evangelii prædicationem à Moyſe non diſcedere; ergo &c. Unde S. Auguſtinus *Epiſt.* 19. *modò* 82. *ad Hieronymum*, ait: *Si revera ſic ea reprobaret, quemadmodum de illo auditum erat; & ideo celebranda ſuſciperet, ut actione ſimulatâ ſuam poſſet occultare ſententiam, non ei diceret Jacobus*: Et ſcient omnes; *ſed diceret*: Et putabunt omnes, quoniam quæ de te audierunt, falſa ſunt. *Præſertim quia in ipſis Jeroſolymis Apoſtoli jam decreverant, ne quiſquam Gentes cogeret Judaizare; non autem decreverant, ne quiſquam tunc Judæos judaizare prohiberet, quamvis etiam ipſos jam doctrina Chriſtiana non cogeret.* Ex quibus ſic tertiò: Apoſtoli Jeroſolymis decreverant quidem, ne Gentes cogerentur judaizare, non tamen decreverant, ne quiſquam ex Judæis judaizare poſſet; ergo legalia non erant Judæis mortifera, nec locus erat, ut, qui ea obſervare volebant, ſimulatione uterentur.

IX. Contra tertiò. Si Apoſtoli poſt Chriſti Mortem ſimulatoriè tantùm Legalia obſervaſſent, quia mortifera, rei fuiſſent mendacii in re gravi, irreligionis, & ſcandali. Mendacii quidem. Nam mendacium in eo poſitum eſt, quòd adhibeantur falſa ſigna, vel verbo, vel facto ad ingerendam falſam opinionem cum intentione fallendi: omne autem mendacium etiam officioſum peccatum eſt, ut docet D. Th. 2. 2. *q.* 110. *a.* 2. & 4. ſimulationem autem eſſe mendacium, docet ibidem *qu.* 111. *art.* 1. ubi diſtinguit duplex mendacium, unum conſiſtens in verbis, aliud in rebus: atqui Apoſtoli hoc feciſſent; eis enim ſignis uſi fuiſſent, ut perſuaderent Judæis recens converſis, ſe per illa ſigna Deum religiosè colere, cùm tamen non haberent in animo; ergo &c.

Irreligionis quoque rei fuiſſent. Si quidem irreligio in eo poſita eſt, quòd quis ritus falſæ Religionis aſſumat, eâ intentione, ut alii credant, ſe illam Religionem profiteri: ſed Apoſtoli ſi poſt Chriſti Mortem animo ſimulatorio uſi fuiſſent Legalibus, ſigna falſæ, & mortiferæ Religionis aſſumſiſſent, ut alii crederent, ſe adhuc illam profiteri; ergo &c.

Scandali quoque rei fuiſſent. In eo enim poſitum eſt ſcandalum, quòd quis proximum ſuo exemplo confirmet in operatione rei alicujus malæ, ac mortiferæ; aut, quòd quis ſuo exem-

exemplo inducat proximum ſuum ad faciendam rem mortiferam: atqui ſi Apoſtoli animo ſimulatorio Legalia, alioquin in ſe mortifera, ſervaſſent, proximum ſuum exemplo ſuo in operatione rei malæ confirmaſſent, eumque ad eamdem rem malam faciendam induxiſſent; ergo &c.

§. III.

Contrariis Argumentis reſpondetur.

X. Objicitur primò, Scripturæ loca non pauca indicare hanc ſimulationem. *Act. 16. v. 3* Paulus circumcidit Timotheum *propter Judæos, qui erant in illis locis*. 1. Cor. 9. v. 20. *Factus ſum* (inquit Paulus) *Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrarer*. 2. Cor. 12. v. 16. ait: *Cùm eſſem aſtutus, dolo vos cepi*. Galat. 2. v. 13. *Et ſimulationi ejus* (Petri) *conſenſerunt cæteri Judæi*.

XI. Reſpondeo, neg. aſſumtum. Ad primum Scripturæ locum dico, quòd cum legimus, Apoſtolos Legalia obſervaſſe *propter Judæos*, non ſit ſenſus, quòd ſimulatè id fecerint; ſed quòd ea revera ſervarent, tanquam non mala ut eos faciliùs ad Chriſtum traherent: & ne putarentur ea repudiare, tanquam illicita, ac mortifera, eſtò mortua.

Ad ſecundum reſpondeo, Paulum dicere, ſe factum Judæis tanquam Judæum, non mentientis actu, ſed compatientis affectu; eorum ſcilicet infirmitati, quoad aliquas obſervationes, etſi non neceſſarias, non tamen malas, ſe accommodando. Unde ſubdit, quòd eodem modo ſe accommodabat Gentibus, quod certè non faciebat, ſimulando eorum falſos ritus, & mortiferos.

Ad tertium dico, in primis ea verba *Cùm eſſem aſtutus, dolo vos cepi*, non eſſe aſſerendo dicta; ſed tacitæ objectioni occurrendo, ideſt, *ut credidiſtis*, ait D. Thom in hunc locum *lect.* 5. Unde ſtatim jam ſolvit dicens: *Nunquid per aliquem eorum, quos miſi ad vos, circumveni vos?* Deinde ibi non agitur de uſu Legalium, ſed de victu accipiendo ab iis, quibus prædicabat: & in hoc probat Paulus, ſe doloſè non egiſſe.

Ad quartum dico, factum Petri vocari ſimulationem, non quia Petrus ſimulatè obſervaret Legalia; ſed quia abſtinens à cibis lege vetitis, ubi non expediebat fieri, ſimilem ſe præbebat aliis, qui legem obſervabant, tanquam neceſſariam ad ſalutem. Sed de hoc infra.

XII. Objicitur ſecundò. Paulus id ſincerè non obſervavit, quod in aliis tanquam mortiferum damnat: ſed in Galatis damnat, tanquam mortiferum, uſum Circumciſionis; ait enim Galat. 5. v. 2. *Si circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit*; ergo &c.

XIII. Reſp. primò, quòd cum Paulus abſolutè dicat *ſi circumcidamini*, nec diſtinguat inter Circumciſionem ſincerè, aut ſimulatè factam; dici debebit, eum damnaſſe ut mortiferam Circumciſionem, tam ſincerè factam, quàm ſimulatè: & ſic dum ipſe circumcidit Timotheum, ei nocuiſſe; dum fecit, ut ipſi nihil prodeſſet Chriſtus — Reſpondeo ergo ſecundò, S Paulum intellexiſſe de iis, qui circumcidebantur, putantes Circumciſionem eſſe etiam poſt Chriſtum neceſſariam ad ſalutem: in quo errore Galatæ erant, à quibuſdam Pſeudoprophetis decepti.

XIV. Utramque hanc reſponſionem exhibet Hieronymo Auguſtinus *Ep.* 19. modò 82. *c.* 2. his verbis: *At enim dixit Apoſtolus*: Ecce ego Paulus dico vobis, quia ſi circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit. *Decepit ergo Timotheum, & fecit ei nibil prodeſſe Chriſtum. An quia hoc fallaciter factum eſt, ideo non obfuit? At ipſe hoc non poſuit, nec ait, ſi circumcidamini veraciter, ſicut nec fallaciter; ſed ſinè ullâ exceptione dixit*: Si circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit. *Sicut ergo tu vis hìc locum dare ſententiæ tuæ, ut velis ſubintelligi*, niſi fallaciter: *ita non impudenter flagito, ut etiam nos*

illic intelligere ſinas eis dictum, ſi circumcidamini; *qui propterea volebant circumcidi, quòd aliter ſe putabant in Chriſto ſalvos eſſe non poſſe. Hoc ergo animo, hac voluntate, iſta intentione, quiſquis tunc circumcidebatur, Chriſtus ei nihil omnino proderat.*

XV. Objicitur tertiò. Ille ſincerè non obſervavit Legalia, qui Petrum ea ſincerè obſervantem reprehendit: atqui Paulus reprehendit Antiochiæ Petrum ea ſincerè obſervantem; & quidem meritò: ut enim ipſemet teſtatur in Epiſt. ad Galatas c. 2. v. 11. *In faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat.* Et v. 14. *Sed cùm vidiſſem, quòd non rectè ambularent* (ſcilicet Petrus, Barnabas, & Judæi Antiocheni) *ad veritatem Evangelii, dixi Cephæ coram omnibus &c.* ergo &c.

XVI. In hoc conſiſtit præcipuè diſcrepantia inter SS. Hieronymum, & Auguſtinum. S. enim Hieronymus, tùm *Epiſt.* 11. modò 75. *inter Epiſt. Auguſtini*: tùm in *c.* 2. *ad Galat.* ſuſtinebat, nec Petrum fuiſſe verè reprehenſibilem, ſed ſolùm in ſpecie; nec verè fuiſſe à Paulo reprehenſum, ſed ſimulatè ſolùm. Petrus, ait laudatus Pater, eo animo ſe ſubduxit à Gentilium menſa, & eâ mente cum Judæis Legalia obſervavit, ut Pauli reprehenſioni locum daret; eâque apparenti reprehenſione Judæi intelligerent, poſſe Chriſtianos, etiam ex Judaiſmo venientes, cum Gentibus ad fidem converſis non obſervare Legalia.

XVII. Sed hæc reſponſio, nimirum quòd Petrus cum Judæis converſis ſimulatè tantùm Legalia obſervarit, & quòd ſimulatè tantùm à Paulo fuerit reprehenſus, falſa eſt. Nam Paulus in eadem Epiſtolâ abſolutè ſcribit, quòd Petrus *reprehenſibilis erat*; & quòd ipſe cum aliis *non rectè ambularent ad veritatem Evangelii*; & eâdem Epiſt. c. 1. v. 20. proteſtatur, ſe in eo, quod ſcribit, coram Deo non mentiri: *Quæ autem ſcribo vobis, ecce coram Deo quia non mentior*: atqui ſi Petrus ſimulatè tantùm obſervaſſet Legalia, & ex condicto cum Paulo, ut abduceret Judæos converſos ab obſervantia Legalium, ſi Paulus ſimulatè tantùm Petrum reprehendiſſet, ea, quæ Paulus in ea epiſtolâ ſcribit, vera non eſſent: nam verum non eſſet, quòd Petrus fuerit reprehenſibilis, & quòd non ambularet ad veritatem Evangelii. Unde argumentatur S. Auguſtinus Epiſt. 19. modò 82. ad Hieron. c. 2. *Si hoc* (inquit) *fecit Petrus, quod facere debuit; mentitus eſt Paulus, quòd eum viderit non rectè ingredientem ad veritatem Evangelii. Quiſquis enim hoc facit, quod facere debet, rectè utique facit: & ideo falſum de illo dicit, qui dicit, eum non rectè feciſſe, quod eum novit facere debuiſſe. Si autem verum ſcripſit Paulus, verum eſt, quòd Petrus non rectè tunc ingrediebatur ad veritatem Evangelii: id ergo faciebat, quod facere non debebat. Et ſi tale aliquid Paulus ipſe jam fecerat, correctum potiùs etiam ipſum credam Coapoſtoli ſui correctionem non potuiſſe negligere, quàm mendaciter aliquid in ſua epiſtola potuiſſe, & in epiſtola qualibet, quanto magis in illa, in qua præloquutus ait:* Quæ autem ſcribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior?

XVIII. Reſpondeo ergo, neg. maj. & ratio eſt: quia, ut dictum eſt, Paulus in iis circumſtantiis Legalia obſervavit, in quibus tantum abeſt, ut eorum obſervatio ſcandalo fuerit, quin fuerit, ædificationi; quia id fecit, ne, aſpernando ea, putarentur eſſe mala: nimirum, ut ait Auguſt. laudatâ Epiſt. *Ne per doctrinam Chriſti, velut ſacrilega, nec Deo mandante conſcripta putarentur, quæ per Moyſen Patribus fuerant miniſtrata.* At Petrus è contra eadem Antiochiæ ſervans, Gentibus ad fidem converſis, à quibus ſe ſubtraxit, ut judaicè viveret, ſcandalo fuit, licèt incautus. Quia exemplo ſuo Gentes, à quibus diſceſſit, induxit ad faciendum id, ad quod non tenebantur, & ad credendum ſe teneri ad id, ad quod non tenebantur. Hac ergo intempeſtivâ ſuâ praxi, & vitio converſatio-

ſationis, non doctrinæ, Gentes inducebat ad credendum, Legalium obſervantiam eſſe neceſſariam ad ſalutem, etiam in Evangelio. Unde Paulus Petrum arguens v. 14. *Si tu* (inquit) *cum Judæus ſis, gentiliter vivis, & non judaicè; quomodo Gentes cogis judaizare?*

Contentio igitur inter Petrum, & Paulum non erat, an tunc Legalia licitè poſſent obſervari: *Neque enim negamus* (inquit Auguſt. citatâ Epiſt.) *in hac ſententiâ fuiſſe jam Petrum, in qua & Paulus fuit. Non itaque tunc quid in ea re verum eſſet docebat: ſed ejus ſimulationem, quâ Gentes judaizare cogebantur, arguebat: non ob aliud, niſi quia ſic illa omnia ſimulatoriè gerebantur, tanquam verum eſſet, quod illi dicebant, qui ſinè Circumciſione præputii, atque aliis obſervationibus, quæ erant umbra futurorum, putabant, credentes ſalvos eſſe non poſſe.* Differentia igitur inter Petrum, & Paulum in obſervatione Legalium, ut ait D. Th. in hunc locum, fuit, quòd Paulus debitam diligentiam adhibuerit, ne id fieret in illis circumſtantiis, in quibus poſſet eſſe ſcandalo; & propterea nullius culpæ reus fuit: at Petrus, ut jam dictum eſt, cùm non attenderit, ut (cùm Paſtor eſſet) attendere debuerat, ad ſcandalum, quod exinde in Gentibus exortum eſt, culpæ ſaltem venialis reus, ac proinde reprehenſibilis fuit.

XIX. Sed inſtabis contra dicta. S. Paulus factum Petri ſimulationem bis vocat, dicens v. 13. *Et ſimulationi ejus conſenſerunt cæteri Judæi: ita ut & Barnabas duceretur ab eis in illam ſimulationem.* Simulationem quoque vocat S. Auguſtinus nuper relatus; ergo Petrus non ſincerè, ſed ſimulatè tantùm Legalia obſervavit.

XX. Reſpondeo, diſt. ant. Simulationem vocat in ſe, ſeu in facto, con. ant. In animo Petri, nego ant. Petri factum in ſe fuit ſimulatio, quia fuit ſignum, quòd Legalium obſervatio à Gentibus uſurpari deberet tanquam neceſſaria: ſed non fuit ſimulatio in animo Petri; hoc eſt, Petrus non obſervavit Legalia animo perſuadendi, ſe ea in cultum Dei obſervare; cùm tamen ex alia cauſa id faceret, ut opinabatur S. Hieronymus.

XXI. Ne tamen quis exiſtimet, nos in hac controverſia opponi S. Hieronymo, noverit, quòd eſtò præfatus S. Doct. ab initio Auguſtino reſtiterit; cognitâ tamen veritate, in Auguſtini ſententiam tandem ivit, ut teſtatur S. Auguſt. *Epiſt.* 260. modò 180. *ad Oceanum*, ubi ait: quòd in opere, quod *ſub nomine Critobuli* S. Hieronymus *adverſus Pelagium modò edidit, eandem de iſta re geſtâ, dictiſque Apoſtolicis ſententiam tenuit, quam beatiſſimi Cypriani* (Ep. 71. ad Quintum) *etiam nos tenuimus.* Retractatio autem S. Hieronymi, à S. Auguſtino indicata, habetur *l. 1. adverſùs Pelagianos cap.* 8. ubi inter teſtimonia ex Scripturis Sanctis depromta, quibus probat, ſanctos non caruiſſe peccatis, & nullum Epiſcopum prorſus eſſe irreprehenſibilem, profert exemplum S. Petri à S. Paulo reprehenſi: *Si enim* (inquit) *ipſe Apoſtolus dicit de Petro, quòd non rectò pede inceſſerit in Evangelii veritate; & intantùm reprehenſibilis fuerit, ut & Barnabas adductus ſit in eandem ſimulationem: quis indignabitur, id ſibi denegari, quod Princeps Apoſtolorum non habuit?*

XXII. Objicitur quartò. Si ſimulatio eſt peccatum, cur ergo Chriſtus ſimulavit ſe peccatorem, cur finxit, ſe longiùs velle ire? Cur Joſue finxit fugam, & timorem? Cur Iehu finxit ſe velle ſacrificare Idolo? Cur Naaman ſimulavit, ſe falſos Deos adorare?

XXIII. Hæc erant exempla, quibus S. Hieronymus ſuam confirmabat opinionem, ut videre eſt in *Cap. 2. ad Galat.* Quibus tamen reſpondeo. Chriſtus venit quidem in ſimilitudinem carnis peccati; non tamen ſimulavit ſe peccatorem. Imò ſæpè ſuam innocentiam proteſtatus eſt; ut cum ait

Jo. 8. v. 46. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Nec finxit ſe longiùs ire, animo ſimulandi, aut decipiendi; ſed animo ſignificandi, ſe longiùs abeſſe à cordibus diſcipulorum, cum quibus loquebatur.

Joſue autem occultavit ſe, & milites ſuos, ut adverſarii neſcirent, eos ibi eſſe; quod licitum eſt. Jehu autem non facto tantùm, ſed & verbo mentitus eſt; unde à peccato excuſari non poteſt. Naaman autem non ſimulavit, ſe adorare Idolum; ſed ſolùm voluit Regi adoranti Idolum pro munere inſervire: quod, ut licitum, approbavit Eliſæus, 4. *Reg.* 5. *v.* 19. Sed de hoc alibi fuſiùs.

XXIV. Objicitur quintò. Apoſtoli *Act.* 15. *v.* 28. quædam ex cæremoniis legalibus tanquam neceſſaria Chriſtianis ex Gentibus converſis præceperunt, nempe, abſtinentiam à ſuffocato, & ſanguine; ajunt enim: *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quàm hæc neceſſaria: Ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione;* ergo licitum erat poſt Chriſtum obſervare Legalia tanquam neceſſaria.

XXV. Reſpondet D. Th. hâc *q.* 103. *a.* 4. *ad* 3. ubi, rejectis aliis reſponſionibus, dicit, quòd *iſta ſunt prohibita, non ad obſervandum cæremonias legis; ſed ad hoc, quòd poſſet coaleſcere unio Gentilium, & Judæorum ſimul habitantium. Judæis enim, propter antiquam conſuetudinem, ſanguis, & ſuffocatum erant abominabilia: comeſtio autem immolatorum ſimulacris poterat in Judæis generare circa Gentiles ſuſpicionem reditus ad Idololatriam. Et ideo iſta fuerunt prohibita pro tempore illo, in quo de novo oportebat convenire in unum Gentiles, & Judæos. Procedente autem tempore, ceſſante cauſa, ceſſavit & effectus, manifeſtata Evangelicæ doctrinæ veritate, in qua Dominus docet, quòd* Nihil, quod per os intrat, coinquinat hominem, *ut dicitur Matth.* 15. *& quòd* Nihil eſt rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur, *ut* 1. *ad Timotheum* 4. dicitur: *Fornicatio autem prohibetur ſpecialiter, quia Gentiles non reputabant, eam eſſe peccatum.*

§. IV.

Aliqua Quæſita ſolvuntur.

XXVI. **Q**Uæres primò: Quo tempore ſufficienter fuerit promulgatum Evangelium; ita ut Legalia evaſerint etiam mortifera?

Dico. Incertum eſſe: quia nullo Scripturæ, vel Patrum, vel traditionis teſtimonio niti poſſumus ad deſignandum certum tempus. Probabiliter tamen cenſent aliqui, deſtructo à Romanis Hieroſolymitano Templo, quadrageſimo circiter anno poſt Chriſti mortem, Legalia fuiſſe mortifera.

XXVII. Probari poteſt primò. Ideo enim obſervatio Legalium non ſtatim à Chriſti morte fuit mortifera, quia, ut ait Auguſt. Ep. 82. aliàs 19. ad Hieronymum c. 2. *Legalia ſicut defuncta corpora Neceſſariorum officiis deducenda erant quoddamodo ad ſepulturam, nec ſimulatè, ſed religiosè; non autem deſerenda continuò, vel inimicorum obtrectationibus, tanquam canum morſibus, projicienda.* Et inferiùs: *Non tamen ideo fuerunt tanquam diabolica Gentium ſacrilegia fugienda, etiam cùm ipſa gratia jam cæperat revelari, quæ umbris talibus fuerat prænuntiata: ſed permittenda paullum eis maximè, qui ex illo populo, cui data ſunt, venerant. Poſtea verò tanquam cum honore ſepulta ſunt, à Chriſtianis omnibus irreparabiliter deſerenda.* Sed tunc maximè ſepulta fuiſſe credi poſſunt, cùm deſtructo Templo Hieroſolymitano, juxta Danielis vaticinium *c.* 9. ceſſavit Hoſtia, & Sacrificium offerri, ac Judæi undequaque diſperſi Populus eſſe deſierunt, ſed reprobati, ac loco deſtituti; ergo credere par eſt, ab eo etiam tempore, eorum legem fuiſſe reprobatam.

Secun-

Secundò. Quia promulgato jam latiùs Evangelio, opus non erat pro Judæis æconomiâ diuturniori.

Tertiò. Quia diuturnior Legalium obſervatio faviſſet errori Cerinthi, & Ebionis contendentium, unà cum Evangelio legem eſſe obſervandam: & inſuper periculum erat, ne ſcandalo fuiſſet Gentibus ad fidem converſis tàm diuturna legis obſervatio. Arbitrati enim fuiſſent, vel legem in Chriſto non fuiſſe impletam; vel ejus merita ſufficientia non fuiſſe ad ſalutem, vel gratis mortuum eſſe.

XXVIII. Sed dices primò. Aſiatici Epiſcopi uſque ad tempora Victoris Papæ, nimirùm ad annum 185. celebrabant Paſcha more Judaico, nempè, lunâ 14 menſis Martii, in quamcumque diem incidiſſet; ergo &c.

XXIX. Reſpondeo primò, praxim illam Aſiaticorum reprobatam fuiſſe à Victore Papa; qui proinde eos excommunicare voluit, niſi S. Irenæus eum deterruiſſet, ut teſtatur Euſebius *l. 5. Hiſt. c. 24.* Secundò: Aſiatici ita ſe gerebant, non ut Legalia obſervarent; ſed quia, & credebant, hoc eſſe ex Evangelii præſcripto: & quia ipſis perſuaſum erat, hoc à prioribus Aſiæ Epiſcopis, & ipſo etiam Joanne Evangeliſta, qui eas Eccleſias fundaverat, & rexerat, obſervatum fuiſſe. Utramque hanc rationem objecit olim Victori Papæ Polycrates, datâ ad ipſum Epiſtolâ, quam Euſebius *l. 5. Hiſt. c. 23.* deſcribit.

XXX. Dices ſecundò. Tertullianus, ineunte tertio ſeculo, Gentiles exprobrantes Chriſtianis, quòd in ſuis conventibus humanam carnem ederent, ita confutat in Apolog. adverſ. Gentes c. 9. *Erubeſcat error veſter Chriſtianis, qui ne animalium quidem ſanguinem in epulis eſculentis habemus; qui propterea quoque ſuffocatis, & morticinis abſtinemus: ne quo modo ſanguine contaminemur, vel intra viſcera ſepulto*; ergo &c.

XXXI. Reſpondeo, Chriſtianos illius temporis adhuc perſeveraſſe in abſtinentia à ſanguine, & ſuffocato, non ex obſervantia legis Moſaicæ; ſed ex vi conſuetudinis, quæ apud eos invaluerat vi præcepti Eccleſiaſtici: quod ab Apoſtolis in primo Concilio Hieroſolymitano Gentibus ad fidem converſis, ut ſupra diximus, impoſitum fuerat. De hoc præcepto S. Auguſtinus l. 32. contra Fauſtum c. 13. *In actibus* (inquit) *Apoſtolorum hoc lege præceptum ab Apoſtolis, ut abſtinerent Gentes tantùm à fornicatione, & immolatis, & à ſanguine; ideſt, ne quidquam ederent carnis, cujus ſanguis non eſſet effuſus ..... At ubi Eccleſia Gentium talis effecta eſt, ut in ea nullus Iſraelita carnalis appareat; quis jam hoc Chriſtianus obſervat, ut turdos, vel minutiores aviculas non attingat, niſi quarum ſanguis effuſus eſt; aut leporem non edat, ſi manu à cervice percuſſus nullo cruento vulnere occiſus eſt? Et qui fortè pauci adhuc tangere iſta formidant, à cæteris irridentur: ita omnium animus in hac re tenuit illa ſententia veritatis, non quod intrat in os veſtrum, nos coinquinat, ſed quod exit: nullam ejus naturam, quam ſocietas admiſit humana, ſed quæ iniquitas commiſit, peccata condemnans.* Hæc Sanctus Auguſtinus. Quibus patet ſuo tempore abſtinentiam à ſanguine, & ſuffocato vix apud aliquos perſeveraſſe. Conferantur hæc cum ſuperiùs dictis *num. 25.* ex S. Thoma.

XXXII. Quæres ſecundò: An etiam præcepta Judicialia veteris legis facta ſint mortifera?

Reſpondet D. Tho. *q. 104. a. 3.* negativè, niſi obſervarentur ex animo obſervandi legem Moſaicam: *Præcepta* (inquit) *judicialia ſunt quidem mortua, quia non habent vim obligandi; non tamen ſunt mortifera. Quia ſi quis Princeps ordinaret in Regno ſuo illa judicialia obſervari, non peccaret: niſi fortè hoc modo obſervarentur, aut obſervari mandarentur, tanquam habentia vim obligandi ex veteris legis inſtitutione: talis enim intentio obligandi eſſet mortifera. Et hujus differentia ratia*

tio poteſt accipi ex præmiſſis. Dictum eſt enim, quòd præcepta cæremonialia ſunt figuralia primò & per ſe, tanquam inſtituta principaliter ad figuranda Chriſti myſteria ut futura: & ideo ipſa obſervatio eorum præjudicat fidei veritati; ſecundùm quam confitemur, illa myſteria jam eſſe completa. Præcepta autem judicialia non ſunt inſtituta ad figurandum, ſed ad diſponendum ſtatum illius populi, qui ordinabatur ad Chriſtum: & ideo mutato ſtatu illius populi, Chriſto jam veniente, judicialia præcepta obligationem amiſerunt... Quia tamen hujuſmodi judicialia præcepta non ordinantur ad figurandum, ſed ad aliquid faciendum, ipſa eorum obſervatio abſolutè non præjudicat fidei veritati: ſed intentio obſervandi tanquam ex obligatione legis præjudicat veritati fidei; quia per hoc haberetur, quòd ſtatus prioris populi adhuc duraret, & quòd Chriſtus nondum veniſſet.

XXXIII. Ex his triplex obſervari poteſt diſcrimen præceptorum judicialium à cæremonialibus. Unum, quòd cæremonialia directè ordinabant ad cultum Dei; judicialia ad juſtitiam cum proximo ſervandam. Alterum, quòd cæremonialia primariò fuerunt inſtituta ad figuranda myſteria Chriſti venturi; judicialia verò primariò magis ordinabant ad agendum. Tertiùm, quòd cæremonialia modò ſunt mortua, & mortifera; judicialia verò ſunt quidem mortua, ſed in ſenſu explicato non ſunt mortifera.

QUÆSTIO V.

De Lege Nova, ſeu Evangelica.

Legi Veteri ſucceſſit nova, tanquam umbræ lux, & figuræ figuratum. Meritò igitur Quæſtioni de lege veteri ſuccedere facimus quæſtionem de lege nova, ſicut nocti ſuccedit dies. Quare lex nova pluribus titulis illuſtrior eſt lege veteri: ideoque dicitur nova, quia ratione eorum, quæ continet, homines renovat; per fidem enim, ſpem, & caritatem, quæ bona portio ſunt novæ legis, homines renovantur. Unde Paulus *Rom.* 3. eam paſſim vocat legem fidei, quia dat gratiam, cujus fundamentum eſt fides: & *c.* 8. *v.* 2. legem Spiritus vitæ, ſeu vivificantis. Dicitur etiam nova, quia eſt lex amoris; unde Chriſtus Joann. 13. v. 34. *Mandatum* (inquit) *novum do vobis, ut diligatis invicem.* Unde S. Auguſtinus *l. contra Adimantum c.* 17. ait: *Hæc eſt breviſſima, & apertiſſima differentia duorum Teſtamentorum, timor, & amor: illud ad veterem, hoc ad novum hominem pertinet.* Quod S. Paulus ad *Rom.* 8. *v.* 15. obſervat, dum ait: *Non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum;* qui, ut idem dicit 2. ad Timoth. 1. v. 7. *eſt ſpiritus dilectionis.*

Dicitur quoque lex Evangelica à voce *Evangelium*, quod *rei proſperæ nuntiationem* ſignificat in genere. Hic tamen inquit Auguſt. lib. 2. contra Fauſtum c. 2. *Propriè, hoc vocabulum obtinuit .... annunciatio Salvatoris.* Unde ibidem oſtendit, omnes, qui Chriſtum annuntiaverunt ſcripto non ſolùm, ſed voce etiam, nihil Scriptura relinquentes, Evangeliſtas vocari: & ita *Act.* 21. *v.* 8. Philippus diaconus *Evangeliſta* dicitur. Unde Evangelii ſic propriè accepti annuntiator primus fuit Angelus, deinde ipſe Chriſtus, poſtea ejus Apoſtoli, & Diſcipuli.

Dicitur quoque *Teſtamentum novum*. Ideſt pactum, ſeu promiſſio, quâ Deus nobis promiſit, ac dedit Salvatorem, & per eum gratiam, & gloriam. De hac ergo lege novâ, & Evangelicâ in præſenti Quæſtione cum D. Thom. 1. 2. *q.* 106. & duabus ſequentibus acturi ſumus.

DU-

DUBIUM I.

An Lex Evangelica habuerit Chriſtum Auctorem, ac verè Legislatorem?

§. I.

Quid ſentiant Hæretici.

I. Noſtri temporis hæretici, qui, ut Quæſt. præcedente vidimus, volunt, vetus Teſtamentum, ac legem abrogatam fuiſſe à Joanne Babtiſta; ab eodem volunt inſtitutam fuiſſe novam, & novum Teſtamentum, ac Babtiſmum: Chriſtum verò fuiſſe quidem Redemtorem, ſed non verè Legislatorem; nec novam aliquam legem condidiſſe, ſed ſolùm à veteri nos liberaſſe. Ita Lutherus *lib. de libertate Chriſtianâ*, ubi ait: *Nullo opere, nulla lege homini Chriſtiano opus eſt, cùm per fidem ſit liber ab omni lege.* Quem errorem impudenter evulgavit Calvinus, dum exponens illud ad Galat. 4. v. 4. & 5. *Miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, ut eos, qui ſub lege erant, redimeret*, ſic exclamat: *O' miſerabilem juſtitiam! O' pernicioſum errorem prædicantium Chriſtum novum Legislatorem! Quaſi veterem legem abrogaverit, ut novam Chriſtianis omnibus legem imponeret. Non fuit id Chriſti officium, ſicut ipſe dixit:* Non miſit Deus Filium ſuum in Mundum, ut judicet Mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum. *Et alio loco:* Ego (*inquit*) non judico quemquam. *Non habuit profecto Chriſtus id operis, ac muneris, ut novam inſtitueret legem; ſed ut ab hominum cervicibus ſervile illius legis jugum auferret. Hoc illud eſt, quod Paulus clamat, Deum miſiſſe* Filium ſuum factum ſub lege, ut eos, qui ſub lege erant redimeret: *Noſtri verò novitii Theologi divino adverſantes conſilio, pro Liberatore, Legislatorem, qui nos in duriſſimam tradat ſervitutem, ſuſcipiendum docent.* Ita malè feriatus homo veſaniam ſuam prodit.

II. Thomas autem Hobbes in ſuo *Leviathan* de Civitate Chriſtiana *cap.* 42. Calvinum ſecutus, ait: *Quoniam ergo Servator noſter Regnum ſuum in hoc Mundo eſſe negavit, & non ad judicandum, ſed ad ſalvandum Mundum veniſſe ſe affirmavit; non aliis legibus nos ſubjecit, quàm legibus Civitatis, nempe, Judæos quidem legibus Moſaicis (ad quas non evertendas, ſed adimplendas veniſſe ſe dicit, Matth. 5.) Gentes autem alias Civitatum ſuarum legibus Civilibus: & genus humanum univerſum legibus naturalibus. Manifeſtum ergo eſt, Chriſtum, & Apoſtolos ejus nullam novam legem, quæ nos in hoc Mundo obligaret, ſed novam tantùm doctrinam attuliſſe, quâ ad Mundum venturum præpararemur: & proinde Teſtamentum novum, in quo doctrina illa continetur, quamdiu non eſſent Principes, & Legislatores, qui obſervationem ejus imperarent, non erat lex; ſed ad perducendos homines ad ſalutem conſilium tutum, quod unuſquiſque accipere, vel rejicere ſuo periculo potuit ſinè injuſtitiâ.* Quod ſubinde oſtendere conatur, concludens: *Teſtamentum ergo novum in iis locis tantùm eſt lex, in quibus ita à ſumma poteſtate civili facta eſt.* Hæc eſt doctrina eorum, qui ſe Evangelicæ doctrinæ Reformatores venditant: doctrina ad impiam libertatem, imò ad Atheiſmum viam ſternens.

§. II.

Catholica Veritas.

III. Dico primò. Jo. Baptiſta nullam inſtituit legem ad Chriſtianos pertinentem. Nam neque ex Scripturis, neque ex traditione conſtat, neque aliunde eum ullam legem inſtituiſſe; ſed ſolùm prædicaſſe pœnitentiam, ut homines ſe diſponerent ad ſuſcipiendam gratiam per Chriſtum.

Quare

Digitized by Google

Quare ſuperiùs oſtendimus, legem novam habuiſſe quidem initium in Joanne, non verò conſummationem. Inſtituit quidem Baptiſmum ſuum: ſed Joannis Baptiſmus (quidquid in contrarium obſtrepat Calvinus) ad Chriſtianos non pertinet, ſed erat tantùm præparatio quædam ad Baptiſmum Chriſti, qui eſt Sacramentum novæ legis. De quo agemus *in Tract. de Baptiſmo;* & videri poteſt D. Thom. 3. *p. q.* 38. *a.* 1. *ad* 1. & *art. 6.* ubi docet, baptizatos à Joanne debuiſſe iterum baptizari Baptiſmo Chriſti.

IV. Dico ſecundò. Chriſtus inſtituit novam legem ad Chriſtianos pertinentem; ac proinde non ſolùm Redemtor, ſed & Legislator dicendus eſt. Hæc veritas ex utroque Teſtamento probatur. Primò ex veteri. Nam Jeremiæ 31. v. 31. *Ecce dies venient, dicit Dominus; & feriam domui Iſrael, & domui Juda fædus novum.... Dabo legem meam in viſceribus eorum &c.* Quæ D. Paulus *ad Hebr.* 8. & 10. de Chriſto, ejuſque fædere, ac lege interpretatur. Iſaiæ 2. v. 3. *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Jeruſalem.* Quæ de Meſſia, ejuſque lege dicta eſſe, ex ipſo contextu patet. Item cap. 33. v. 22. *Dominus enim Judex noſter, Dominus Legifer noſter, Dominus Rex noſter, ipſe ſalvabit nos.* Quibus Meſſias dicitur non ſolùm Salvator, ſed etiam Legifer, & Rex, & Judex.

Ex novo etiam: Chriſtus enim in eo paſſim de ſua lege ac mandatis loquitur. Joann. 14. v. 15. *Mandata mea ſervate.* Joann. 15. v. 10. *Si præcepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectione mea.* Matth. 28. v. 20. *Docentes eos ſervare omnia, quæcumque mandavi vobis.* Paulus 1. Cor. 9. v. 21. *Illis* (inquit) *qui ſinè lege erant* (factus ſum) *tanquam ſinè lege eſſem, cùm ſinè lege Dei non eſſem, ſed in lege eſſem Chriſti.*

V. Probari etiam poteſt hoc diſcurſu. Ad providentiam, & prudentem adminiſtrationem ſupremi Regis, ac ſummi Pontificis ſpectat leges condere, quibus, & Regnum pacatè, & ordinatè ad debitum finem dirigatur, ac debitus Deo cultus impendatur: at Chriſtus eſt ſummus Eccleſiæ Pontifex, totiuſque Mundi ſupremus Rex, dominatum habens præcipue in hominum mentes, & corda, ut eos ad Regnum æternum perducat; ergo ad ipſum ſpectavit &c.

Min. prob. Chriſtum enim eſſe ſummum Pontificem teſtatur Paulus ad Hæbr. 4. v. 14. *Habentes ergo Pontificem magnum, qui penetravit Cælos, Jeſum Filium Dei:* & conſtat *Pſalm.* 109. Qui totus eſt de Chriſto, ut ipſemet expoſuit, Matth. 22. v. 44. in eo enim *v.* 4. dicitur: *Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.* Chriſtum etiam fuiſſe Regem, prædixit David *Pſalm.* 2. ubi in perſona Chriſti dixit v. 6. *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum ejus;* quod, & Angelus teſtatus eſt *Luca* 1. *v.* 32. dum Virgini Mariæ Incarnationem anuntians ait: *Dabit illi Dominus Deus ſedem David Patris ejus, & regnabit in Domo Jacob in æternum.* Maj. etiam explicatur. Si enim, ut benè Synagoga regeretur, dedit populo Iſraelitico legem veterem; eadem ratione, ut benè regeretur Eccleſia, etiam ex Gentibus congregata, debuit Chriſtus legem ſtatuere. Quare Tridentinum Lutheri, & Calvini errorem proſcribens Seſs. 6. Can. 19. *Si quis* (inquit) *dixerit, nihil præceptum eſſe in Evangelio præter fidem, cætera eſſe indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, ſed libera, aut decem præcepta nihil pertinere ad Chriſtianos: anathema ſit.*

§. III.

Hæreticorum Fundamenta.

VI. Objiciunt primò. Qui ſunt in novo Teſtamento, in hoc diſtinguuntur ab iis, qui erant in veteri, quòd non ſunt ſub lege, ſicut illi,

illi, ſed ſub gratia. Joann. 1. v. 17. *Lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt;* ergo Moyſes fuit equidem Legislator, non autem Chriſtus, qui ſolùm gratiam, & juſtificationem nobis promeruit.

VII. Confirmant ex Apoſtolo Rom. 6. v. 14. *Non eſtis ſub lege, ſed ſub gratia.* Et Galat. 5. v. 18. *Si ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege:* ſed fideles ſunt ſub gratia, & ſpiritu ducuntur; ergo non ſunt ſub lege.

VIII. Reſpondeo, neg. conſ. Et ad antecedens dico, ideo gratiam dici per Chriſtum factam, legem verò datam per Moyſen, non quòd Chriſtus Legislator non fuerit, ſed quòd non dederit legem, vel nos ad eam obligaverit nudam ſinè ullâ gratiâ, qualem Moyſes Judæis dederat: legem, inquam, quæ jubebat, non juvabat, minabatur, non opitulabatur, languores oſtendebat, non ſanabat, medicinam promittebat, ac figurabat, ſed non præbebat. Porro Chriſtus dedit nobis legem, ſed ſimul gratiam, ideſt, legem præcipientem quæ facienda ſunt, & ſubminiſtrantem auxllia, quibus fiant. Ita S. Auguſt. l. 2. contra Adverſ. legis, & Proph. cap. 3. *Lex igitur data eſt per Moyſen, facta eſt autem gratia per Jeſum Chriſtum; cùm per ejus ſpiritum caritate diffuſâ in cordibus noſtris, fit, ut quod lex præcipit, impleatur. Quod enim per litteram jubetur, non litterâ, ſed ſpiritu impletur. Unde illud, quod ſcriptum eſt:* Non concupiſces, *per Moyſen lex eſt: ſed per Chriſtum fit gratia, quando quod jubetur, impletur. Veritas autem facta eſt per Chriſtum, propter illa, quæ in prophetia legis ſunt promiſſa, quia in Chriſto eminent reddita.* Vide etiam Sanctum Thomam in dictum *cap. Joann. lect.* 10.

IX. Ad Confirm. omiſsâ conſeq. dico cum S. Auguſt. *Enarr. in Pſalm.* 1. aliud eſſe, hominem eſſe ſub lege, & aliud eſſe in lege: *Juſto* (inquit) *non eſt lex poſita, ut dicit Apoſtolus; ſed aliud eſt, eſſe in lege, aliud ſub lege. Qui eſt in lege, ſecundùm legem agit: qui eſt ſub lege, ſecundùm legem agitur. Ille ergo liber eſt, iſte ſervus. Deinde aliud eſt lex, quæ ſcribitur, & imponitur ſervienti: aliud lex, quæ mente conſpicitur ab eo, qui non indiget litteris.* Judæi erant ſub lege, quia tanquam ſervi ſubjecti erant pœnis, & terroribus legalibus. Nos ſumus in lege, quia tanquam filii ex amore, & caritate vivimus ſecundùm legem. Hoc ſenſu Paulus 1. *Cor.* 9. *v.* 21. negat, ſe eſſe ſub lege, & affirmat, ſe eſſe in lege. Et idem Auguſt. *lib. de Continentia cap.* 3. explicans illud Apoſtoli: *Non eſtis ſub lege, ſed ſub gratia,* ſic habet: *Non ſumus ſub lege bonum quidem jubente, non tamen dante: ſed ſumus ſub gratia, quæ id, quod lex jubet, faciens nos amare, poteſt liberis imperare.*

Ad id, quod additur ex Apoſtolo ad Galat. dicit idem Auguſt. lib. de Nat. & gratiâ cap. 57. *Si ſpiritu ducimini, non adhuc eſtis ſub lege; utique lege, quæ timorem incutit, non tribuit caritatem.*

X. Objiciunt ſecundò 2. Cor. 3. v. 17. *Ubi ſpiritus Domini, ibi libertas;* ideſt, ab obligatione legis: ſed fideles habent ſpiritum Domini; unde *Rom.* 8. *v.* 15. dicitur: *Non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum.* Unde Galat. 5. v. 13. *Vos enim in libertatem vocati eſtis.* Et Jacobus 1. v. 25. legem novam vocat *legem perfectam libertatis;* ergo fideles ab omni lege ſunt liberi.

XI. Reſpondeo, diſt. maj. Ab obligatione legis cogentis, terrentis, minantis, qualis erat Moſaica, co. maj. Ab obligatione cujuſcumque legis etiam gratiæ, & amoris, nego major. & hoc eſt, quod dicitur 1. ad Timoth. 2. v. 9. *Juſto non eſt lex poſita.* Non quia juſtus ulla lege non teneatur; ſed quia ſic ex amore virtutis operatur, ut etſi non eſſet lex, adhuc virtuosè operaretur: ad differentiam pec-

catoris, qui in vitia rueret, niſi minante lege coerceretur; & hac ratione Judæis ad malum pronis fuit neceſſaria lex. Unde Auguſtinus citato Lib. de Nat. & gratiâ cap. 57. *Hac eſt* (inquit) *lex libertatis, non ſervitutis, quia caritatis utique, non timoris: de qua & Jacobus Apoſtolus ait:* Qui autem perſpexerit in legem perfectam libertatis. *Unde & ille* (Paulus) *non quidem jam lege Dei terrebatur ut ſervus, ſed condelectabatur ei ſecundùm interiorem hominem: videt tamen adhuc aliam legem in membris ſuis repugnantem legi mentis ſuæ. Ita & hic:* Si ſpiritu (*inquit*) ducimini non adhuc eſtis ſub lege: *inquantùm quiſque ſpiritu ducitur, non eſt ſub lege; quia inquantùm condelectatur legi Dei, non eſt ſub legis timore; quia timor tormentum habet, non delectationem.*

Libertas ergo Chriſtiana non conſiſtit in eo, quòd ſimus liberi ab obſervantia mandatorum Dei; ſed primò in libertate à ſervitute peccati, juxta illud Joann. 8. v. 36. *Si ergo vos Filius liberaverit, verè liberi eritis.* Et Rom. 6. v. 18. *Liberati autem à peccato, ſervi facti eſtis juſtitiæ.* Secundò, in libertate à jugo legis cæremonialis, & judicialis Judæorum, ad Galat. 4. v. 9. *Quomodo iterum convertimini ad infirma, & egena elementa, quibus denuo ſervire vultis?* Tertiò, quia obedimus legi non ex timore tanquam ſervi, ſed ex amore tanquam filii: accepimus enim ſpiritum adoptionis, quo Deum invocamus non ampliùs tanquam judicem, ſed tanquam Patrem, *Rom. 8. v. 15.*

XII. Objicit tertiò citatus Hobbes. Servator noſter mandatum dedit Apoſtolis ſolùm, ut prædicarent Regnum Dei, ut nationes omnes docerent, & credentes baptizarent, ut ubi non reciperentur, pulverem ejus civitatis pedibus ſuis excuterent; ſed non ut ignem de Cœlo ad deſtructionem eorum poſtularent, neque ut eos ad fidem gladio cogerent: in quo nihil imperii, ſed conſilii tantùm. Emiſit illos ſicut oves ad lupos, non ſicut Reges ad ſubditos; non ut leges ferrent, ſed ut legibus latis obedirent, & obedientiam alios docerent: Regnum enim Chriſti non eſt in hoc Mundo. Non fuit ergo Legislator Chriſtus, ſed Redemtor, ac Doctor.

XIII. Reſpondeo, hoc diſcurſu evinci ſolùm, Chriſtum non condidiſſe legem timoris, minis, terroribus, ac pœnis temporalibus terribilem; ſed legem amoris, quam volentes. non inviti, acceptarent invitando homines, ac eis promittendo vitam æternam, ſi eam amplecterentur, & ſervarent; & propterea miſiſſe diſcipulos non tanquam Reges, ſed tanquam oves. Cùm tamen iis, qui non credidiſſent, damnationem æternam comminatus ſit, Marci 16. v. 16. *Qui verò non crediderit, condemnabitur*, ſatis indicavit, ſe voluiſſe omnes ad ſuam doctrinam ſequendam lege latâ obligare. Chriſti autem Regnum non eſt quidem temporale, & terrenum, ſed ſpirituale, & æternum; neque Regnum habet ab hominibus, ſed à Patre conſtitutus fuit Rex Univerſorum: unde *Jo. 18. v. 37.* Pilato interroganti: *Ergo Rex es tu?* Reſpondit: *Tu dicis; quia Rex ſum ego.* At quia Regnum ejus non erat terrenum, & humanâ auctoritate ei collatum, dixerat antea: *Regnum meum non eſt de hoc Mundo, Regnum meum non eſt hinc.* Unde acutè Auguſtinus tract. 115. in Joann. *Hìc non ait* (inquit) *Regnum meum non eſt* in hoc Mundo, *ſed non eſt* de hoc Mundo.... *non ait Regnum meum non eſt* hìc, *ſed* non eſt hinc.

DU-

DUBIUM II.

Ad quæ Præcepta Chriſtus ſuâ Lege Nos obliget.

§. I.

Referuntur Errores Hæreticorum.

I. Cùm lex nova contineat triplicis generis præcepta, Moralia nimirum, Sacramentalia, & Fidei; Calviniſtæ tria docent. Primò: præcepta moralia, ſeu Decalogi, non poſſe à nobis ſervari, ac proinde Chriſtum liberaſſe nos ab eorum obſervatione, juxta illud Apoſtoli ad Galat. 3. v. 13. *Chriſtus nos redemit de maledicto legis*. Moventur ad hoc: quia putant, peccatum originale manere in nobis, quamdiu in hac vita ſumus; ideoque omnia noſtra opera, quibus conamur, legem Decalogi implere, vitiata, & inquinata eſſe ob contagionem originalis peccati; per ejuſmodi autem opera legi ſatisfieri non poſſe: atque in hoc ſenſu legem moralem ſervatu eſſe impoſſibilem.

II. Secundò docent, Baptiſmum, & alia Sacramenta non eſſe abſolutè neceſſaria ad ſalutem; & ideo præcepta ſacramentalia non obligare Chriſtianos. Et hoc, quia putant, ſolùm fidem juſtificare, & Sacramenta ſolùm eſſe ſigna ad excitandam fidem, & nutriendam; ac proinde eſſe quidem utilia, non tamen neceſſaria: præſertim cum ſine Sacramentis fides nutriri, & excitari poſſit per verbum Dei.

III. Tertiò docent, præceptum fidei obligare omnes mortales; & hoc ſolum præceptum ſufficere, ac neceſſarium eſſe ad ſalutem, juxta illud Roman. 1. v. 17. *Juſtus ex fide vivit*. Et Lucæ 8. v. 50. *Crede tantùm, & ſalva eris*. Ex his omnibus concludunt, libertatem Chriſtianam, ſeu Evangelicam, in eo conſiſtere, quòd ſumus liberi ab obſervatione legis. Et ſic interpretantur illud 1. ad Timoth. 1. v. 9. *Juſto non eſt lex poſita*. Quæ tria Calviniſtarum deliramenta potiùs, quàm dogmata damnavit Conc. Tridentinum *Seſſ.* 6. *Can.* 18. & ſequentibus, eorumque falſitatem nos ſuis locis demonſtrabimus.

IV. Contrarium ſentiunt omnes Catholici. Inter hæc tamen triplicis generis præcepta hoc diſcrimen ſtatuendum eſt. Quòd moralia, cùm ſint juris naturalis, non fuerunt à Chriſto inſtituta, ſed explicata, probata, & ab erroribus, quibus ex hominum malitia fuerant involuta, vindicata. Sacramentalia verò, & cæremonialia fuerunt inſtituta à Chriſto, ut eſſent loco veterum, quæ ab ipſo abrogata ſunt. Præcepta verò fidei de novo inſtituta non ſunt, ſed cùm eſſent obſcura, facta ſunt clara: ita ut explicitè credere nunc teneamur quædam myſteria, quæ à veteribus ſolùm implicitè credebantur; ut Nativitas, Paſſio, Mors, Reſurrectio Chriſti, & alia, quæ ab Hebræis obſcurè tantùm credebantur.

§. II.

Doctrina Catholica.

V. Dico primò. Præcepta Decalogi, & moralia ſervari poſſunt ab iis, qui ex gratia Dei operantur; neque Chriſtus ab eorum obſervatione nos liberavit. Prior pars probatur variis Scripturę Sacrę teſtimoniis. Pſ. 118. v. 32. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum*. Ezechiel. 36. v. 27. *Spiritum meum ponam in medio veſtri, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea cuſtodiatis*. 1. Joann. 5. v. 3. *Hæc eſt enim caritas Dei, ut mandata ejus cuſtodiamus: & mandata ejus gravia non ſunt*. Quid clarius? Accedunt exempla eorum, qui in Scripturis narrantur, legem ſervaſſe. Servavit illam David, juxta illud 3. *Reg.* 14. *v.* 8. ubi Jeroboamo dicit Deus: *Non fuiſti ſicut ſervus meus David, qui cuſtodivit mandata mea,*

& ſecutus eſt me in tota corde ſuo, faciens, quod placitum eſſet in conſpectu meo. Servarunt Zacharias, & Eliſabeth, Lucæ 1. v. 6. *Erant ambo juſti ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & juſtificationibus Domini ſinè querelâ.* Servavit adoleſcens Evangelicus, Matth. 19. v. 20. *Omnia hac cuſtodivi à juventute mea.* Obſervatio ergo mandatorum non eſt impoſſibilis iis, qui operantur ex gratia Dei. Sed de hoc alibi fuſiùs.

VI. Poſterior pars, nempe, quòd Chriſtus non liberaverit nos ab obſervatione mandatorum, probatur primò ex verbis Chriſti, Matth. 5. v. 18. *Non veni ſolvere legem, ſed adimplere.* Matth. 19. v. 17. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Secundò, ex verbis Apoſtolorum Pauli, qui 1. *Cor. 6. v. 9. &* 10. dicit, fornicarios, adulteros &c. Regnum Dei non poſſeſſuros; quod repetit ad Epheſ. 5. v. 5. & ad Hebr. 13. v. 4. *Fornicatores, & adulteros judicabit Deus:* & S. Jacobi *c.* 2. ubi de lege Chriſtiana loquens, quam *legem libertatis* vocat, eam ſtatuit in obſervatione omnium mandatorum, dicens v. 10. *Quicumque autem totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus.* Ex quibus patet, quàm à vero aberrent Calviniſtæ, dum ad ſtatuendum ſuum errorem abutuntur Pauli dicto: *Chriſtus redemit nos de maledicto legis.* Ut enim *Dub. præcedente* diximus, ſimiles textus non ita ſunt intelligendi, quaſi Chriſtus voluerit, nos eſſe liberos ab obſervatione legis, cùm eam potiùs inculcaverit; ſed quòd dederit nobis ſuis meritis gratiam, quâ poſſimus eam implere, & maledictionem tranſgreſſoribus conſtitutam evitare. Unde non dixit: *Liberavit nos à lege*, ſed *à maledicto legis*, ideſt, à culpa, & pœnâ, quam homines, non valentes eam obſervare, incurrebant: unde ſubdit: *Factus pro nobis maledictum*, ideſt culpam, & pœnam in ſe ſuſcipiens, à maledicto nos liberavit. Vide S. Thom. in c. 3. *ad Galat. lect.* 5. & S. Auguſt. *l.* 14. *contra Fauſtum c.* 4.

VII. Mirandum ſanè, cur Calviniſtæ in hoc adeo cæcutiant, cùm Chriſtus in Evangelio nil aliud preſſiùs inculcet, quam obſervantiam præcepti dilectionis Dei, & proximi, vocans illud *maximum, & primum mandatum*, Matth. 22. v. 38. addens v. 4. *In his duobus* (dilectione Dei, & proximi) *univerſa lex pendet, & Prophetæ.* Imò dilectioni proximi addidit dilectionem inimici, *Matth.* 5. *v.* 43. *&* 44. Et ibidem *v.* 21. *&* 22. præcepto *non occides* addidit præceptum de non iraſcendo fratri ſuo. *v.* 34. præcepto non pejerandi addidit præceptum non jurandi. *v.* 32. libellum repudii ſuſtulit. *v.* 28. præcepto *non machaberis* addidit præceptum de non videnda muliere ad concupiſcendum eam. Quomodo igitur hujuſmodi additiones, ſeu explicationes feciſſet Chriſtus, ſi Chriſtianos ab obſervantia legis liberaſſet?

VIII. Dico ſecundò. Præcepta ſacramentalia inſtituit Chriſtus, ſaltem Baptiſmum, & Euchariſtiam, quæ Chriſtianos obligant, & ſunt neceſſaria ad ſalutem. De ſolo Baptiſmo, & Euchariſtia loquor, quia Calviniſtæ plura Sacramenta vix admittunt. De Baptiſmo manifeſtè patet ex illo Joann. 3. v. 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non poteſt introire in Regnum Dei.* Scio, Calvinum hæc verba non intelligere de Baptiſmo, quod eſt Sacramentum: ſed hìc non eſt locus eum confutandi. Satis ſit pro nunc, omnes Patres ea verba de Baptiſmo aquæ intellexiſſe: inter quos S. Aug. *Serm.* 11. *de Verb. Domini*, modò *Serm.* 71. *c.* 12. Et *Serm.* 14. *de Verb. Apoſtoli*, modò *Serm.* 294. qui eſt de Baptiſmo parvulorum *c.* 8. ubi quaſi argueret Calvinum, qui *l.* 4. *Inſt. c.* 15. §. 20. vult, parvulos non baptizatos admitti in Regnum Cœlorum, ſic ait: *Audi Evangelium, qui vis non Baptizatos parvulos mittere in Regnum Cœlorum, audi Evangelium:* Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non intrabit in Regnum Dei: *Domini*

mini ſententia eſt ; huic non reſiſtit , niſi non Chriſtianus .

De Euchariſtia conſtat ex illo Jo. 6. v. 53. *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis , & biberitis ejus ſanguinem , non habebitis vitam in vobis .* Ex quibus verbis Calviniſtæ, & Lutherani deducunt contra nos præceptum divinum communicandi ſub utraque ſpecie; ergo præcepta ſacramentalia à Chriſto lata ſunt .

IX. Dico tertiò . Datur præceptum fidei à Chriſto impoſitum, ſed non ſolum . Hæc ſecunda pars ſequitur ex dictis : nam præter præceptum fidei dantur præcepta Decalogi , & moralia , & inſuper præcepta ſacramentalia Chriſtianos obligantia . Prior autem pars , quòd præceptum fidei fuerit à Chriſto impoſitum omnibus , conceditur ab ipſis Calviniſtis, qui hoc unico præcepto Chriſtianos obligari fatentur , ut ſupra dictum eſt .

Probatur autem ex illis verbis Chriſti , Marci 16. v. 16. *Qui crediderit , & Baptizatus fuerit , ſalvus erit ; qui verò non crediderit , condemnabitur .* Quibus apparet , ad ſalutem obtinendam requiri & credere , & Baptizari ; & ideo ſolam fidem non ſufficere , quamvis carentia ſolius fidei ſufficiat ad damnationem. Quòd verò ad juſtificationem & ſalutem ſola fides non ſufficiat, oſtendetur in Tractatu de Juſtificatione.

X. Omittere non poſſum , pro integra hujus Dubii ſolutione, ea, quæ docet S. Thom. hîc 1. 2. *q.* 108. *a.* 1. ubi quærens : an lex nova aliquos exteriores actus debeat præcipere , vel prohibere ; dicit , quòd cùm lex nova ſit lex gratiæ in homines derivatæ per Jeſum Chriſtum : *Convenit , ut per aliqua exteriora ſenſibilia gratia à Verbo Incarnato profluens ad nos deducatur ; & ex gratia interiori , per quam caro ſpiritui ſubditur, exteriora quædam opera ſenſibilia producantur .* Opera autem exteriora dupliciter ad gratiam pertinere poſſunt . Uno modo ſicut inducentia aliqualiter ad gratiam : & talia ſunt opera Sacramentorum , quæ in nova lege ſunt inſtituta , ſicut Baptiſmus , Euchariſtia , & alia hujuſmodi . Alia verò ſunt opera exteriora , quæ ex inſtinctu gratiæ producuntur : & hæc vel habent neceſſariam convenientiam , vel contrarietatem ad interiorem gratiam , quæ in fide per dilectionem operante conſiſtit ; vel non habent . *Hujuſmodi exteriora opera ſunt præcepta, vel prohibita in lege nova , ſicut præcepta eſt confeſſio fidei , & prohibita negatio: dicitur enim Matth.* 10. Qui confitebitur me coram hominibus , confitebor & ego eum coram Patre meo : qui autem negaverit me coram hominibus , negabo & ego eum coram Patre meo . Si verò neceſſariam convenientiam , vel contrarietatem ad fidem non habent talia opera , à Legislatore Chriſto nec præcepta ſunt , nec prohibita , ſed cuique liberum eſt,circa talia determinare: & *cuicumque Præſidenti circa talia ordinare ſuis ſubditis , quid ſit in talibus faciendum , vel vitandum . Unde etiam quantùm ad hoc lex Evangelii dicitur* lex libertatis . *Nam lex vetus multa determinabat , & pauca relinquebat hominum libertati determinanda .* Vide D. Thom. ibi .

DUBIUM III.

In quo differat Lex Nova à Veteri .

§. I.

An Lex Nova alia ſit à Veteri ?

I. Dico . Lex nova alia eſt à veteri : non ſicut ordinans ad diverſum finem , ſed ſicut proximiùs accedens ad finem eumdem . Ita S. Thom. 1. 2. *q.* 107. *a.* 1. ubi priorem partem ſic probat : Nam *utriuſque legis eſt unus finis , ſcilicet , ut homines ſubdantur Deo . Eſt autem unus Deus & novi , & veteris Teſtamenti , ſecundùm illud* Roman. 3. *Unus Deus eſt , qui juſtificat Circumciſionem ex fide , & præputium per fidem .*

Poſteriorem partem probat : *Quia lex vetus*

vetus eſt quaſi Pædagogus puerorum, ut Apoſtolus dicit, ad Galat. 3. *Lex autem nova eſt lex perfectionis, quia eſt lex caritatis, de qua Apoſtolus dicit, ad Coloſs.* 3. *quòd eſt* vinculum perfectionis.

II. Sequitur ex hoc, quòd eſtò eadem fides eſſet in veteri, ac in nova lege, quia utriuſque idem eſt finis: *Sed tamen fides habet alium ſtatum in veteri, & in nova lege. Nam quod illi credebant futurum, nos credimus factum.* Ita S. Thom. citatus *ad* 1.

III. Sequitur etiam, quòd lex nova veterem perfecerit, ac impleverit, ut docet idem S. Doctor ibidem *a.* 2. Primò: quia cùm finis legis ſit, ut homines efficiantur juſti, & finis veteris legis erat juſtificatio hominum; quam poterat quidem promittere verbis, & quibuſdam cæremonialibus factis figurare, dare tamen per ſeipſam non poterat: hanc autem vim lex nova de facto exhibeat per Chriſti gratiam; ideo implet, quod illa figurabat, & complet, quod illa promittebat. Secundò: quia præcepta legis adimplevit Chriſtus & opere, & doctrinâ. Opere, quia circumcidi voluit, & alia, quæ pro illo tempore obſervanda erant, in ſeipſo implere. Doctrinâ verò: Primò, *Verum intellectum legis exprimendo, ſicut patet in homicidio, & adulterio, in quorum prohibitione Scribæ, & Phariſæi non intelligebant, niſi exteriorem actum prohibitum. Unde Dominus legem adimplevit, oſtendendo, etiam interiores actus peccatorum cadere ſub prohibitione. Secundò, adimplevit Dominus præcepta legis, ordinando, quomodo tutiùs obſervaretur, quod lex vetus ſtatuerat. Sicut lex vetus ſtatuerat, ut homo non pejeraret; & hoc tutiùs obſervatur, ſi omnino à juramento abſtineat, niſi in caſu neceſſitatis. Tertiò, adimplevit Dominus præcepta legis, ſuperaddendo quadam perfectionis conſilia; ut patet Matth.* 19. *ubi dicenti, ſe obſervaſſe præcepta veteris legis, dicit:* Unum tibi deeſt: Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes &c.

IV. Quorumdam autem præceptorum obſervantia per impletionem fuit totaliter evacuata, nimirùm cæremonialium. Nam cùm eſſent data ad figurandum futura: *Si obſervarentur, adhuc ſignificaretur aliquid, ut futurum, & non impletum: ſicut etiam promiſſio futuri doni locum jam non habet, promiſſione jam impletâ per doni exhibitionem.* Ita D. Thom. *a.* 2. citato *ad* 1.

V. Sequitur tertiò, legem novam in veteri contineri, non quidem actu, ſicut locatum continetur in loco: ſed virtute, ſicut effectus in cauſa, vel completum in incompleto; ſicut genus continet ſpecies poteſtate, & ſicut tota arbor continetur in ſemine. Ita D. T. citatâ *q.* 107. *a.* 3. Sic primò herbam fructificavit in lege naturæ, poſtmodum ſpicas in lege Moyſi, poſtea plenum frumentum in Evangelio. Unde ſicut quod explicitè continetur in grano, continebatur implicitè, & veluti clauſum in ſpica: ita quod explicitè continetur, & creditur in Evangelio, implicitè, & quaſi clauſum continebatur in lege Moyſi.

§. II.

Alia Differentia Legis Novæ à Veteri.

VI. PRæcipua legis novæ à vetere differentia eſt, quòd nova vim habet juſtificandi, vetus autem non. Id probat paſſim S. Paulus. Roman. 1. v. 16. *Non enim* (inquit) *erubeſco Evangelium: virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti, Judæo primùm, & Græco.* Quia, ut ait D. Th. in *c.* 1. *ad Rom. lect.* 6. per Evangelium homo conſequitur gratiam ſanctificantem, & Evangelium perducit ad vitam æternam. Porrò legem Moſaicam non habuiſſe virtutem juſtificandi, docet idem ibidem *c.* 8. *v.* 3. 4. dicens: *Nam quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem; Deus Filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne, Ut juſtificatio legis impleretur in nobis.* Ad Galat. 2. v. 16. *Scien-*

Scientes autem, quòd non juſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem Jeſu Chriſti: & nos in Chriſto Jeſu credimus, ut juſtificemur ex fide Chriſti, & non ex operibus legis: propter quod ex operibus legis non juſtificabitur omnis caro. Et c. 3. v. 11. *Quoniam autem in lege* (ideſt vi legis) *nemo juſtificatur apud Deum, manifeſtum eſt: quia juſtus ex fide vivit*. Et ad Hebr. 7. v. 18. 19. *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus, & inutilitatem: Nihil enim ad perfectum adduxit lex*. In eo igitur utraque lex diſcrepat, quòd vetus mundaret quidem ab inquinatione carnis contractâ ratione tranſgreſſionis, munditiâ quâdam legali, & externâ; veram tamen animæ juſtitiam ſignificaret quidem, & ad eam præparabat, ut docet S. Thom. *q.* 100. *a.* 12. juſtitiam tamen internam animæ cauſare per ſeipſam non poterat. Nova verò vim habeat talem juſtitiam conferendi; quia habet præſentem Chriſtum juſtitiæ fontem, qui pro peccatis noſtris ſeipſum hoſtiam obtulit, ac *una oblatione conſummavit in æternum Sanctificatos*, ut ait Paulus Hebr. 10. v. 14. *Et ſalvare poteſt in perpetuum accedentes per ſemetipſum ad Deum: ſemper vivens ad interpellandum pro nobis*, ut ait idem Paulus ibi c. 7. v. 25. Unde Joann. 1. *v.* 17. lex per *Moyſen data eſt: gratia, & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt*.

VII. Hinc quotquot in lege veteri juſtificabantur, ſive per martyrium, ſive per alia Deo impenſa obſequia, hanc juſtificationis gratiam conſecuti ſunt, non ex lege, ſed ex ordine ad Chriſtum; cui conjungebantur per fidem, ut futuro Mediatori, & totius gratiæ fonti, & auctori: ex quo in omnes ſub quacumque lege viventes tanquam univerſali hominum propitiatore gratia derivavit. Ut enim dicit Petrus Act. 4. v. 12. *Non eſt in alio aliquo ſalus. Nec enim aliud nomen eſt ſub Cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri*. Et c. 15. v. 11. *Sed* (inquit) *per gratiam Domini Jeſu Chriſti credimus ſalvari, quemadmodum & illi*, Patres videlicet veteris Teſtamenti: qui, ut ait Paulus 1. Cor. 10. v. 4. *Omnes eumdem potum ſpiritalem biberunt (bibebant autem de ſpiritali conſequente eos, petra: petra autem erat Chriſtus.)*

VIII. Quapropter omnes SS. Patres conſtanter affirmant, eos, qui in veteri Teſtamento fuerunt Deo per fidem accepti, & juſtificati, ad novum Teſtamentum pertinuiſſe. Non enim juſtificabantur, niſi per fidem in Chriſtum, qui novi Teſtamenti eſt auctor. Inter hos S. Auguſtinus *Ep.* 157. modò 190. *ad Optatum c.* 2. ait: *Cujus hominis, ejuſdemque Dei ſaluberrimâ fide etiam illi juſti ſalvi facti ſunt; qui priùs quàm veniret in carne, crediderunt in carne venturum. Eadem namque fides eſt, & noſtra, & illorum: quoniam hoc illi crediderunt futurum, quod nos credimus factum*. Et poſt multa: *Proinde cùm omnes juſti, hoc eſt veraces Dei cultores, ſive ante Incarnationem, ſive poſt Incarnationem Chriſti, nec vixerint, nec vivant, niſi ex fide Incarnationis Chriſti, in quo eſt gratiæ plenitudo; profecto quod ſcriptum eſt:* Non eſſe aliud nomen ſub Cœlo, in quo oportet ſalvos fieri nos, *ex illo tempore valet ad ſalvandum genus humanum, ex quo in Adam vitiatum eſt genus humanum:* Sicut enim in Adam omnes moriuntur: ita & in Chriſto omnes vivificabuntur. *Quia ſicut in Regno mortis nemo ſinè Adam: ita in Regno vitæ nemo ſinè Chriſto. Sicut per Adam omnes injuſti: ita per Chriſtum omnes juſti homines. Sicut per Adam omnes mortales in pœna facti ſunt filii ſæculi: ita & per Chriſtum omnes immortales in gratia ſiunt filii Dei*.

IX. Notat tamen S. Thomas hâc 1. 2. q. 106. a 2. quòd *ad legem Evangelii duo pertinent. Unum quidem principaliter, ſcilicet, ipſa gratia Spiritus Sancti interiùs data: & quantùm ad hoc nova lex juſtificat. Unde Auguſtinus dicit in lib. de Spiritu, & litt. c.* 17. Ibi, *ſcilicet in veteri Teſtamento*, lex extrinſecùs eſt poſita, quâ injuſti terren-

rentur: Hìc, *ſcilicet, in novo Teſtamento*, intrinſecus data eſt, quâ juſtificaremur. *Aliud pertinet ad legem Evangelii ſecundariò, ſcilicet, documenta fidei, & præcepta ordinantia affectum humanum, & humanos actus: & quantùm ad hoc lex nova non juſtificat*. Præcepta enim Chriſti, quibus conſtituitur, quid credere, quid agere, quo etiam animo affecti eſſe debeamus, ſolùm dictant, quid ſit credendum, quidque agendum; infirmitatem verò, & pravam cupiditatem, quâ in hac vitâ proni ſumus ad malum, non ſanant; neque præbent nobis vel bonam voluntatem, ut libenter faciamus id, quod jubemur, vel vires ad hoc implendum: ſed hoc haberi debet per gratiam Chriſti, quem lex nova habet præſentem, & per Sacramenta, quæ gratiam ex opere operato per merita ipſius conferunt.

Unde bene addit S. Tho. quòd etiam littera Evangelii occideret (occaſionaliter nempe) niſi adeſſet gratia fidei interiùs ſanans. Cùm enim Apoſtolus dicit 1. *Cor.* 3. Littera occidit: *Per litteram intelligitur qualibet ſcriptura extra hominem exiſtens, etiam moralium præceptorum, qualia continentur in Evangelio*. Quod docuit etiam S. Aug. *l. de Spiritu & litt. c.* 14. & 17.

X. Ex quo fit, quòd non omnes, quibus prædicatur, obediant Evangelio: quia Evangelium exteriùs propoſitum, vel verbo, vel ſcripto ſe ipſo non juſtificat, ſed gratia interiùs ſanans. Fit etiam, quòd qui ſemel accipit gratiam Evangelii, fieri poſſit prævaricator: quia ut docet D. Tho. hoc 2. 2. ad 2. *Gratia novi Teſtamenti, etſi adjuvet hominem ad non peccandum; non tamen ita confirmat in bono, ut homo peccare non poſſit: hoc enim pertinet ad ſtatum gloriæ. Et ideo ſi quis poſt acceptam gratiam novi Teſtamenti peccaverit, majori pœna eſt dignus, tanquam majoribus beneficiis ingratus, & auxilio ſibi dato non utens. Nec tamen propter hoc dicitur, quòd lex nova iram operatur: quia, quantùm eſt de ſe, ſufficiens auxilium dat ad non peccandum*.

XI. Neque dicas: Si lex vetus fuit à Deo non minùs, quàm nova; Deus autem eſt, qui juſtificat, *Roman.* 8. cur lex vetus non juſtificabat, ſicut nova?

XII. Reſpondet enim S. Thomas citatus *ad* 3. (& hæc eſt alia differentia inter legem novam, & veterem) Quòd *legem novam, & veterem unus Deus dedit, ſed aliter, & aliter. Nam legem veterem dedit ſcriptam in tabulis lapideis: legem autem novam dedit ſcriptam in tabulis cordis carnalibus, ut Apoſt. dicit* 2. *ad Cor.* 3. *Proinde ſicut Auguſt. dicit l. de Spiritu, & litt. c.* 18. litteram iſtam extra hominem ſcriptam, & miniſtrationem mortis, & miniſtrationem damnationis appellat. Hanc autem, *Scilicet, novi Teſtamenti legem*, miniſtrationem ſpiritus, & miniſtrationem juſtitiæ dicit: quia per donum Spiritus operamur juſtitiam, & à prævaricationis damnatione liberamur.

XIII. Alia differentia inter novam, & veterem legem eſt: quòd vetus uni ſoli populo Judæorum data fuit, eumque ſolum obligabat, ut ſuperiùs oſtenſum eſt. At nova data eſt univerſo generi humano, cui quovis tempore neceſſaria fuit ad ſalutem. Unde Chriſtus Matth. 28. *v.* 19. Apoſtolis ait: *Euntes ergo docete omnes Gentes*. Et Marci 16.*v.*15.16. *Euntes in Mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & Baptizatus fuerit, ſalvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur*. Ut enim ait D. Petrus Act. 4. v. 12. *Non eſt in alio aliquo ſalus. Nec enim aliud nomen eſt ſub Cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvuos fieri*. Undè etiam temporibus legis veteris multi ſinè eâ ſalvati ſunt: at ſinè lege novâ, ac fide in Chriſtum nullus ſalvarî poteſt, nec unquam potuit. Quare, ut dicebamus, omnes Juſti etiam in vete-

veteri lege, ad legem novam per fidem pertinuerunt.

XIV. Aliæ ſunt differentiæ indicantes excellentiam legis novæ ſupra veterem. Vetus enim præſcripta fuit à Deo miniſterio Angelorum, Moyſe promulgatore: nova immediatum Auctorem, & promulgatorem habuit ipſum Filium Dei Jeſum Chriſtum. Vetus cum terrore in monte Sina fuit promulgata: nova evulgari cæpit in die Pentecoſtes, quo Spiritus Sanctus, cujus characteriſtica proprietas amor eſt, in Apoſtolorum corda ſeſe effundens, divino amore replevit. Hinc ubi lex vetus dicebatur jugum importabile (*Act.* 15. *v.* 10.) jure potuit dicere Chriſtus, *Matth.* 11. *v.* 29. 30. diſcipulis ſuis: *Tollite jugum meum ſuper vos.... Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Tandem lex nova excedit veterem, quòd ubi iſta eam obſervantibus promittebat tantùm bona temporalia in præmium, juxta illud Iſaiæ 1. v. 19. *Si.... audieritis me, bona terræ comedetis:* illa promittit ſuis ſectatoribus Regnum, & vitam æternam. Unde Paulus, Hebr. 7. v. 22. *Melioris* (inquit) *Teſtamenti ſponſor factus eſt Chriſtus.* Rationem autem aſſignans, ait v. 25. *Unde & ſalvare in perpetuum poteſt accedentes per ſemetipſum ad Deum.*

DUBIUM IV.

De Duratione Legis Novæ.

§. I.

An Lex Nova debuerit dari ab initio Mundi.

I. Dico. Conveniens non fuit, ut lex nova, ſeu Evangelica daretur ab initio Mundi. Ita S. Thomas hâc *q.* 106. *a.* 3. Et probat triplici ratione. Prima. Quia lex nova principaliter conſiſtit in gratia Spiritus Sancti in homines abundanter effuſâ: ſed hæc abundanter dari non debuit ſtatim ab initio Mundi; ergo &c. Min. prob. Talis gratiæ abundantia dari non debuit, antequam impedimentum peccati ab humano genere tolleretur, conſummatâ redemtione per Chriſtum: ſed redemtio per Chriſtum non debuit conſummari ab initio Mundi; unde in Tractatu de Incarnatione dicitur, non debuiſſe ab initio Mundi Verbum incarnari; ergo &c. Major prob. ex illo Joann. 7. v. 39. *Nondum erat Spiritus datus* (cum plenitudine nimirum, qualem decebat dari in ſtatu legis novæ) *quia Jeſus nondum erat glorificatus.* Et hanc rationem maniſeſtè aſſignat Apoſtolus ad *Rom.* 8. v. 3. ubi, poſtquam præmiſit de lege Spiritus vitæ, ſubjungit: *Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, de peccato damnavit peccatum in carne, ut juſtificatio legis impleretur in nobis.*

II. Secunda ratio eſt. Quia non eſt conſuetum, quòd aliquid adducatur ad perfectum ſtatim à principio, ſed quodam temporali ſucceſſionis ordine: ſicut aliquis priùs fit puer, & poſtea vir; priùs eſt ſub Pedagogo, poſtea in libertate filii. Ita Paulus, ad Galat. 3. v. 24. & 25. *Lex Pedagogus noſter fuit in Chriſto, ut ex fide juſtificemur. At ubi venit fides, jam non ſumus ſub Pedagogo.* Quod latè proſequitur toto capite ſeptimo.

III. Tertia ratio eſt. Lex nova eſt lex gratiæ; ergo oportuit, ut homo ſibi relictus in ſtatu veteris legis, & in peccatum cadendo ſuam infirmitatem agnoſcens, recognoſceret, ſe gratiâ indigere. Quod etiam indicavit Apoſtolus Rom. 5. v. 20. *Lex autem ſubintravit, ut abundaret delictum. Ubi autem abundavit delictum, ſuperabundavit & gratia.*

IV. Sed dices primò. Ut ait Apoſtolus, Roman. 2. v. 11. *Non enim eſt perſonarum acceptio apud Deum: ſed omnes homines peccaverunt, & egent gloriâ Dei*, ut dicit idem; *Rom.* 3. v. 23. ergo decuit, ut omnibus æqualiter ſubveniretur, & ſic ab initio Mundi lex gratiæ daretur.

V. Reſpondet D. Thom. hoc art. 3. ad 1. *Quod humanum genus, propter peccatum primi Parentis, meruit privari auxilio gratiæ. Et ideo quibuſcumque non datur, hoc eſt ex juſtitia; quibuſcumque autem datur, hoc eſt ex gratia, ut Auguſt. dicit in lib. de Perfect. juſtitiæ c. 4. & Ep. 107. Unde non eſt acceptio perſonarum apud Deum ex hoc, quòd non omnibus à principio Mundi legem gratiæ propoſuit, quæ erat debito ordine proponenda, ut dictum eſt.*

VI. Dices ſecundò. In omnibus locis voluit Chriſtus prædicari Evangelium, *Matth. ultimo*, & *Marci ultimo*; cur ergo non debuit etiam prædicari in omnibus temporibus?

VII. Reſpondet D. Thom. *ad* 2. Rationem eſſe: quia *diverſitas locorum non variat diverſum ſtatum humani generis, qui variatur per temporis ſucceſſionem. Et ideo omnibus locis proponitur lex nova, non autem omnibus temporibus; licèt omni tempore fuerint aliqui ad novum Teſtamentum pertinentes, ut ſupra dictum eſt:* nimirum *q.* 106. *a.* 1. *ad* 3. ubi hæc habet: *Nullus unquam habuit gratiam Spiritus Sancti, niſi per fidem Chriſti explicitam vel implicitam. Per fidem autem Chriſti pertinet homo ad novum Teſtamentum. Unde quibuſcumque fuit lex gratiæ indita, ſecundùm hoc ad novum Teſtamentum pertinebant.*

VIII. Ex his apparet, quòd licèt lex gratiæ non fuerit toti Mundo promulgata ab initio, ſed ſolùm in medio temporum; operata tamen fuit ab initio, & quovis tempore in cordibus juſtorum, per fidem Chriſti, quâ ſolâ, non per legem, juſtificati fuerunt. Unde illud *Apocal.* 13. *v.* 8. ubi de Chriſto ſub nomine agni dicitur: *Qui occiſus eſt ab origine Mundi*, exponitur à D. Th. *in c.* 12. *ad Hebr. lect.* 4. ideſt: *Occidi præviſus*. Dum enim veterum Patriarcharum fide prævidebatur occidendus pro peccatis hominum, in cordibus eorum quodammodo occidebatur, ſicut occiſus fuit in occiſione Abel; & in omnibus victimis, quæ figuræ erant immolationis Chriſti, dici poterat immolari, ut docet idem S. Thom. 3. *p. q.* 83. *a.* 1.

IX. In hoc (præter dicta ſuperiùs) audiendus eſt S. Auguſtinus *Epiſt.* nunc 102. olim 49. *ad Deogratias Qu.* 2. quæ eſt de tempore Religionis Chriſtianæ, ubi ait: *Itaque ab exordio generis humani quicumque in eum crediderunt, eumque utcumque intellexerunt, & ſecundum ejus præcepta piè, & juſtè vixerunt; quandolibet, & ubilibet fuerint, per eum procul dubio ſalvi facti ſunt.... Nec quia pro temporum varietate nunc factum annunciatur, quod tunc futurum prænuntiabatur; ideo fides ipſa variata, vel ſalus ipſa diverſa eſt. Nec quia una, eademque res aliis, atque aliis Sacris, ac Sacramentis, vel prædicatur, aut prophetatur; ideo alias, atque alias res, vel alias, atque alias ſalutes oportet intelligi.... Proinde aliis tunc nominibus, & ſignis, aliis autem nunc; & priùs occultiùs, poſtea manifeſtiùs, & priùs à paucioribus, poſtea à pluribus, una tamen, eademque Religio vera ſignificatur, ac obſervatur.* Et ibidem qu. 3. ſubjungit: *Mutatio quippe non Dei, non ipſius Religionis, ſed Sacrificiorum, & Sacramentorum impudenter nunc videretur prædicata, niſi fuiſſet ante prædicta. Quemadmodum enim unus, idemque homo ſi mane Deo aliud offerat, aliud veſpere pro congruentia diurni temporis, non Deum mutat, nec Religionem; ſicut nec ſalutem, qui alio modo mane, alio veſpere ſalutat: ita in univerſo tractu ſeculorum cum aliud oblatum eſt ab antiquis Sanctis, aliud ab eis, qui nunc ſunt offertur: non humanâ præſumtione, ſed auctoritate divinâ temporibus congrua myſteria celebrantur, non Deus, aut Religio commutatur.* Hæc Auguſtinus: quibus non meliùs res præſens poterat explicari.

X. Dices adhuc tertiò. Magis neceſſaria eſt homini ſalus æterna, quàm temporalis: ſed Deus ab initio Mundi providit homini ea, quæ ſunt ſibi neceſſaria ad ſalutem corporis, quæ

eſt temporalis, omnia creata ejus poteſtati tradens *Geneſ.* 1. ergo lex nova, quæ maximè ad ſalutem animæ, quæ eſt æterna, neceſſaria eſt, magis debuit homini ab initio dari.

XI. Reſpondet D. Tho. hoc a. 3. ad 3. *Quòd ea, quæ pertinent ad ſalutem corporalem, deſerviunt homini quantùm ad naturam, quæ non tollitur per peccatum. Sed ea, quæ pertinent ad ſpiritualem ſalutem, ordinantur ad gratiam, quæ amittitur per peccatum. Et ideo non eſt ſimilis ratio de utriſque.* Proviſum tamen fuit etiam ab initio Mundi ſaluti ſpirituali hominum per fidem in Chriſtum, quâ poterant ſalvari, ut dictum eſt.

§. II.

An Lex Nova duratura ſit uſque ad finem Mundi?

XII. Montanus hæreticus, circa annum Domini 173. eò temeritatis, & arrogantiæ devenit; ut, teſtibus Philaſtrio *Hæreſ.* 49. & *S. Auguſt. l. de Hæreſ. c.* 26. legem à Chriſto datam, ſuo ſeculo finitam eſſe doceret, & in ejus locum ſe perfectiorem adferre: aſſerens, ſe eſſe Paracletum illum, quem Dominus ſuis Diſcipulis promiſerat; quique eos docturus eſſet omnem veritatem. Huic inſaniæ adhæſit Manetes, ſeu Manichæus, circa ann. Domini 273. ut refert S. Auguſt. laudato loco *c.* 46. Cujus erroris falſitas evincitur ex *Lucæ ultimo v.* 49. ubi Chriſtus Apoſtolis dicebat: *Et ego mitto promiſſum Patris mei in vos: vos autem ſedete in civitate, donec induamini virtute ex alto:* quam promiſſionem completam fuiſſe in ipſis Apoſtolis in die Pentecoſtes idem Lucas fusè enarrat in *Act. Apoſt. c.* 2. *v.* 4. 5. & ſequ. Præterquam quòd ex Joanne *c.* 15. *v.* 26. notum eſt, Paraclitum à Chriſto promiſſum non eſſe quempiam mortalium, ſed *Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.*

XIII. Mahumetes verò omnium callidiſſimus, ut ſuæ Sectæ auctoritatem conciliaret, aſſeruit, tres ab exordio Mundi leges fuiſſe à Deo latas; nempe, Moſaicam, Evangelicam, ſeu Chriſtianam, & Alcoranum. Sicut autem adveniente lege Evangelicâ, ceſſavit, & abrogata fuit lex Moſaica: ita adveniente lege Alcorani, abrogata fuit lex Evangelica, quæ juxta ipſum ſexcentis ſolis annis duravit. Ita Mahumetani omnes. Ad quod detorquent parabolam de operariis, qui *Matth.* 20. vocati fuerunt ad laborandum in vinea: & dicunt, quòd primi vocati, qui laboraverunt uſque ad meridiem, fuerunt cultores legis Moſaicæ; quibus laſſatis, vocati fuerunt Chriſtiani, qui uſque ad nonam operati ſunt: tandem his quoque defatigatis, profeſſores Alcorani vocati ſunt, qui laboraturi ſunt uſque ad veſperam, ideſt, uſque ad finem ſeculorum. Dum verò objiciuntur eis Scripturarum loca, quibus lex Evangelica dicitur duratura uſque ad finem Mundi; reſpondent, dictos ſcripturarum textus fuiſſe falſatos. His tamen dimiſſis

XIV. Dico. Lex nova duratura eſt uſque ad finem Mundi. Ita S. Tho. hac *q.* 106. *a.* 4. Et probo primò ex verbis Angeli. *Lucæ* 1. *v.* 32. de Chriſto dicentis: *Regnabit in Domo Jacob*, ideſt in Eccleſia ſuâ, *in æternum, & Regni ejus non erit finis.* Quod predixerat Daniel. *c.* 2. *v.* 44. ubi ſomnium ſtatuæ, cujus pedes lutei unâ cum ſtatua conterendi erat à lapide abſciſſo de monte figurâ Chriſti, Nabuchodonoſori exponens, ait; *Suſcitabit Deus Cœli Regnum, quod in æternum non diſſipabitur, & Regnum ejus alteri populo non tradetur: comminuet autem, & conſumet univerſa Regna hæc: & ipſum ſtabit in æternum.* Et c. 7. v. 14. loquens de filio hominis (Chriſto) dicit, quòd Antiquus dierum (Deus) *Dedit ei poteſtatem, & honorem, & Regnum ... poteſtas ejus poteſtas æterna, quæ non auferetur: & Regnum ejus, quod non corrumpetur.*

XV. Item Chriſtus ipſe, *Matth.* 28. *v.* 20. mittens Apoſtolos ad docendum omnes gentes, ait; *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſeculi.* Item Apoſtolus 1. Cor. 11. v. 26. *Quotieſcumque* (inquit) *manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat*, ideſt, ipſe Dominus ad judicium in fine Mundi. *In quo datur intelligi* (ait illic S. Tho. Lect. 6.) *quòd hic ritus Eccleſiæ non ceſſabit uſque in finem Mundi.* Et idem Paulus *Hebr.* 7. *v.* 21. probat, Sacerdotium Chriſti eſſe æternum, ex illis verbis, Pſalmi 109. v. 4. *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es Sacerdos in æternum.* Unde infert: *Hic autem* (Chriſtus) *eo quòd maneat in æternum, ſempiternum habet Sacerdotium.*

XVI. Neque dicas. Etiam de lege veteri dictum legi, eam fore æternam: & tamen hoc expoſuimus ſupra, dici æternam, non quia ſit ſemper, ſed longo tempore duraturam; ergo ſimiliter &c.

Nam reſpondeo, diverſo modo de lege nova, ac de veteri, quoad ejus durationem, loquitur Scriptura: non enim eam ſolùm vocat æternam, ſed dicit, quòd *Regni ejus non erit finis, non auferetur, non tradetur alteri.* Sacerdotium Chriſti dicitur æternum cum juramento, cujus Deus non pænitebit: non pænitere autem Dei eſt non deſtruere, quod fecit. Unde S. Auguſtinus Q. 124. *in Exod.* obſervans, quòd de Sacerdotio Aaron dicitur quidem *Exod.* 29. *v.* 9. quòd erit *in ſempiternum*; ſed non addidit Deus juramentum, cujus non pœnitebit, ſicut illud addit de Sacerdotio Chriſti ſecundùm ordinem Melchiſedech, ait: *Ibi enim* (in Sacerdotio Melchiſedech.) *Et juratio, & nulla Dei pœnitudo, quâ ſignificetur mutatio... De ordine autem Aaron dictum eſt quidem*, in ſempiternum, *vel propter tempus non præceptum, quouſque obſervaretur, vel quod res ſignificaret æternas: nuſquam eſt tamen dictum de Sacerdotio Aaron, quia* juravit Dominus, & non pœnitebit eum. *Et ideo dictum eſt in illo Sacerdotio ſecundum Ordinem Melchiſedech*, non pœnitebit eum; *ut ſignificaretur, quia de Sacerdotio Aaron pœnituit eum, ideſt, mutavit illud.*

XVII. Probatur etiam diſcurſu D. Thom. hoc *a.* 4. Ideo quis imaginari poſſet, legi Evangelicæ ſucceſſuram aliam legem in hac vita; quia dari poſſet in ſtatu viæ lex perfectior lege Evangelicâ: ſed non poteſt vir ſapiens imaginari legem pro ſtatu præſentis viæ perfectiorem lege Evangelicâ; ergo &c. Min. probatur. Tantò unumquodque perfectius eſt, quantò eſt ultimo fini propinquius: ſed non poteſt quis imaginari legem, quæ in ſtatu præſentis viæ perfectiùs cum Deo ultimo fine conjungat, quàm lex nova: hæc enim confert gratiam, quâ anima Deo conjungitur: & ſi nullâ egeat purgatione, rectâ perducit eam ad conjunctionem perfectiſſimam, ac inſeparabilem, & æternam cum Deo per beatificam viſionem; ergo &c.

Confirm. Lex nova exhibet Deo cultum adeo perfectum, ut perfectior in hac vitâ dari non poſſit: offert enim Deo in Sacrificium ipſum Dei Filium verum Deum.

XVIII. Dicit S. Thomas, non poſſe variari legem in aliam legem ipsâ perfectiorem: ita ut ſit expectandus alius ſtatus futurus in hac vita, *in quo perfectiùs gratia Spiritus Sancti habeatur, quàm hactenus habita fuerit; & maximè ab Apoſtolis, qui primitias Spiritus acceperunt, ideſt, & tempore priùs, & cæteris abundantiùs.* Cæterùm ſi ſpectemus ſtatum legis, *ſecundùm quòd homines diverſimodè ſe habent ad eandem legem, vel perfectiùs, vel minùs perfectè: & ſic* quemadmodum *ſtatus veteris legis frequenter fuit mutatus, cùm quandoque leges optimè cuſtodirentur, quandoque autem omnino prætermitterentur: ſic etiam & ſtatus novæ legis diverſificatur ſecundùm diverſa loca, & tempora, & perſonas; inquantùm gratia Spiritus Sancti perfectiùs, vel minùs perfectè ab aliquibus habetur.*

XIX.

XIX. Sed dices primò. Ut Apoſtolus dicit 1. ad Cor. 13. v. 10. *Cùm venerit, quod perfectum eſt, evacuabitur, quod ex parte eſt:* ſed lex nova ex parte eſt, teſte eodem Apoſt. ibidem v. 9. *Ex parte enim cognoſcimus, & ex parte prophetamus;* ergo lex nova evacuanda eſt, alio perfectiori ſtatu ſuccedente.

XX. Reſpondeo, diſt. conſeq. Perfectiori ſtatu ſuccedente in alia vitâ, con. conſ. In præſenti vitâ, nego conſ. *Triplex* (ait S. Thom. hoc a. 4. ad 1.) *eſt hominum ſtatus. Primus quidem veteris legis; ſecundus novæ legis: tertius ſtatus ſuccedit, non in hac vitâ, ſed in futura, ſcilicet in Patria. Sed ſicut primus ſtatus eſt figuralis, & imperfectus reſpectu ſtatus Evangelii: ita hic ſtatus eſt figuralis, & imperfectus reſpectu ſtatus Patriæ, quo veniente iſte ſtatus evacuatur; ſicut dicitur 1. Cor. 13. v. 12.* Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.

XXI. Dices ſecundò. Dominus *Jo. 16. v. 12.* promiſſit diſcipulis ſuis in adventu Spiritus Sancti Paraclyti cognitionem omnis veritatis: ſed nondum Eccleſia omnem veritatem cognoſcit in ſtatu novi Teſtamenti; ergo expectandus eſt alius ſtatus, in quo per Spiritum Sanctum omnis veritas manifeſtetur.

XXII. Hoc, ut obſervat S. Thom. hîc *ad* 2. erat fundamentum Montani, & Manichæi, qui dicebant (ut ſupra) promiſſionem Chriſti de Spiritu Sancto dando non fuiſſe completam in Apoſtolis, ſed in eis: unde Manichæi Magiſtrum ſuum Spiritum Paraclitum vocabant. Quia verò ex Actibus Apoſtolorum oppoſitum evidenter colligitur, utrique iſtum librum rejiciebant. *Sed iſtæ vanitates* (inquit S. Doct.) *excluduntur per hoc, quod dicitur Joann. 7. v.* 39. Nondum erat Spiritus datus, quia nondum Jeſus erat glorificatus. *Ex quo datur intelligi, quod ſtatim glorificato Chriſto in Reſurrectione, & Aſcenſione fuit Spiritus Sanctus datus. Et per hoc etiam excluditur quorumcumque vanitas, qui dicerent, eſſe expectandum aliud tempus Spiritus Sancti.*

Advertit tamen, quòd docuit *Spiritus Sanctus Apoſtolos omnem veritatem de his, quæ pertinent ad neceſſitatem ſalutis, ſcilicet, de credendis, & de agendis; non tamen docuit eos de omnibus futuris eventibus: hoc enim ad eos non pertinebat, ſecundùm illud Actorum* 1. *v.* 7. Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.

XXIII. At inquies pro Montaniſtis, & Manichæis. Datus fuit ſtatus proprius Patris, ſcilicet ſtatus veteris legis, quo homines generationi vacabant: Datus fuit ſtatus proprius Filii, nempe, legis novæ, quo homines vacarent ſapientiæ; ergo dari debet ſtatus proprius Spiritus Sancti, in quo ſpirituales viri principabuntur.

XXIV. Reſpondeo cum S. Thom. *ad* 3. neg. ant. Nam lex vetus fuit etiam Filii, qui in ea figurabatur. Et lex nova fuit etiam Spiritus Sancti, ſecundùm illud, Rom. 8. v. 2. *Lex Spiritus vitæ in Chriſto Jeſu.* Unde non eſt expectanda alia lex.

XXV. Dices tandem. Dominus dicit, Matth. 24. v. 14. *Prædicabitur hoc Evangelium Regni in univerſo Orbe .... & tunc veniet conſummatio:* ſed Evangelium Chriſti jamdiu prædicatum eſt in univerſo Orbe, nec tamen adhuc venit conſummatio; ergo Evangelium Chriſti non eſt Evangelium Regni, ſed futurum eſt aliud Evangelium Spiritus Sancti, quaſi alia lex.

XXVI. An temporibus Apoſtolorum Evangelii prædicatio fuerit facta in univerſo Orbe, ut ſupponit argumentum, diſputatur etiam nunc. Parti enim affirmativæ videtur ſuffragari Scriptura. Marci enim ultimo *v.* 20. dicitur: *Illi autem profecti prædicaverunt ubique.* Act. 1. v. 8. *Eritis mihi teſtes in Jeruſalem, & in omni Judæa, & Samaria, & uſque ad ultimum terræ.* Roman. 10. v. 18. Paulus, ex Pſal. 18. v. 5. dicit: *In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ*

verba

verba eorum. Et ad *Coloſs.* 1. *v.* 6. de Evangelio ſcribit, quòd *In univerſo Mundo eſt, & fructificat, & creſcit*.

XXVII. Auguſtini tamen ſententia eſt, quod ne quidem ſuo tempore, multò minùs temporibus Apoſtolorum, prædicatum fuerit Evangelium omnibus omnino gentibus. Ita *Epiſt.* olim 80. *modò* 199. ad *Heſychium c.* 12. ubi Heſychio oppoſitum ſentienti ait: *Quod enim putat venerabilitas tua, jam hoc per ipſos Apoſtolos factum, non ita eſſe certis documentis probavi. Sunt enim apud nos, hoc eſt in Africa, barbaræ innumerabiles gentes, quibus nondum eſſe prædicatum Evangelium, ex iis, qui ducuntur inde captivi, & Romanorum ſervitiis jam miſcentur, quotidie nobis addiſcere in promtu eſt*. Quod docet etiam *L. de Nat. & Gratia c.* 2. & alibi. Imò noſtris quoque temporibus multæ barbaræ gentes in dies deteguntur, apud quas nulla Evangelii, vel olim prædicati, memoria exiſtit.

XXVIII. Ad auctoritates ergo Scripturæ dici poteſt, vel eas non loqui cum diſtributione completa; ita ut per Apoſtolos ad omnes omnino univerſi Orbis gentes fuerit Evangelium prædicatum: ſed cum diſtributione incompleta; ita ut nulla fuerit Orbis præcipua pars, ad quam ſonus vocis Evangelicæ apud aliquos non pervenerit. Vel cum S. Auguſtino *citatâ Epiſt. ad Heſych. c.* 12. verba illa Apoſtolis dicta implenda fuiſſe, non per ipſos immediatè, ſed per Eccleſiam ſucceſſivis temporibus. *Non itaque* (inquit) *ſic dictum eſt Apoſtolis:* Eritis mihi teſtes in Jeruſalem, & in tota Judæa, & Samaria, & uſque in extremum terræ, *tanquam ipſi ſoli, quibus tunc loquebatur, tantùm munus fuerint impleturi. Sed ſicut eis ſolis videtur dixiſſe quod dixit:* Ecce vobiſcum ſum uſque in conſummationem ſeculi, *quod tamen cum univerſa Eccleſia promiſiſſe, quæ aliis morientibus, aliis naſcentibus, hic uſque in ſeculi conſummationem futura eſt, quis non intelligat? Sicut eis, & illud ait, quod ad eos omnino non pertinet; & tamen ſic dictum eſt tanquam ad ſolos etiam pertineret:* Cùm videritis hæc omnia, ſcitote, quia prope eſt in januis. *Ad quos enim hoc pertinet, niſi ad eos, qui in carne tunc erunt, cum omnia complebuntur? Quantò magis illud, quod ex magna parte per eos agendum fuit, quamvis & Poſteris eorum eadem actio ſervaretur?*

Quod autem dixit Apoſtolus .... In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum: *quamvis locutus ſit præteriti temporis verbis; tamen quod futurum fuerat dixit, non quod jam factum, atque completum. Sicut ipſe Propheta, quo uſus eſt teſte, non ait:* In omnem terram *exiturus, ſed* exiit (*inquit*) ſonus eorum, *quod utique nondum factum erat*. Ita S. Auguſtinus.

XXIX. S. Thomas autem hoc *a.* 4. *ad* 4. utramque opinionem complectens, ad argumentum reſpondet: quòd *cùm Chriſtus ſtatim in principio Evangelicæ prædicationis dixerit, Matth.* 3. Appropinquavit Regnum Cœlorum, *ſtultiſſimum eſt dicere, quòd Evangelium Chriſti non ſit Evangelium Regni. Sed prædicatio Evangelii Chriſti poteſt intelligi dupliciter. Uno modo quantùm ad divulgationem notitiæ Chriſti: & ſic prædicatum fuit Evangelium in univerſo Orbe etiam tempore Apoſtolorum, ut Chryſoſt. dicit Homil.* 76. *in Matth. Et ſecundùm hoc, quod additur:* Et tunc erit conſummatio, *intelligitur hoc de deſtructione Jeruſalem, de qua tunc ad litteram loquebatur. Alio modo poteſt intelligi prædicatio Evangelii in univerſo Orbe cum pleno effectu; ita ſcilicet, quòd in qualibet Gente fundetur Eccleſia: & ita ſicut dicit Auguſtinus Epiſt.* 78. *ad Heſychium* (modò 197.) *nondum eſt prædicatum Evangelium in univerſo Orbe, ſed hoc facto veniet conſumatio Mundi*.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO VI.

De Lege Humana.

POſt examen legis naturalis, & divinæ poſtremum locum tenet lex humana, utpote ab illis derivata. Hæc autem duplex eſt: Civilis, & Canonica. De utraque plura dicunt Juriſtæ, & Canoniſtæ, & Theologi Morales. Nos cum D. Tho. 1. 2. *à quæſt.* 95. ea, quæ magis neceſſaria Studioſo judicabimus, breviter exponemus.

DUBIUM I.

An in Homine ſit Poteſtas condendi Leges obligantes in Foro Conſcientiæ?

§. I.

Referuntur Errores.

I. CIrca tempora Nativitatis Chriſti quidam Judas Galilæus, de quo fit mentio in Actibus Apoſt. c. 5. v. 37. quòd *avertit populum poſt ſe;* ſpargere cæpit, non eſſe parendum Principibus, nec eorum legibus obediendum, ſed ſoli Deo. De hoc ait S. Hieronymus in c. 3. Epiſt. ad Titum: *Surrexit in diebus cenſus* (quibus ſinguli tenebantur deſcribi, ac profiteri, ut habetur Lucæ 2.) *Judas Galilæus, qui inter cætera hoc quaſi probabile proferebat ex lege: nullum debere Dominum, niſi ſolum Deum vocari; & eos qui ad Templum decimas deferrent, Cæſari tributa non reddere. Quæ hæreſis in tantum creverat, ut etiam Phariſæorum, & multam partem populi conturbaret: ita ut ad Dominum quoque noſtrum referretur hæc quæſtio: Licet Cæſari dare tributum, an non?* Ita S. Hieronymus.

II. Lutherus fideles ab omni lege abſolutos declarat, ac ſolâ fidei lege teneri pronunciat. Unde lib. de Libertate Chriſtiana. *Nullo* (inquit) *opere, nulla lege, homini Chriſtiano opus eſt; eùm per fidem ſit liber ab omni lege.* Et in *Comment. Epiſt. ad Galat. c.* 4. poſt multa concludit, nullam legem Chriſtianis ſive ab hominibus, ſive ab Angelis imponi poſſe, niſi quantum ipſi velint. A quo non longe abeſt Calvinus, ut videre eſt *l.* 4. *Inſt. c.* 10. §. 5. *&c.* & §. 8. ubi affirmat, *Deum eſſe unicum Legiſlatorem: non licere hominibus id honoris ſumere.*

III. Verùm quia politia, qua Mundus, præcipuè Chriſtianus, regitur, duplex eſt: una civilis, quam Principes, & Magiſtratus in ordine ad finem ſocietatis humanæ adminiſtrant: alia Eccleſiaſtica, quâ Eccleſiæ Prælati gregem Chriſti ad debitum Dei cultum ordinant, & regunt: de utraque quoad leges condendas malè loquuntur Waldenſes, & Anabaptiſtæ, quibus magna ex parte adhæſit Calvinus. Nam licèt *l.* 4. *Inſt. c.* 20. doceat contra Anabaptiſtas in Eccleſia debere eſſe leges Civiles: attamen *c.* 10. §. 5. negat ejuſmodi leges obligare in conſcientia. Quod etiam ſenſiſſe viſus eſt Jo. Gerſon *de Vita ſpirituali lect.* 4. Pejus autem loquitur Calvinus de Prælatis Eccleſiæ: ab iſtis enim poteſtatem adimit ferendi leges coactivas, maximè in foro conſcientiæ obligantes; ut videre eſt *l.* 4. *Inſt. c.* 10. *à* §. 1. Unde infert, Pontificem, & Epiſcopos, qui ſuis legibus onerant conſcientias ſubditorum, eſſe tyrannos, & carnifices conſcientiarum; & eorum leges eſſe impias, & libertati Chriſtianæ repugnantes. Contrarium ſentiunt, ac ſenſerunt ſemper omnes Catholici.

§. II.

Reſolutiones Catholicæ.

IV. DIco primò. Prælati Eccleſiæ poteſtatem habent condendi leges pro bono Eccleſiæ: ſicut & Reges, ac Principes poteſtatem ha-

habent condendi leges Civiles, quibus ſubditi, etſi Chriſtiani, obedire tenentur. Ideoque Fideles per legem Evangelicam non eximuntur ab obligatione parendi legibus humanis, & ab obedientia erga Superiores tàm Eccleſiaſticos, quàm ſeculares.

V. Probatur prior pars de Prælatis Eccleſiaſticis primò ex Scripturis. *Joan.* enim 21. *v.* 17. dicit Chriſtus Petro: *Paſce oves meas*. Lucæ 10. v. 16. *Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit*. Matth. 18. v. 17. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus*. Actor. 20. *v.* 28. *Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*. Rom. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*. Hebr. 13. v. 17. *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubiacete illis*: ſi enim ſubditi ſunt, obedire tenentur.

Porro Prælatos Eccleſiæ habere poteſtatem non ſolùm regendi, ſed legibus coercendi ſubditos, nedum patet ex textu allato, *Matth.* 18. ubi qui Eccleſiam non audierit, ex Chriſti mandato habendus eſt ſicut Ethnicus & Publicanus; ſed ex Apoſtolo 1. *Cor.* 4. *v.* 21. dicente: *Quid vultis in virga veniam ad vos, an in Spiritu manſuetudinis?* Et 2. Cor. 13. v. 10. *Hæc abſens ſcribo, ut non præſens duriùs agam, ſecundùm poteſtatem, quam Dominus mihi dedit*. Et hac poteſtate frequenter uſus eſt. Primò: quando excommunicavit Corinthium inceſtuoſum, 1. *Cor.* 5. Secundò: quando reprehendit Corinthios, quòd judicio contenderent apud Infideles, 1. *Cor.* 6. Tertiò: quando Hymeneum, & Alexandrum propter hæreſim tradidit Sathanæ, 1. *ad Timoth.* 1. 20. Quartò: quando Theſſalonicenſibus ſcripſit Ep. 2. c. 3. v. 14. *Si quis non obedit verbo noſtro per Epiſtolam, hunc notate, & ne commiſceamini cum illo, ut confundatur*.

VI. Si dicas, hæc ſolum probare, Prælatos poſſe ſubditos adigere ad obediendum, quando agitur de præceptis Dei, quorum obſervantia eorum curæ demandata eſt; non verò poſſe aliquid præcipere, quod à Deo præceptum non ſit.

VII. Contra eſt. Poteſtas Prælatorum latiùs ſe extendit, quàm ad ea, quæ ſunt juris divini. Primò: quia teſtimonia Scripturarum ſuperiùs allata, ad hoc non reſtringunt. Secundò: quia Apoſtoli multa præceperunt Fidelibus, quæ non ſunt juris divini. Nam *Act.* 15. *v.* 28. prohibent eſum ſanguinis, ſuffocati, & immolatorum, quæ tunc temporis nullâ lege divinâ erant prohibita. Non veteri, quæ jam erat abrogata: non novâ, quia hæc prohibitio in novo Teſtamento non legitur. Tertiò: D. Paulus 1. *ad Timoth.* 3. *v.* 2. legem ſtatuit de Bigamis non admittendis ad Epiſcopatum: & alibi, præſertim 1. *Cor.* 7. *v.* 10. diſtinguit ſua præcepta à præceptis Chriſti. Tertiò: lege perpetuâ Eccleſiæ ab Apoſtolorum tempore, ut ait Auguſtinus ad Januarium *Epiſt.* 118. modò 54. *c.* 6. Euchariſtia non niſi à jejunis ſumenda eſt. Et quamvis Chriſtus oppoſitum fecerit, attamen *non præcepit, quo deinceps ordine ſumeretur; ut Apoſtolis, per quos Eccleſias diſpoſiturus erat, ſervaret hunc locum*. Feſtum Sabbati, ut notat idem Auguſt. *Ep.* 119. *ad Januar.* modò 55 *c.* 13. à Chriſtiana Eccleſiâ in diem Dominicum mutatum eſt; cui diei alligatum quoque eſt feſtum Paſchatis: & alia multa, vel mutata, vel præcepta per totam obſervantur Eccleſiam, de quibus, ait Auguſt. citatâ Ep. 118. modò 54. ad Januar. c. 5. *Quia ita faciendum ſit diſputare, inſolentiſſima inſania eſt*. Quam poteſtatem Eccleſiam trium priorum ſeculorum in ſe agnoviſſe demonſtrant Canones, quos edidit. Cùm ergo dotes ac privilegia, quæ Chriſtus Eccleſiæ conceſſit, non ad unum tempus coarctentur, ſed ad omnia ſecula ſe extendant; ſequitur, quòd etiam Eccleſia præſens eiſdem potiatur. Si enim hæc poteſtas non adeſſet ſubditos in officio per leges continendi; Eccleſia demandatum ſibi à Chriſto miniſterium ritè exercere non poſſet.

VIII.

VIII. Secunda verò pars, nempe, Ch.iſtianos Principes habere poteſtatem condendi leges Civiles, Prob. primò. Quia Chriſtus, & Apoſtoli eam in Principibus quoque Ethnicis agnoverunt, & ſervandam præceperunt. Chriſtus interrogatus: an liceret tributum dari Cæſari; reſpondit, Lucæ 20. v. 25. *Reddite ergo, quæ ſunt Cæſaris Cæſari*. Et quod dixit, opere implevit; dum *Matth.* 17. *v.* 26. ſolvit didrachma cenſus. S. Paulus in ſuis Epiſtolis totus eſt in ſuadenda obedientiâ Regibus, ac Principibus, etſi Ethnicis. Ad Roman. 13. v. 1. *Omnis anima* (inquit) *poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: non eſt enim poteſtas niſi à Deo: quæ autem ſunt, à Deo ordinatæ ſunt*. Et v. 7. *Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal &c.* Ad Titum 3. v. 1. *Almone illos, Principibus, & Poteſtatibus ſubditos eſſe, dicto obedire &c.* Et D. Petrus Ep. 1. c. 2. à v. 13. *Subjecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum: ſive Regi, quaſi præcellenti; ſive ducibus, tanquam à Deo miſſis ad vindictam malefactorum.... Quia ſic eſt voluntas Dei, ut benè facientes obmuteſcere faciatis imprudentium hominum ignorantiam*. Eorum ſcilicet, qui initio prædicationis Evangelicæ Chriſtianos accuſabant, quòd humanum Principatum everterent, & inobedientiam humanis legibus, & Principibus interdicerent: quod teſtatur Chryſoſtomus *homil.* 23. *in Ep. ad Timoth.* his verbis: *Plurima tunc temporis circumferebatur fama, traducens Apoſtolos, veluti ſeditioſos, rerumque novatores; qui omnia ad evertendum leges communes & facerent, & dicerent*.

IX. Ad hanc calumniam repellendam, nedum Petrus, & Paulus in ſuis Epiſtolis multa de obedientia Superioribus, & Principibus debita ſcripſerunt, ſed etiam veteres Patres. S. Polycarpus apud Euſebium *l.* 4. *Hiſt. c.* 15. *ad Proconſulem*, ait: *Tibi quidem rationem reddere non me piget. Præceptum enim nobis eſt, ut magiſtratibus, & poteſtatibus à Deo conſtitutis honorem debitum exhibeamus, qui nobis ipſis nihil noceat*. Et S. Juſtinus *Apolog.* 2. pro Chriſtianis: *Vectigalia ſanè* (inquit) *& collationes eis, qui à vobis ſunt ordinati exactoribus, præ omnibus ubique inferre contendimus:* & ita à Chriſto inſtitutum accepiſſe. Tertullianus in *Apologetico c.* 3. exprobrat Gentilibus, quòd in Chriſtianis perſequerentur eos, qui pro ſalute Imperatorum expenſis manibus rogabant Deum verum. Et Imperatorias leges tanto ſtudio Eccleſiæ naſcentis Fideles obſervabant; ut Plinius ſcribens ad Trajanum de Chriſtianis, ſignificaverit, ſe nihil inveniſſe, quo culpari poſſent de non ſervatis (exceptâ Religione) Imperatoriis legibus, atque edictis.

X. Et meritò: nam Chriſtus, & lex Evangelica Principes ſeculares, & Prælatos Eccleſiaſticos ſuâ auctoritate non fraudat, & ſpoliat; imò potiùs illam commendat, ſtabilit, & confirmat, velut à Deo derivatam, juxta illud Joann. 19. v. 11. *Non haberes poteſtatem adverſùm me ullam* (ajebat Chriſtus Pilato) *niſi tibi datum eſſet deſuper*. Et Rom. 13. v. 1. *Non eſt poteſtas niſi à Deo*. Nec etiam eos privat illius poteſtatis uſu in condendis legibus ad bonum regimen Eccleſiæ, vel Reipublicæ: multa enim occurrere poſſunt ad Dei cultum, Sacramentorum adminiſtrationem, morum directionem, ac rectam, tùm Eccleſiæ, tùm Reipublicæ adminiſtrationem, pacem, & tranquillitatem, quæ divinâ novi Teſtamenti lege, aut lege naturali determinata, & expreſſa non ſunt. Homines etiam, ut docet D. Thom. hâc *q.* 95. *a.* 1. eſtò quamdam aptitudinem habeant ad virtutem, egent tamen quâdam diſciplinâ, eos proximè ordinante ad illam: multi etiam proniores ſunt ad vitia, quàm ad virtutes, protervi; oportuit ergo leges aliquas poni, quibus, vel magis ad virtutem accenderentur, vel à vitiis cohiberentur timore pœnæ. Unde *Roman.* 13. *v.* 4. dicitur: *Dei enim Miniſter eſt tibi*

tibi in bonum. Si autem malum feceris, time: non enim ſinè causâ gladium portat: Dei enim miniſter eſt, & vindex in iram ei, qui malum agit.

XI. Dico ſecundò. Leges tàm Eccleſiaſticæ, quàm Civiles obligant in conſcientia. Probo. Illæ leges obligant in conſcientia, quibus homo ſi non obediat, Deo non obedit; ſibi damnationem acquirit, & ex neceſſitate obedire tenetur propter conſcientiam: ſed tales ſunt leges humanæ tàm Eccleſiaſticæ, quàm Civiles; ergo &c. Minorem docet S. Paulus Rom. 13. v. 2. *Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.* Et v. 5. *Ideo neceſſitate ſubditi eſtote, non solùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.* Quibus Apoſtolus dum ait: *Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit: & damnationem acquirit: & non solùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam*, opponitur Calvino volenti, leges humanas non obligare in conſcientia. Dum verò dicit; *Neceſſitate ſubditi eſtote*, directè expugnat Lutherum dicentem, Fideles nulli legi humanæ eſſe ſubditos, niſi ipſi velint.

Specialiter autem leges Eccleſiaſticas obligare in conſcientia, expreſſit Chriſtus, Lucæ 10. v. 16. *Qui vos ſpernit, me ſpernit. Qui autem me ſpernit, ſpernit eum, qui miſit me.* Qui autem ſpernit Chriſtum, & Deum, certè in conſcientia reus eſt; ergo & qui ſpernit legem Eccleſiæ &c. quam qui non audierit, habendus eſt, ut Ethnicus, & Publicanus, ut dicit, *Matth.* 18. *v.* 17. Rurſus illæ leges obligant in conſcientia, quæ ligant non ſolùm coram hominibus, ſed etiam coram Deo in Cœlis: ſed hujuſmodi poteſtatem habent à Chriſto leges Eccleſiaſticæ, Matth. 18. v. 18. *Quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cœlo;* ergo &c.

XII. Hanc veritatem docet S. Tho. q. 96. a. 4. ubi ait: *Leges poſitæ humanitùs, vel ſunt juſtæ, vel injuſtæ. Si quidem juſtæ ſint, habent vim obligandi in foro conſcientiæ à lege æternâ, à qua derivantur, ſecundùm illud Prov.* 8. Per me Reges regnant, & legum Conditores juſta decernunt. *Dicuntur autem leges juſtæ: & ex fine, quando ſcilicet ordinantur ad bonum commune: & ex auctore, quando ſcilicet lex lata non excedit poteſtatem ferentis: & ex forma, quando ſcilicet ſecundùm æqualitatem proportionis imponuntur ſubditis onera in ordine ad bonum commune.* Et rationem reddens, proſequitur: *Cùm enim unus homo ſit pars multitudinis, quilibet homo hoc ipſum quod eſt, & quod habet, eſt multitudinis; ſicut & qualibet pars id, quod eſt, eſt totius: unde & natura aliquod detrimentum infert parti, ut ſalvet totum. Et ſecundùm hoc leges hujuſmodi onera proportionabiliter inferentes juſtæ ſunt, & obligant in foro conſcientia, & ſunt leges legales.*

§. III.

Reſpondetur Hæreticorum Objectis contra primam Aſſertionem.

XIII. Objiciunt primò contra primam aſſertionem. Deus non vult, aliquid addi ad ſua præcepta neque in veteri, neque in novo Teſtamento. De Veteri conſtat ex illo Deuter. 4. v. 2. *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor.* Et c. 12. v. 32. *Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino, nec addas quidquam, nec minuas.* De novo ex illo Math. 28. v. 20. *Docentes eos, ſervare omnia, quæcumque mandavi vobis.* Ubi Chriſtus non dixit Apoſtolis, ut doceant ſervare ſua præcepta, ſed Chriſti. Et ratio eſt: quia lex Evangelica, quæ à Chriſto lata eſt, per ſe ſufficit ad ſalutem; ergo fruſtra aliquid ei additur.

XIV. Reſpondeo ad id, quod de veteri Teſtamento dicitur, Deum in Deuteronomio loqui de præceptis cæremonialibus, & judicialibus à ſe datis; & prohibere Judæis, ne aliquid

quid addant, ſcilicet, ex ritu Gentilium, inter quos vixerant in Ægypto, & deinceps victuri erant in Palæſtina. Et quòd ita ſit, conſtat ex *Deuteron. c. 12. v. 30. & 31.* ubi poſtquam Deus præcepit Judæis, ne in Sacrificiis imitentur Gentes, nec cæremonias eorum requirant, dicentes: *Sicut coluerunt Gentes iſtæ Deos ſuos, ita & ego colam*, maximè offerendo filios, & filias, comburendo eas igni; ſed ea tantùm offerrent, & eo ritu, quo ipſe præſcripſerat; mox ſubjungit: *Hoc tantùm facito Domino: nec addas quidquam, nec minuas*. Ex quibus patet, quàm inepta ſit Adverſariorum illatio: Deus prohibuit Judæis, ne imitarentur Gentiles in cæremoniis, & Sacrificiis; ergo prohibuit Prælatis Eccleſiæ leges ferre, quibus id, quod Chriſtus præcepit, exactiùs obſervetur, & quibus majus Eccleſiæ bonum promoveatur. Alioquin nec Apoſtoli in Concilio Hieroſolymitano potuiſſent legem condere de abſtinentia à ſuffocato, & ſanguine; nec Paulus ſtatuere, quæ in ſuis Epiſtolis ſtatuit, ut ſupra dictum eſt.

Quod verò addunt ex Matth. 28. facit pro nobis. Primò: Chriſtus præcepit Apoſtolis, ut docerent quæcumque ipſe mandavit: ſed mandavit, ut etiam præcepta Eccleſiæ obſerventur: ait enim Matth. 18. v. 17. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus;* & Lucæ 10. v. 16. *Qui vos ſpernit, me ſpernit &c.* ergo &c. Secundò: Si Apoſtoli debebant docere Gentiles, ſervare omnia mandata Dei; cur dicunt, mandata Dei eſſe impoſſibilia? An putant, ſervari debere, quæ ſervatu impoſſibilia ſunt? Quod addunt, legem Evangelicam ſufficientem eſſe ad ſalutem, verum eſt: ſed lex Evangelica mandat, obſervari non ſolùm præceptum Dei, ſed etiam præcepta Eccleſiæ, & eorum, quos Deus auctoritate ſuâ præpoſuit hominum regimini.

XV. Objiciunt ſecundò. Chriſtus ſæpè damnat præcepta humana, ut Marci 7. v. 7. *In vanum autem me colunt docentes doctrinas, & præcepta hominum*. Et Matth. 23. v. 4. reprehendit Phariſæos, quòd *alligant onera gravia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum*, ideſt, quòd imponerent præcepta gravia.

XVI. Reſpondeo, Chriſtum citatis locis reprehendere Phariſæos multis de cauſis. Primò, quòd docerent aliqua, quæ repugnarent præceptis divinis; & in hoc ſenſu reprehendit eos, *Marci* 7. Secundò, quòd darent aliis gravia præcepta, quæ ipſi non ſervarent. Ita, *Matth. 23. v.* 4. ubi addit: *Digito autem ſuo nolunt ea movere*. Tertiò, quòd darent quædam inutilia, & vana, ut *Marci 7. v.* 3. & 4. Quartò, quòd hæc minutiora pluris facerent, quàm divina; imò quòd divina negligerent, *Matth. 23. v. 23.* & *Marci* 7. v. 8. Addit tamen, quòd Adverſarii diſſimulant, non ſolùm divina, ſed etiam humana ſervanda eſſe, licèt minutiora videantur: ſic enim ait Matth. 23. v. 23. *Hæc oportuit facere, & illa non omittere*.

XVII. Objiciunt tertiò. Chriſtus abrogavit leges Moſaicas, quia multas, & difficiles, dicens, Matth. 11. v. 29. *Jugum enim meum ſuave eſt:* ſed admiſſis legibus Pontificiis, quæ multò plures, ac difficiliores ſunt, jugum Chriſti fieret gravius jugo legis; ergo &c.

Confirmant ex S. Auguſtino, qui *Ep.* 119. modò 55. *ad Januarium c.* 19. conqueritur, tolerabiliorem fuiſſe conditionem Judæorum, quàm modò Chriſtianorum; quia Judæi etſi haberent multa præcepta, erant tamen divina: at Chriſtiani, & plura habent, quàm Judæi, & hæc non divina, ſed humana.

XVIII. Reſpondeo, data majori (quæ negari poſſet: Chriſtus enim abrogavit leges Moſaicas ob alias cauſas, ut ſupra vidimus; & præcipuè, quia erant infirmæ, & figuræ lucis venturæ) negando min. Non enim leges Pontificiæ plures, & graviores ſunt, quàm Moſaicæ: hæc enim erant plurimæ, præſertim de oblationibus, Sa-

Digitized by Google

crificiis, purificationibus, delectu ciborum, quæ obligabant omnes, ac multò ſeveriores pœnas infligebant. Leges autem Eccleſiaſticæ obligantes in conſcientia generaliter vix ſunt quatuor, aut quinque; nempe, de ſervandis Feſtis, jejuniis, confeſſione annuâ, & communione Paſchali. Quæ autem in Jure Canonico continentur, vel non ſunt leges obligantes in conſcientia, ſed piæ quædam conſtitutiones: vel non obligant omnes, ſed paucos, puta, Clericos, Monachos: vel denique non tàm novæ leges, quàm explicationes, & determinationes legis divinæ. Nam hæc obligat nos, ut aliquando jejunemus, confiteamur peccata, communicemus, dies feſtos colamus: Eccleſia autem determinat modum, & tempus, quo iſta facienda ſunt.

XIX. Ad Confirm. dico, S. Auguſtinum nobis favere. Nam loco citato expreſsè approbat, non modò præcepta Dei, ſed etiam Eccleſiæ, & Conciliorum, & conſuetudines generaliter receptas, ut ſupra oſtendimus. Solùm ergo ibi rejicit quoſdam abuſus, qui, præter communem Eccleſiæ conſuetudinem, in quibuſdam locis irrepſerant. Verba ejus ſunt: *Quod autem inſtituitur, præter conſuetudinem, ut quaſi obſervatio Sacramenti ſit, approbare non poſſum..... Sed hoc nimis doleo, quòd multa, quæ in divinis libris ſaluberrimè præcepta ſunt, minùs curantur; & tàm multis præſumtionibus ſic plena ſunt omnia, ut graviùs corripiatur, qui per octavas ſuas terram nudo pede tetigerit, quàm qui mentem vinolentiâ ſepelierit. Omnia itaque talia, quæ neque Sanctarum Scripturarum auctoritatibus continentur, nec in Conciliis Epiſcoporum ſtatuta inveniuntur, nec conſuetudine univerſæ Eccleſiæ roborata ſunt.... ſinè ullâ dubitatione reſecanda exiſtimo.* Ecce Auguſtinum, ultra Scripturarum auctoritatem, admittentem ſtatuta Conciliorum, & Eccleſiæ conſuetudinem, quæ Calvinus negat.

XX. Objiciunt quartò. Chriſtus alloquens Apoſtolos, Lucæ 22. v. 25. *Reges* (inquit) *Gentium dominantur eorum.... vos autem non ſic;* cenſet ergo Chriſtus, nullam apud Fideles vigere dominationem, ac proinde nullam legislativam poteſtatem. Ac ſimiliter 1. *ad Cor. v.* 23. dicitur: *Pretio emti eſtis, nolite fieri ſervi hominum.*

XXI. Reſpondeo, Chriſtum illis verbis ſolùm monere diſcipulos, ne aliis præeſſe, ac dominari, ſive honores, atque excellentias affectent, ſed potiùs exoptent aliis ſervire: ſi autem aliis præeſſe cogantur, non id faciant quaſi dominantes, ut Reges gentium; ſed quaſi miniſtrantes, ipſum imitantes, qui cùm eſſet eorum Dominus, ac Magiſter, in medio eorum erat, ſicut qui miniſtrat.

Paulus autem dicit: *Nolite fieri ſervi hominum*, nempe, ut exponit D. Tho. ibi Lect. 4. *Poſtponendo ſervitium Dei* (cujus pretio emti eſtis) *& vos humanis ſuperſtitionibus occupando.* Paulum autem non negare Chriſtianum poſſe alteri ſervire, conſtat ex *v.* 21. ubi ait: *Servus vocatus es? non ſit tibi curæ.* Et ad Epheſ. 6. v. 5. *Servi* (inquit) *obedite Dominis carnalibus &c.*

XXII. Objiciunt demum varios Scripturæ textus, quibus conantur oſtendere, Chriſtianos ab omni lege liberos eſſe. — Sed quomodo intelligendi ſint, expoſuimus ſupra *Dub.* 1. §. 3. quò Lectorem remitto.

§. IV.

Reſpondetur Hæreticorum Argumentis contra ſecundam Aſſertionem.

XXIII. Objiciunt primò leges humanas non obligare in conſcientia. Poteſtas politica eſt merè temporalis; ergo nihil ei cum conſcientia.

Reſpondeo, diſt. ant. Eſt merè temporalis ratione objecti, quia præcipit rem, ſeu actionem temporalem, con. ant. Ratione obligationis, nego ant. Sic enim dici poteſt ſpiritualis, quia obligat conſcientiam. Deus enim vult,

ut

ut etiam in actionibus externis, & temporalibus obediamus poteſtati politicæ: & ideo tenemur ei obedire.

XXIV. Objiciunt ſecundò. Finis legum civilium eſt pax externa; ergo non eſt pax conſcientiæ.

Confirmatur. Princeps humanus non judicat de internis, ſed tantùm de externis; ergo &c.

XXV. Reſpondeo, nego conſ. Eſtò enim finis legum civilium ſit pax externa; cùm, Deo eam volente, eam procurent, in conſcientia tenemur eam ſervare.

XXVI. Ad Confirm. nego conſeq. Quia judicium, & cognitio actus præcepti requiritur quidem ad vim coactivam, quæ poſita eſt in pœnis, quibus in prævaricatores animadvertitur: ut enim prævaricatores puniantur, neceſſe eſt, ut de prævaricatione convincantur; ſed ea cognitio ad vim directivam non requiritur: poſſunt enim humanis legibus imperari, quæ an poſtea à ſubditis fiant, vel non fiant, ignorentur. Nec inde ſequitur, quòd humanum præceptum de eis non fiat: licèt enim eorum prævaricatio, quia homini ignota, ab homine non puniatur; punitur tamen à Deo, apud quem rei directè conſtituuntur.

XXVII. Sed dices. S. Tho. hâc 1. 2. q. 91. a. 4. hæc habet: *De his poteſt homo legem facere, de quibus poteſt judicare: judicium autem hominis eſſe non poteſt de interioribus actibus, qui latent, ſed ſolùm de exterioribus, qui apparent*. Ex quo infert, præter leges humanas dari debere legem divinam; ergo &c.

XXVIII. Reſpondeo, S. Thomam loqui de lege humana ſecundùm vim coactivam: cum enim actus interni hominis lateant, non poteſt lex humana de iis judicare, ac ſententiam ferre; & ideo oportuit, ut ſuperveniret lex divina: non tamen loqui de lege humana ſecundùm vim directivam. Nam eſtò materia legis humanæ ſit actus externus; quia tamen eſt actus externus ut humanus, qui ut talis includit actum internum, ut debitè fiat: ideo præcipiendo actum externum præcipere etiam poteſt actum internum.

XXIX. Pro quo noto: actus internos multipliciter ad actus externos comparari poſſe. Primò: tanquam habentes neceſſariam connexionem cum actibus externis in eſſe moris; ſicut attentio mentalis cum recitatione divini Officii: & ideo Eccleſia præcipiens externam recitationem, præcipit etiam internam attentionem. Secundò: actus interni poſſunt ſe habere per modum diſpoſitionis ad externum debitè exercendum; ſicut interior deteſtatio peccati ad debitè confitendum: & hac ratione Eccleſia ſtatuit, confeſſionem externam ſinè tali internâ diſpoſitione factam eſſe nullam, nec per eam præcepto annuæ confeſſionis ſatiſfieri, ut declaravit Alexander VII. Tertiò: alii ſe habere poſſunt per modum finis reſpectu externorum, qui præcipiuntur: & hos humanis legibus ſubjici, nemo negaverit. Cum enim Eccleſia præcipit jejunium, ut inter Chriſtianos Principes pacem à Deo obtineat, præcipit actum externum cum illa intentione. Quartò: alii ſunt qui per actus externos manifeſtantur; ut blaſphemia, vel propoſitio hæreticalis exteriùs ſeriò prolata manifeſtat hæreſim internam: & hi actus legibus Eccleſiæ ſubjiciuntur non ſolum quoad vim directivam, ſed etiam coactivam: unde in eos pœnis canonicis animadvertit. Sic Martinus V. in Conc. Conſt. *Seſs.* 45. Inquiſitoribus præſcribit, ut ſuſpectos de hæreſi interrogent: an pro defunctis Jo. Wicleffo, Joanne Hus, & Hieronymo de Praga preces fuderint, & an eis honorem viris ſanctis exhiberi ſolitum exhibuerint. Quintò tandem: actus interni ſunt, qui cum externis nullam connexionem habent, nec ſunt diſponentes ad actus externos, nec per eos manifeſtantur, nec ſunt finis eorum: & hos etiam poſſe eſſe materiam legis humanæ, oſtenditur à Trident. in proœmio *Seſs.* 6. his

6. his verbis: *Diſtrictiùs inhibendo, ne deinceps audeat quiſquam aliter credere &c.*

XXX. Sed inſtabis ulteriùs, primò. Ex dictis Eccleſia punire non poteſt actus merè internos; ergo nec poteſt præcipere. Conſequ. probatur. Quia Legiſlator debet habere poteſtatem cogendi ſubditos ſuos metu punitionis ad parendum legi.

XXXI. Secundò. Inferior poteſtas non poteſt imponere legem de eo, cujus judicium pertinet ad ſuperiorem poteſtatem: ſed judicium de actibus internis pertinet ad poteſtatem divinam, quæ poteſtate humanâ ſuperior eſt; ergo &c.

XXXII. Reſpondeo ad primam inſtantiam, neg. conſ. Plùs enim requiritur ad puniendum, quàm ad præcipiendum: nam ad puniendum requiritur juridica probatio, quæ plerumque de occultis, etiam exteriùs factis, haberi non poteſt. Deinde Princeps poteſt ferre legem, cujus tranſgreſſio mereatur pœnam æternam; & pater poteſt facere præceptum filio, puta, ne ſe jungat rebelli, cujus tranſgreſſio mereatur mortem temporalem: & tamen nec Princeps poteſt punire pœnâ æternâ, nec pater filium morte corporali.

XXXIII. Ad ſecundam inſtantiam reſpondeo, maj. veram eſſe ſpectatâ poteſtate inferiori ſecundùm ſe; non verò ſi poteſtas ſuperior ei conjungatur. Cùm autem, ſicut dicit Apoſtolus *Rom.* 13. *v.* 1. omnis poteſtas humana à Deo ſit; & qui poteſtati humanæ reſiſtit in his, quæ ad poteſtatis ordinem pertinent, Dei ordinationi reſiſtat: inde eſt, quòd qui tranſgreditur legem humanam, fit reus etiam coram Deo. Ita diſcurrit S. Tho. hâc *q.* 196. *a.* 4. *ad* 1.

XXXIV. Objiciunt tertiò. Princeps, maximè ſecularis, non intendit ligare ſub peccato, ſed ſolùm pœnâ temporali. Aliàs idem peccatum bis puniretur: ſemel hic à Principe ſeculari, & iterùm à Deo poſt hanc vitam.

XXXV. Reſpondeo, non oportere, ut Princeps intendat obligare ſubditos ſub peccato; ſed ſatis eſt, ut obliget illos ad faciendum id, quod juſtè præcipit: hoc enim poſito, lex neceſſariò illos obligat in conſcientia. Non enim eſt in poteſtate Principis, verâ lege ſubditos obligare ad faciendum id, quod præcipit, & eos non obligare in conſcientia. Sicut non eſt in poteſtate mea, ut voto caſtitatis me obſtringam ad ſervandam caſtitatem, & me non obſtringam in conſcientia: quia ſicut hoc ſequitur ex natura voti, ita illud ſequitur ex natura legis, quatenus fertur à poteſtate acceptâ à Deo. — Neque novum, aut abſurdum eſt, ut idem peccatum bis puniatur. Nam furta, & homicidia non ſolùm puniuntur à Deo, ſed etiam à Magiſtratu.

XXXVI. Objici poteſt quartò. Magis obligat minutiſſima lex divina, quàm graviſſima humana: ſed minutiſſima divina, quâ prohibetur mendacium officioſum, ſolùm obligat conſcientiam ſub peccato veniali; ergo graviſſima humana ſub nullo obligat.

Reſpondeo, diſt. maj. Magis, id eſt firmiùs, co. maj. Lex enim divina firma eſt, humana mutari poteſt. Magis, id eſt graviùs, nego maj. Falſum enim eſt, quòd lex divina obliget ſemper cum graviori peccato, quàm humana.

DUBIUM II.

De Obligatione Legis Pœnalis.

§. I.

An Lex Pœnalis obliget in Conſcientia?

I. Lex humana vulgò triplex diſtinguitur: nempe, alia merè præceptiva, aut prohibitiva, quæ actum præcipit, aut prohibet, nullam faciens expreſſam mentionem de pœna in tranſgreſſores: cujuſmodi ſunt leges de Miſſa diebus feſtivis audienda, de ſolvendis vecti-

gali-

galibus, de grano à patria non extrahendo. Alia eſt purè pœnalis, nempe, quæ nullo expreſſo præcepto, vel prohibitione, pœnam in tranſgreſſores decernit: ſicut ſi lex dicat, qui frumentum è patria evexerit, ſolvet centum florenos. Alia eſt mixta, quæ præcipit aliquid fieri, vel omitti, ac inſuper pœnam apponit in tranſgreſſores. Et hoc vel copulativè, ut cum dicitur; nemo efferat pecuniam extra Regnum, & qui extulerit, ſolvat centum. Vel disjunctivè, ut ſi dicatur: nullus vinum è Regno evehat, vel qui evexerit, pendat centum. Certum eſt, legem humanam, ſive Canonicam, ſive Civilem purè præceptivam, vel prohibitivam obligare in conſcientiam, hoc eſt, ad culpam (ut ſuperiùs dictum eſt) ſive mortalem, ſive venialem, ut inferiùs dicetur. Nunc de lege pœnali, ſive mixtâ, ſive purâ, quæſtio eſt.

II. Dico primò. Omnis lex pœnalis mixta obligat ad culpam; eà quidem, quæ copulativè datur, abſolutè, & ſimpliciter: ea verò, quæ disjunctivè ponitur, etſi non ſimpliciter obliget ad faciendum, vel omittendum, quod lege præcipitur; ſub reatu tamen culpæ obligat, vel ad illud faciendum, vel ad pœnam ſubeundam: adeo ut ſi illud nolit facere, & pœnam ſubire, non ſit peccaturus: ſi autem neque velit facere, neque ſubire pœnam, verè coram Deo peccaturus ſit.

III. Prior pars probatur primò. Lex humana purè præceptiva, vel prohibitiva obligat ſub reatu culpæ, ut dictum eſt; ergo etiam lex pœnalis mixta, ſeu lex præceptiva, & pœnalis ſimul: ſi quidem additio pœnæ nihil detrahit ex obligatione præcepti, imò eam auget, & confirmat. Idque patet primò ex illa lege divina, Geneſ. 2. v. 17. *De ligno autem ſcientiæ boni, & mali ne comedas; in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Ubi additio pœnæ auget, & confirmat vim præcepti, non tollit. Conſtat etiam in lege Canonica de Paſchali communione *C. Omnis utriuſque ſexus;* cui additur hæc pœna in tranſgreſſorem: *Alioquin & vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens Chriſtianâ careat ſepulturâ.* Quis autem dicat, ob appoſitam pœnam, non peccare eum, qui communionem Paſchalem negligat? Patet quoque in lege Civili de armis noctu non ferendis, ſub pœna carceris. Ea enim pœna ideo apponitur, quia arma noctu ferens eſt inobediens legi: omnis autem inobedientia per ſe culpæ rationem habet. Addo: quòd pœna non excludit culpam, ſed ſupponit; imò propter culpam infligitur, ſeu ut homines à culpa, & tranſgreſſione legis metu pœnæ arceantur, ac fideliùs legem obſervent: nihil autem horum haberetur, ſi appoſitio pœnæ tolleret culpam.

IV. Poſterior pars probatur. Dum enim lex disjunctivè exprimitur, ſignificat voluntati ſubditorum relinqui, ut quam maluerint partem eligant; nimirum, ſi velint mulctam ſtatutam ſolvere, actum lege expreſſum implere non teneantur: qui enim alterutram disjunctivè partem implet, non tranſgreditur legem. Quemadmodum ad falſitatem propoſitionis diſjunctivæ requiritur falſitas utriuſque partis; & ad veritatem ſufficit veritas unius ex partibus disjuncti: ita ad tranſgreſſionem legis ſub disjunctione præcipientis, vel prohibentis requiritur tranſgreſſio totius disjuncti, nempe, quòd nec unum fiat, nec alterum; ad impletionem verò ſatis eſt alterutrum ponere.

V. Dico ſecundò. Lex merè pœnalis obligat ſub reatu culpæ, tùm ad pœnam ſubeundam, tùm ad ponendum actum lege præceptum; vel omittendum lege prohibitum, niſi conſtet, aliam eſſe mentem Legiſlatoris.

Priorem partem, quam tutiorem judico, & probabiliorem, quidquid alii aliter ſentiant, probo primò ex D. Tho.

Digitized by Google

D. Tho. hâc *q. 96. a. 4.* ubi generaliter docet, omnes leges, *ſi juſtè ſint, habent vim obligandi in foro conſcientia à lege æternâ, à qua derivantur:* & ab hac obligatione ſolùm excipit leges injuſtas, quæ non ſunt veræ leges; ergo leges pœnales purè, quæ veram habent rationem legis, obligant in foro conſcientiæ.

Secundò. Lex merè pœnalis juſta obligat ſub reatu culpæ ad ſubeundam pœnam: qui enim non ſolvit, fit legi inobediens. Obligat quoque ad ponendum, vel omittendum actum præceptum, vel prohibitum ſub eodem reatu; quia pœna juſtè non infligitur, niſi ei, qui peccaverit, ſeu propter culpam. Unde S. Auguſtinus l. 3. de Lib. arb. c. 18. *Omnis autem* (inquit) *pœna, ſi juſta eſt, peccati pœna eſt, & ſupplicium nominatur.* Unde infert, pœnam, quam homines ex Adamo geniti patiuntur, cùm juſta ſit, pro peccato aliquo penditur; & conſequenter datur peccatum originis, quod probat *l. 1. Retract. c. 9.* Rurſus inflictio pœnæ virtualiter includi Legislatoris præceptum, aut prohibitionem: ideo enim pœnam intimat, quia vult, ut actus, vel fiat, vel omittatur. Ac proinde nulla datur vera lex ita merè pœnalis, quæ non ſit ſaltem virtualiter mixta.

VI. Dixi tamen: *niſi conſtet, aliam eſſe mentem Legislatoris.* Si enim conſtet, quòd nullo modo velit obligare ad culpam; de hac non procedit noſtra reſolutio. Sed tamen dicimus, talem ejus conſtitutionem non fore veram legem, ſed meram directionem, vel conſilium. Et hoc pacto S. Thomas 2. 2. *qu.* 186. *a.* 9. *ad* 1. dicit: *In aliqua tamen Religione, ſcilicet Ordinis Fratrum Prædicatorum, tranſgreſſio talis, vel omiſſio ex ſuo genere non obligat ad culpam, neque mortalem, neque venialem, ſed ſolùm ad pœnam taxatam ſuſtinendam.* Sed hoc ideo eſt, quia Legislatores non intenderunt veras leges ferre; ſed ſolas ordinationes, & directiones moventes, & hortantes, quid ad melius bonum fieri deceat, non tamen præcipientes, ut id fiat, ut notat idem S. Doct. citatus *ad* 2.

§. II.

Solutio contrariarum Objectionum.

VII. Contra primam aſſertionem non occurrunt argumenta, præter ſuperiùs propoſita, & ſoluta. Contra ſecundam ſic objici poteſt. Primò. In dubio de mente Legislatoris, oportet, ejus mentem in mitiorem partem interpretari: quando igitur ipſe mentem ſuam non explicat, dum legem pœnalem ſtatuit, debemus interpretari, quòd non obliget ad culpam. Eo vel maximè, quia qui de duobus affirmat unum, cenſetur negare alterum: cùm ergo lex poſſit obligare ad hæc duo, nimirum, ad culpam, & ad pœnam; ſi Legislator meminit ſolius pœnæ, ſignum eſt, quòd non velit obligare ad culpam.

VIII. Reſpondeo, non eſſe dubium de mente Legislatoris, quando ipſe legem fert verbis præceptivis, aut prohibitivis, vel æquivalentibus, & pœnam tranſgreſſoribus intentat; quæ, ut dicebamus, non infligitur niſi propter culpam. Imò, ut dicebamus, non oportet, ut Legislator intendat obligare ſub culpa, ſed ſatis eſt ut intendat, veram legem ferre: hoc enim ipſo lex obligat in conſcientia.

Ad id, quod additur, dico, illud axioma, qui unum affirmat, cenſetur negare alterum, veritatem habere in iis, quæ ſunt incompoſſibilia, non autem in aliis, ſaltem univerſaliter. Cum verò obligare ad culpam, & ſimul ad pœnam non ſolùm non ſint incompoſſibilia, ſed potiùs unum implicitè contineat, & ſupponat alterum, ut dictum eſt; dicendum videtur, in voluntate præcipiendi ſub pœna contineri voluntatem obligandi ſub culpa ad faciendum id, quod præcipitur.

IX. Objici poteſt ſecundò. Conſuetudo

Digitized by Google

tudo ſic leges pœnales interpretatur; ut homines communiter exiſtiment, ſe legi pœnali ſatisfacere, ſolvendo pœnam.

X. Reſpondeo, me non negare, non paucos ita interpretari: ſed probabilius, & tutius ſentio oppoſitum, & omnem legem verè talem exiſtimo eſſe mixtam. Nec enim probare poſſum eos, qui juſta tributa per fraudem, ac ſimulationem ſolvere prætermittunt; excuſarique ſe putant à peccato, eo quòd ſubeant periculum luendæ pœnæ à lege taxatæ. Quæ enim juſtè ſunt debita, non fiunt indebita propter appoſitionem pœnæ; ſed potiùs per eam oſtenditur, quòd exactè ſolvi debeant. Ut enim dicit Apoſtolus Roman. 13. v. 7. *Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal.* Nam, ut dicebam, omnis lex pœnalis mixta dici poteſt, quia continet pœnam, & præceptum.

§. III.

An Leges Pœnales obligent ad Pœnam ſtatim ſubeundam?

XI. Senſus quæſiti eſt: An qui leges pœnales transgrediuntur, pœnam conſtitutam ſubire teneantur, antequam à Judice, vel ipſi condemnentur, vel eorum crimen declaretur. Ad cujus reſolutionem ſciendum eſt, quaſdam leges continere pœnam ferendam; quæ pœnam comminantur, vel ſignificant eam eſſe irrogandam, ut cum dicitur: *Sub pœna excommunicationis, ſub pœna privationis bonorum, vel ſuis bonis privetur, ſolvat centum florenos, excommunicetur.* Quaſdam verò continere pœnam latam, ut ſi dicatur: *Ipſo facto ſit excommunicatus, excommunicationem ipſo facto incurrat, ſuis bonis ipſo jure privetur, aut privatus ſit, vel ſinè aliâ ſententiâ, aut nullâ Judicis expectatâ ſententiâ, ſit privatus, vel privamus, noverit ſe eſſe privatum, excommunicatum, ſuis bonis excidiſſe, aut privatum eſſe.* Quòd ſi dubium ſit, verbis legum etiam benè perpenſis, an pœnam latam, vel ferendam tantùm contineant; illæ leges de pœna ferendâ intelligendæ erunt: quia juxta regulam Juris 49. *In pœnis benignior eſt interpretatio facienda.* His notatis

XII. Reſpondeo primò. Quando lex pœnalis continet pœnam ferendam, ejus tranſgreſſor non tenetur in conſcientia illam ſubire ante ſententiam Judicis. Tùm quia lex non ſe extendit ultra intentionem Legiſlatoris rationabilem, verbiſque conformem. Tùm quia in pœnis (ut dictum eſt) benignior interpretatio facienda eſt.

XIII. Reſpondeo ſecundò. Quando lex continet pœnam latam, ſed quæ requirit actionem ipſius rei, non tenetur ordinariè eam ſubire ante ſententiam Judicis (niſi fortè actio illa ſit aliqua diſciplina religioſa, puta jejunium, oratio &c.) Poſt ſententiam verò tenetur illam ſubire: ſi tamen talis actio ſit ei licita, & citra inhumanitatem poſſit eam facere. Ratio primæ partis eſt: tùm quia cùm leges ſint ex ſe mutæ, opus habent judice, qui eas exequatur, vel exequi curet. Tùm quia ab humana conſuetudine alienum eſt, quòd is, qui peccavit, ſponte, & abſque ulla condemnatione, vel declaratione pœnam, vel exilii, vel ſolutionis pecuniæ ſubeat. Ratio verò poſterioris partis eſt: quia reus parere debet juſtæ ſententiæ, & juxta eam facere. Unde ſi quis prævaricatus fuerit legem, quæ ipſo facto irrogat pœnam exilii, vel pecuniæ; eſtò non teneatur ante ſententiam judicis abire in exilium, vel pecuniam ſolvere, ſaltem ordinariè: tenetur tamen eâ ſecutâ ſpontè abire, & pecuniam ſolvere, etiam non rogatus, nec compulſus.

Cæterùm ſi actio, quæ ad pœnæ executionem requiritur, vel non ſit reo licita, vel valde crudelis, & inhumana, ipſe non tenetur eam exequi, etiam poſt latam à judice ſententiam. Tùm quia nunquam licet ei peccare. Tùm

Tùm quia ſuavitati legum, ac ipſi legi naturæ repugnat, quòd in hujuſmodi homo ſit tortor ſui ipſius. Quare ſi reus condemnetur ad ſuſpendium, vel mutilationem, non tenetur ſeipſum ſuſpendere, aut mutilare. Et hoc regulariter contingit, quando ſententia lata non ſolet executioni mandari, niſi per miniſtrum juſtitiæ: tunc enim reus non tenetur eam exequi, ſed patienter ſuſtinere, quando infertur.

XIV. Reſpondeo tertiò. Quando lex continet pœnam latam in mera privatione conſiſtentem, ſicut quando lex, ante Judicis ſententiam, ipſo facto privat tranſgreſſorem jure, vel commodo, vel actione, aut aliquo alio bono; cùm illa pœna ad ſui executionem nullam actionem requirat, nec quidquam contineat juri naturali repugnans, ſtatim incurritur, ac ſtatim ſubiri debet. Sic cenſuræ à lege ipſo facto impoſitæ ſtatim incurruntur, nullâ judicis expectatâ ſententia; & bonorum, quæ ipſo facto lege confiſcantur, dominium amittitur. Idemque judicium eſſe debet de privatione vocis activæ, & paſſivæ ipſo facto irrogatæ. Idem quoque de beneficii Eccleſiaſtici titulo, ac proprietate in Clerico, qui tale crimen admiſit, cui ipſo facto eſt annexa privatio.

XV. Attamen noto primò, quòd reus ante Judicis declarationem non tenetur ſeipſum abdicare à poſſeſſione beneficii, à cujus titulo excedit; nec reſtituere fructus ex ipſo perceptos, modò officia, & onera beneficio annexa exequatur: niſi tamen ipſa lex expreſſerit, ut de facto debeat in conſcientia beneficium deponere; vel niſi exprimat, quòd ipſo facto ante Judicis declarationem debeat beneficium dimittere. Hinc

XVI. Noto ſecundò, quòd ſi reus ante Judicis declarationem aliquos actus ſuæ juriſdictionis exerceat, etſi illicitè agat, validi tamen ſunt. Unde ſi Clericus ſit Parochus, & crimen ejus palam notorium non ſit, ut conſtet, quòd beneficii titulum amiſerit; valent ejus acta, & confeſſiones ipſi factæ, & abſolutiones ab ipſo datæ validæ, ac ratæ ſunt. Et ſi Canonicus ſit, ac ſuffragium ferat in Canonicorum collegio, valet ejus ſuffragium ob communem errorem. Tunc enim Eccleſia, ne conſcientiæ perturbentur, cenſetur auctoritatem illi conferre. Ita valde probabiliter cenſet Sylvius hìc *q. 96. a. 4. quæſito 9.* cum aliis.

DUBIUM III.

An Lex Humana obliget ſub Mortali; & an cum diſpendio Vitæ?

§. I.

Reſolutio prioris Partis.

I. Dico primò. Leges humanæ nedum Eccleſiaſticæ, ſed politicæ interdum obligant ſub peccato mortali. De lege Eccleſiaſtica conſtat ex *Deuteron. 17. v. 12.* ubi qui nolebat obedire Sacerdotis imperio, & decreto Judicis, jubetur interfici: ſed nunquam jubetur inferri pœna mortis, niſi ob peccatum grave, & mortale; ergo &c. Quòd ſi Sacerdotibus veteris legis, eorumque decretis tanta fuit auctoritas, & poteſtas data; quantò magis cenſeri debet data eſſe Sacerdotum Principibus in nova lege, cùm Sacerdotium novæ legis longè ſit excellentioris dignitatis? Sicut ergo qui nolebat obedire imperio Sacerdotis in veteri lege, privabatur, volente Deo, vitâ corporali; ita in nova lege privabitur vitâ animæ.

II. Hinc Chriſtus *Matth. 18. v. 17.* declarat, habendum eſſe ſicut Ethnicum, & Publicanum, qui Eccleſiam audire noluerit: & *Luca 10. verſ. 16.* proteſtatur, quòd qui Eccleſiæ Prælatos ſpernit, ſeipſum, & Patrem ſuum ſpernit, & *Matth. 18. v. 18.* Quæcumque per ipſos fuerint alligata in terra, fore ligata & in Cœlis pronuntiat. Propterea ſententia communis, ac certiſſima apud omnes Catholicos

licos eſt, Fideles ſub reatu culpæ mortalis præcepto Eccleſiæ teneri Sacrum diebus feſtis audire: Quadrageſimâ, aliiſque ſtatutis diebus jejunare: ſemel in anno confiteri: & in Paſchate Euchariſtiam ſumere.

III. De legibus quoque Civilibus, eas ſub reatu peccati mortalis poſſe obligare, colligitur ex Paulo, *Rom.* 13. dicente: *Qui reſiſtit poteſtati* (loquitur autem de poteſtate civili) *Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.* Et mox: *Subditi eſtote: non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.*

IV. Sed dices primò. Ille ſolus poteſt ad culpam præcipuè mortalem obligare, qui poteſt hominem privare gratiâ, quive poteſtatem habet ligandi in foro conſcientiæ: ſed nullus homo poteſt alterum gratiâ privare, ſicut nullus poteſt gratiam inducere. Legislator autem civilis non habet poteſtatem ligandi, ſicut nec ſolvendi in foro conſcientiæ; ergo &c.

V. Reſpondeo, negando abſolutè maj. Ut enim quis obliget alterum ſub culpa mortali, non requiritur ut poſſit illum privare gratiâ efficienter, & per ſe; hoc enim ſolus Deus poteſt: ſed ſat eſt, quòd ei aliquid præſcribat auctoritate ſibi à Deo collatâ; quod ſi voluntariè non ponat, Deus illum gratiâ privet, nec velit ampliùs in eo gratiam ſuam conſervare; ſicut ſi quis legem Proregis tranſgrediens, à gratia Regis excideret. — Legislatores autem civiles, eſtò non poſſint auctoritate clavium, & judiciali ſolvere, aut ligare in foro conſcientiæ; poſſunt tamen imperare actum legali, cujus obſervatione actus evadat bonus, & Deo acceptus, & cujus tranſgreſſione evadat malus, & Deo odibilis: hoc autem modo Princeps politicus obligare poteſt in conſcientia, etiam ſub mortali.

VI. Dices ſecundò. Poteſtas Legislatoris inferioris non poteſt inducere obligationem in foro poteſtatis ſuperioris — Sed ad hoc jam dictum eſt, quòd licèt non poſſit, ſi poteſtas inferior præcipiat contra ordinem poteſtatis ſuperioris; poteſt tamen, ut ſtat ſub ordine poteſtatis ſuperioris. Cùm autem humanus Legislator fert legem juſtam, eam fert, ut ſtat ſub ordine legis naturalis, aut divinæ; à qua participat vim obligandi etiam in foro divino, quod eſt forum conſcientiæ.

VII. Dices tertiò. Poteſtas Principum ſecularium eſt merè temporalis, & politica; ergo non poteſt obligare ad culpam, maximè mortalem, cui pœna æterna debetur.

VIII. Reſpondeo, diſt. ant. Temporalis ratione objecti, co. ant. Quia ſecundùm ſe tota eſt de perſonis, rebus, & actionibus temporalibus. Ratione obligationis, quam inducit, nego ant. Ut enim ſtat ſub ordine divinæ poteſtatis, à qua derivatur poteſtas politica, virtute illius poteſt obligare quoad culpam etiam mortalem, & pœnam æternam. Qui enim poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit, & damnationem acquirit, ut ex S. Paulo *Rom.* 13. dictum eſt.

IX. Dico ſecundò. Leges humanæ aliquando ſolùm obligant ſub peccato veniali. Prob. Quædam leges naturales ſolùm obligant ſub peccato veniali: ſicut quæ prohibent mendacium officioſum, levem exceſſum in materia temperantiæ, parvum iræ, vel invidiæ motum; ergo idem de legibus humanis cenſendum eſt: cum hæc non fortiùs obligent, quàm naturales, cùm ab iſtis vim obligandi accipiant.

Confirmo. Lex Divina non ſemper ita obligat ſub culpa mortali, quin admittat aliquam tranſgreſſionem levem, & venialem, puta irreverentiam aliquam levem in iis, quæ ſunt divini cultus.

*** ✠ ***

§. I I.

Regula dignoſcendi, quando Lex Humana obliget ſub Mortali, & quando non.

X. PRima regula eſt. Tranſgredi legem humanam juſtam ex contemtu, peccatum eſt mortale, etiamſi materia ſit levis.

Prob. Nam contemtus ille non in lege ſiſtit, aut Legiſlatore humano, ſed in Deum, qui ei contulit poteſtatem, refunditur; omnis enim poteſtas à Deo eſt, ut ex D. Paulo diximus: & qui Prælatum ſpernit, Deum ſpernit, ait Chriſtus *Lucæ* 10. *v.* 16. Et S. Tho. 2. 2. *q.* 185. *a.* 9. poſtquam in corp. docuit, tranſgreſſionem etiam eorum, quæ non ſunt finis, ſeu de neceſſitate præcepti, eſſe peccatum mortale, ſi fiat ex contemtu; exponens ibidem *ad* 3. quid ſit agere ex contemtu: *Tunc* (inquit) *committit aliquis, vel tranſgreditur ex contemtu, quando voluntas ejus renuit ſubjici ordinationi legis, vel regulæ; & ex hoc procedit ad faciendum contra legem vel regulam. Quando autem propter particularem aliquam cauſam, puta, concupiſcentiam, vel iram inducitur ad aliquid faciendum contra ſtatuta legis, vel regulæ, non peccat ex contemtu, etiamſi frequenter ex eadem cauſa, vel alia ſimili peccatum iteret.*

XI. S. Bernardus *lib. de Præcepto, & diſpenſ. c.* 8. aſſignans diſcrimen inter tranſgreſſionem ex neglectu, & tranſgreſſionem ex contemtu, ait: *Differunt autem, quòd neglectus quidam languor inertiæ eſt, contemtus verò ſuperbiæ tumor. Porro contemtus in omni ſpecie mandatorum pari pondere gravis, & communiter damnabilis eſt: neglectus autem in fixis gravior, tolerabilior in mobilibus mandatis.* Ne autem quis putaret, ipſum loqui de contemtu ſolùm in materia gravi; ait c. 11. *Peccata quippe ſunt, & Deus prohibet omne peccatum: & tamen venialia non criminalia reputantur, excepta cum per contemtum vertuntur in uſum, & conſuetudinem. Et tunc non peccati ſpecies, ſed peccantis intentio penſatur. Elatio quippe contemnentis, atque impœnitentis obſtinatio, in minimis quoque mandatis culpam facit non minimam; & convertit in crimen gravis rebellionis nævum ſatis levem ſimplicis tranſgreſſionis.*

XII. Secunda regula eſt. Lex Canonica, vel Civilis obligat ſub mortali, quando materia, quæ præcipitur, eſt gravis: ſub veniali verò, quando materia eſt levis. Prob. Sic ſe habet quoad debitum lex humana, ſicut divina, ſive naturalis, ſive poſitiva: ſed lex divina in materia gravi obligat ſub mortalis peccati pœnâ; in materia verò levi ſub pœnâ ſolùm veniali; ut patet in levi mendacio, in levi furto, in levi irreverentia erga parentes; ergo ſimiliter &c.

XIII. An verò lex, quæ verſatur circa materiam gravem, & de ſe obligare poteſt ſub mortali, poſſit ex intentione Legiſlatoris obligare ſolùm ſub veniali: & viceverſâ lex, quæ verſatur circa materiam levem, poſſit ex voluntate Legiſlatoris obligare ſub mortali, controvertitur inter auctores.

XIV. Reſpondeo ad primam partem dubii, probabiliorem videri ſententiam negativam. Nam cùm obligatio legis humanæ ad culpam non oriatur præcisè ex voluntate Legiſlatoris ſecundùm ſe, ſed pro ut ſtat ſub ordinatione legis divinæ, à qua derivatur, & hæc in omnibus ſuis præceptis: quæ ſunt in materia gravi, obliget ſub mortali; videtur idem dicendum de lege humana. Et ſicut non eſt in poteſtate voventis, ſe obligare ſolùm ſub veniali, ſi materia, quam vovet, ſit gravis: ita nec in poteſtate Legiſlatoris erit obligare alios ſolùm ſub veniali, ſi materia, quam præcipit, ſit gravis. Licèt enim actus agentium non operentur ultra intentionem eorum, quando intentio eſt conſentanea rebus, circa quas verſantur; ſecus tamen quando non eſt con-

Digitized by Google

conſentanea rebus, & intentioni, quam circa talem materiam habere debet: aliàs poſſet quis vovere perpetuam caſtitatem, cum intentione ſolùm ſe obligandi ſub veniali ad eam ſervandam.

XV. Reſpondeo ad ſecundam partem, non poſſe Legislatorem, ponendo aliquam legem in materia levi, obligare ſub peccato mortali. Prob. primò. Nam lex humana, ut juſta ſit, ac rationabilis, conformari debet æternæ, ac naturali, à quibus derivatur, formamque earum imitari, quantùm poteſt: ſed lex æterna, & naturalis nunquam obligant ſub mortali in materia levi; ut patet in præceptis prohibentibus officioſum, aut jocoſum mendacium, furta parva, exiguas iras, & invidias &c. ergo lex humana &c.

XVI. Probatur ſecundò. Non eſt credibile, vel Deum, vel populos tantam poteſtatem dediſſe Prælatis, vel Principibus, quâ pro ſuo arbitrio poſſent obligare ſubditos parùm, vel multùm, non habitâ ratione materiæ. Quare lex, quâ Princeps rem levem ſub mortali præciperet, eſſet injuſta, & ſcandaloſa: præberet enim occaſionem ruinæ, & onus importabile imponeret. Quemadmodum enim injuſta eſſet lex, quæ rem aliquam levem ſub pœna capitis prohiberet: ita & multò magis ea, quæ ſub reatu pœnæ, & damnationis æternæ rem levem, aut præciperet, aut vetaret.

XVII. Noto tamen, quòd res ſecundùm ſe levis, quia tamen conſiderata cum omnibus circumſtantiis, in quibus præcipitur, poteſt fieri gravis: ideo poteſt aliquando præcipi etiam ſub mortali, & ſub cenſuris. Hac ratione eſtò eſus fructus arboris ſcientiæ boni, & mali in parva quantitate, eſſet ſecundùm ſe res levis; potuit tamen Deus illum prohibere Adamo ſub pœnis adeo gravibus; quia in illis circumſtantiis, in quibus Deus abſtinentiam à tali fructu præcipiebat, erat res maxima: eam, nempe, Deus exigebat ab homine, ut primum teſtimonium ſuæ fidelitatis, obedientiæ, & ſubjectionis.

Similiter interdum ab Eccleſiæ Prælatis quædam res leves ſecundùm ſe interdicuntur, vel præcipiuntur ſub pœna excommunicationis, vel in virtute ſanctæ obedientiæ; quia tamen ſpectatis fine, & aliis circumſtantiis, relatè ſcilicet ad commune bonum Reipublicæ, Eccleſiæ, vel Religionis poſſunt evadere graves: ideo juſtè ſub tanta pœna puniuntur. Quòd ſi adhuc manerent leves etiam attentis circumſtantiis, malè, & injuſtè ſub ea pœnâ prohiberentur. Quia verò ſubditi ſæpe ignorant cauſas, ac juſtas rationes, ob quas ejuſmodi præcepta traduntur; propterea etiamſi dubitari poſſet, tenentur obedire. In dubiis enim ſtandum eſt tutiori parti, & judicandum in favorem Legislatorum; qui nonnunquam ob commune bonum, ad vitandum ſcandalum, amovendum periculum majoris mali, & ob alias cauſas ipſis notas, ſupra res, cæteroquin leves, gravia præcepta imponunt.

XVIII. Quæres: Quandonam cenſeatur eſſe materia gravis, quæ lege humanâ prohibetur?

Reſpondeo, ex multiplici capite id poſſe dignoſci. Primò: ex ipſis verbis, quibus lex exprimitur; & hoc præſertim in legibus Eccleſiaſticis, in quibus hæc comminationis formula nonnunquam reperitur: *Sub indignatione omnipotentis Dei: ſub interminatione divini judicii*. Secundò: ex gravitate pœnæ, quæ in legem peccanti infligitur. Cujuſmodi ſunt in lege Eccleſiaſticâ excommunicatio, ſuſpenſio, depoſitio, interdictum perſonale: in Civili verò pœna capitis, ſervitutis, carceris, ſeu exilii perpetui, publicationis bonorum &c. Tertiò: ex circumſtantiis, quæ occurrunt, puta, ſi premente annonâ Reſpublica præcipiat ſubditis, ut frumentum ſuum juſto pretio vendant, aut ne extra Regnum illud transferant. Quartò: ex ſine magni momenti, quem Legiſ-

lator

lator ſibi proponit: cujuſmodi ſunt commune bonum, publica Fidelium ædificatio, amotio ſcandali &c.

XIX. Tertia regula eſt. Legem humanam tranſgredi cum ſcandalo, peccatum mortale eſt, etiamſi res ſit levis, & ſcandalum ſit grave; alioquin erit tantùm peccatum veniale. Nam eſſe cauſam, vel occaſionem datam gravis ruinæ proximi, cujuſmodi eſt grave ſcandalum, ſinè dubio grave peccatum eſt: eſſe autem cauſam alicujus parvæ ruinæ, peccati ſcilicet venialis, quale eſt parvum ſcandalum, peccatum veniale eſt.

§. III.

Reſolutio poſterioris Partis.

XX. Dico. Lex humana non ſemper, imò nec ordinariè, obligat cum periculo vitæ: aliquando tamen obligare poteſt. Prior pars, cujus oppoſitum ſentit Cajetanus 1. 2. *q.* 96. *a.* 4. Probatur. Non enim eſt major vis legis humanæ ad obligandum, quàm legis naturalis, & divinæ poſitivæ: atqui lex naturalis (exceptis præceptis, quæ prohibendi vim habent) non obligant ſemper cum periculo vitæ, ſicut nec lex poſitiva divina; ergo multò minùs lex humana. Min. de lege naturali probatur. Lex de reddendo depoſito non obligat eum, cui ex redditione depoſiti imminet mors. Lex de facienda eleemoſynâ graviter indigenti, non obligat eum. qui habens unicum panem, eſſet fame moriturus, ſi alteri tribueret. Neque lex de ſecreto naturali cuſtodiendo, obligat eum, qui ex ejus cuſtodia mortem eſſet paſſurus: excipe tamen ſecretum confeſſionis, quod confeſſarius etiam cum vitæ diſpendio ſervare tenetur, quod S. Jo. Nepomicenus heroicè præſtitit.

De Lege etiam poſitivâ divinâ clarum eſt. Primò ex facto Davidis, qui 1. *Reg.* 21. neceſſitate compulſus comedit panes propoſitionis, quos non licebat ei comedere, ſed ſolis Sacerdotibus, ob legem *Levit.* 24. Quo exemplo, tanquam licito, Chriſtus *Matth.* 12. excuſat diſcipulos ſabbato ſpicas vellentes. Unde D. Thom. 3. *p. q.* 40. *a.* 4. *ad* 3. ait: *Etiam diſcipuli, qui eſurientes ſpicas ſabbato vellebant, à tranſgreſſione legis excuſantur propter neceſſitatem famis: ſicut David non fuit tranſgeſſor legis, quando propter famis neceſſitatem comedit panes, quos ei edere non licebat.* Et hàc 1. 2. *q.* 100. *a.* 8. *ad* 3. ut ſuperius diximùs, excuſat factum Machabæorum pugnantium in die ſabbati, ne ab hoſtibus interficerentur. Et quamvis divinum ſit præceptum, integrè confiteri; grave tamen periculum vitæ, aut famæ pœnitentem excuſat, ne integrè confiteatur.

XXI. His accedit, quòd communis ſententia excuſat à jejunio, à Miſſa diebus feſtis audiendâ, ab horis recitandis, à converſando cum excommunicatis, aliiſque ſimilibus eos, qui non ſinè periculo vitæ, aut alterius gravis incommodi poſſunt illa præcepta ſervare.

XXII. Poſterior verò pars probatur. Cùm enim homo ſit pars Reipublicæ, & pars debeat non ſolùm bona ſua, ſed & ſeipſam periculo exponere, ſi aliter totum conſervari nequeat; contingere poteſt, vitam unius particularis hominis neceſſariò exponendam eſſe periculo, ut aliâ viâ bonum reipublicæ conſervari nequeat; ergo in tali caſu aderit in republica poteſtas imperandi, ut etiam cum vitæ ſuæ periculo legem à ſe ſtatutam obſervet. Igitur (& eſt prima regula) quando obſervatio legis humanæ plus confert communi bono Reipublicæ, vel Religionis, quàm conſervatio vitæ propriæ; tunc lex obligat cum periculo vitæ. Seu, quando violatio legis humanæ plus nocet communi bono, quàm vitæ propriæ amiſſio; tunc ſervanda potiùs eſt lex, quàm vita conſervanda. Sed quando utilitas, quæ ex legis humanæ obſervatione expectatur, non eſt

tanti

Digitized by Google

tanti momenti, quanti eſt vita hominis; tunc non obligat cum vitæ periculo.

Secunda regula eſt. Quando violatio legis humanæ cederet in contemtum fidei, aut Religionis, aut Eccleſiaſticæ poteſtatis, lex humana obligat cum periculo vitæ: quia pluris eſt fidem, religionem, & Eccleſiaſticam poteſtatem non contemni, quàm vitam corporalem conſervari. Hinc ſi cui metus mortis incutiatur, niſi carnes die veneris, aut jejunii comedat, vel niſi Miſſam audire prætermittat, vel niſi Sacrum celebret coram excommunicato: & hoc fiat in contemtum fidei, vel Religionis, vel Eccleſiaſticæ poteſtatis; ſive ad oſtendendum, fidem noſtram, aut Eccleſiaſticas leges eſſe nullius roboris, & non curandas, ſive ut riſui coram hæreticis exponantur, tunc oportet mortem potiùs ſubire, quàm contra leges humanas agere: quamquam ſi ejuſmodi circumſtantiæ contemtus, irriſionis, & ſcandali abeſſent, ejuſmodi minis cedere liceret.

XXIII. Si dicas. In hujuſmodi caſibus non legem humanam, ſed naturalem, vel divinam obligare — Reſpondeo legem divinam, & naturalem obligare quidem in communi, & indeterminatè, ne fides contemtui, aut irriſioni exponatur: ſed quòd iſte in hac circumſtantia obligetur potiùs vitam perdere, quam carnes edere, aut Miſſam omittere, lex humana facit, quæ hujuſmodi prohibet, non naturalis, aut divina.

XXIV. Quæri ſolet: An Carthuſianus vi ſuæ Regulæ obligetur ad abſtinentiam à carnibus etiam in extremo vitæ periculo?

Reſpondeo multa de hoc ab Auctoribus dici: de quo videri poſſunt Gerſon in Tractatu ſpeciali ſuper hoc edito; Sylvius in 1. 2. *q.* 96. *a.* 4. *quæſito* 7. Dico tamen. In neceſſitate extrema, in qua nulli alii cibi ſuppeterent præter carnes, poſſet Carthuſianus, imò deberet ad ſalvandam vitam carnes edere. Si verò adſint alii cibi, quibus vitam ſuſtentare poſſit, probabile eſt teneri ad abſtinentiam à carnibus, nec poſſe eis etiam ſecretò veſci, etiamſi ægrotet, & immineat vitæ periculum.

Prior pars videtur certa. Quando enim duæ leges inter ſe pugnant, minor debet cedere majori: ſed lex naturalis de conſervanda vitâ major eſt lege poſitivâ de abſtinentia à carnibus; ergo &c. Tùm etiam in nullo caſu licet occidere ſeipſum: ſed in caſu, quo non eſſent alii cibi præter carnes, & Carthuſianus non poſſet eis veſci, ſed potiùs mori fame, licitum ei eſſet, imò teneretur ſe occidere; ergo &c. Tunc enim nullum appareret bonum virtutis, imò abſtinentia illa non eſſet religioſa, ſed ſuperſtitioſa: ſicut ſuperſtitioſum foret, ſi quis habens præceptum manendi in ſua domo; in ea manere vellet, quando, ipſâ incendio conflagrante, certò eſſet incendio periturus.

Secunda verò pars probari poteſt. Quia periculum vitæ in ægroto ex abſtinentia à carnibus, non eſt adeo certum, & evidens; ut nulla vi ſuperari poſſit aliis cibis, & de facto Carthuſiani, & alii illud ſuperant: & ex alia parte hac obſervantiâ characteriſticus illius Ordinis rigor obſervatur, qui facilè rueret, ſi ægritudinis cauſa liceret eis carnibus veſci. Nam cùm Medici faciles ſint in ſuadendo ægrotis uſum carnium; ſi hic liceret Carthuſianis, omnes ex iis ægrotantes, carnes comederent: ſicque penitus rueret illius inſtituti diſciplina. Addo: quòd Carthuſianis tali abſtinentiæ perpetuò aſſuetis, eſus carnium potiùs induceret periculum vitæ, quàm averteret. Sed de hoc ſatis

XXV. Quæres ulterius: An abſtinendum ſit ab Idolothytis, ſeu à cibis Idolo immolatis, etiam cum vitæ diſpendio?

Reſpondeo primò: In extrema neceſſitate, quando alioquin eſſet fame moriendum, licere Idolothytis veſci,

modò

modò abſit ſcandalum. Ratio eſt: quia Idolothytis veſci, non divinâ, ſed humanâ tantùm lege vetitum eſt *Actor.* 15. & hæc ab Apoſtolis prudenti quadam œconomiâ lata, jam pridem abrogata cenſenda eſt. Imò antequam eſſet abrogata per ſe non obligabat cum vitæ diſpendio: nullum enim erat commune bonum, quod ceſſante ſcandalo, aut idololatriæ ſpecie, ad eam obſervandam cum tanto periculo obligaret. Quare

Reſpondeo ſecundò. Quòd etiam circa neceſſitatem extremam veſci liceat idolothytis, modò tanquam cibi communes edantur; & nullum ſit periculum, quòd infirmi illo exemplo inducantur ad comedendum, aut in honorem Idoli, aut contra conſcientiam, exiſtimantes, carnium immolatarum eſum eſſe quamdam immolationis ſpeciem; neque is, qui eis veſcitur, exiſtimetur, falſam Idolorum Religionem, vel quid ſimile profiteri. Unde Apoſtolus 1. *Cor.* 8. *v.* 10. & *cap.* 10. *v.* 28. & 29. comedere cibos Idolis immolatos facit ſecundùm ſe rem adiaphoram; nec aliter prohibet, niſi cùm frater ſcandalum ſit paſſurus, his verbis: *Si quis autem dixerit: Hoc immolatum eſt idolis, nolite manducare, propter illud, qui Indicavit*, nempe (ut exponit D. Tho. in c. 10. ibi Lect. 6.) *hoc eſſe immolatum Idolis, ne ſcilicet credat, te manducare ſub veneratione Idoli, non quòd cibus de ſe ſit immundus.*

XXVI. Hinc idem S. Doct. 1. 2. q. 103. *a.* 4. *ad* 3. ait: *Comeſtio autem immolatorum ſimulacris poterat in Judæis aggenerare circa Gentiles ſuſpicionem reditus ad Idololatriam: & ideo iſta fuerunt prohibita pro tempore illo, in quo de novo oportebat convenire in unum Gentiles, & Judæos. Procedente autem tempore, ceſſante cauſa, ceſſavit & effectus, manifeſtatâ Evangelicæ doctrinæ veritate, in qua Dominus docet, quòd* nihil, quod per os intrat, coinquinat hominem, *ut dicitur Matth.* 15. *& quòd* nihil eſt rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur, *ut* 1. *ad Timoth.* 4. *dicitur.*

XXVII. Quòd ſi opponatur: Sanctum Auguſtinum *Epiſt.* 154. modò 47. *ad Publicolam*, de viatore, qui victus famis neceſſitate non invenit aliud, niſi cibum in Idolio poſitum, ubi nullus eſt hominum, conſultum: *utrum ei ſatius ſit fame emori, quàm illud in alimentum ſumere*, reſpondiſſe: *Aut certum eſt eſſe idolothytum, aut certum eſt non eſſe, aut ignoratur. Si ergo certum eſt eſſe, meliùs Chriſtiana virtute reſpuitur; ſin autem vel non eſſe ſcitur, vel ignoratur, ſine ullo conſcientiæ ſcrupulo in uſum neceſſitatis aſſumitur.*

XXVIII. Reſpondeo, S. Auguſtinum non dicere, malè facturum Chriſtianum, ſi ſciens eſſe idolothytum, comedat; ſed *meliùs Chriſtiana virtute reſpuit*, ideſt, fore actum heroicæ virtutis, ſi potiùs velit fame mori, quàm illud comedere. Et hoc fortè dicit Auguſtinus; quia etiamſi ſolus comederet, poſſet videri iis, quibus poſtea factum innoteſceret, eum communicaſſe cum Diis, ſeu Dæmonibus, quibus immolatus fuerat ille cibus: & ideo ad hoc præcavendum periculum, dicit, quòd, ſi reſpuat, meliùs facit. Et hanc eſſe ſuam mentem, expreſſit *l.* 32. *contra Fauſtum c.* 13. ubi quærens: *Cur non expediat immolatitio veſci Chriſtiano?* Reſpondet: *Propter conſcientiam, ne Dæmonibus communicaſſe videatur.*

Nec pariter obeſt, quòd S. Leo *Epiſt.* 79. modò 129. *c.* 5. addixerit purgationi eos, qui captivi, vel terrore, vel fame idolothyta comederant. Hoc enim fecit, non quia illicitum judicaret Chriſtianis, ea ſecundùm ſe comedere: ſed quia ea ſumendo coram Idololatris, inter quos captivi fuerant, viſi erant communicaſſe Idolis, ſeu Dæmonibus, & aliis ſcandalo fuerant.

DU-

DUBIUM IV.

Quid requiratur, ut Lex Humana obliget?

§. I.

De Legis Humanæ Promulgatione.

I. UT lex obliget requiri, quòd ſit promulgata, generaliter ſtabilivimus ſupra *Quæſt.* 1. *Dub.* 3. §. 3. quæ omnia præſenti materiæ applicanda ſunt. Hic ergò ſolùm inveſtigandum erit, qualis promulgatio requiratur, ut lex humana, ſive Civilis, ſive Eccleſiaſtica obliget. Qualis, in quam, ſpectato ſive jure naturali, ſive poſitivo.

II. Dico primò. Spectato ſolo jure naturali, lex tam Civilis, quam Eccleſiaſtica, ut ſubditos obliget, non requirit determinatum promulgationis modum: ſed ſatis eſt ea promulgatio, quæ neceſſaria, & ſufficiens eſt, ut lex morali, & humano modo devenire poſſit in notitiam ſubditorum: ſive ſit lex Imperialis, ſive Pontificia, ſive publica voce præconis, ſive per affixionem, ſive hoc fiat in Curia tantùm, ſive in pluribus locis. Et ratio eſt: quia ex natura rei, ut lex obliget, non requirit aliquam determinatam ſolemnitatem, quæ obſervari debeat; ſed ſolùm, quòd ſufficienter proponatur Comunitati modo, quo mediatè, vel immediatè, ſimul, vel ſucceſſivè in omnium notitiam deveniat.

III. Dico ſecundò. Attento jure poſitivo leges Imperatoriæ non obligant, per totum Imperium, niſi in ſingulis Provinciis Imperio ſubjectis fuerint promulgatæ; & poſt duos menſes à promulgatione earum. Ita probabiliter multi. Et colligunt ex *Novella* 66. Juſtiniani: ubi Imperator ſanxit, ſuas leges tùm demùm in Provinciis vim habere, quando in earum Metropolibus fuerint propoſitæ, ſeu promulgatæ. Eſtò autem hìc Imperator generaliter non loquatur, ſed particulariter de legibus, quæ pro teſtamentis fiunt: attamen Rubrica (quæ apud Juris conſultos vim legis habet, quando ſenſum contrarium legi non apponit, ſed potiùs legis perfectum ſenſum reddit) eam extendit ad quaſvis leges Imperiales. Cui ſuffragatur ratio, quam reddit Imperator, ita ſonans: *Cur enim culpabimus eos, qui poſitas noſtras ignoraverint Conſtitutiones?* Quæ ratio de omnibus legibus militat: nam quæcumque leges nondum propoſitæ, juſtè ignorantur. Obligare autem ſolùm poſt duos menſes exprimit eadem Conſtitutio, ſeu velis, Rubrica dicens: *Ut facta novæ Conſtitutiones, poſt inſinuationem earum, poſt duos menſes valeant.* Cui adhærens Pius IV. declarans tempus quo Concilium Tridentinum inciperet obligare, ait: *Jure communi ſancitum eſt, ut Conſtitutiones novæ non niſi poſt certum tempus vires obligandi habeant.* Quæ diximus de legibus Imperialibus, dicenda ſunt de legibus latis à Principibus Imperio ſubjectis.

IV. Dico tertiò. Leges Principum, qui Imperio non ſunt ſubjecti, ut Reges Galliæ, & Hiſpaniæ, ſtando in jure poſitivo communi, & niſi ſit aliqua particularis Regni Conſtitutio, vel conſuetudo, ut omnes obligent ſufficit, ut promulgentur in Curia, ſive Metropoli, in qua Rex reſidet: nec requirunt duos menſes poſt publicationem. Ratio eſt: quia quòd leges, ut obligent, publicari debeant in ſingulis Provinciis, & quòd requirantur duo menſes à publicatione, habetur ſolùm ex Novella Imperatoris citatâ, quæ vim obligandi habet ſolùm in terris Imperio ſubjectis. Quòd ſi etiam præfati Principes id obſervant; id non ex Imperiali lege, ſed particulari Regni conſtitutione, vel praxi eſt.

V. Dico quartò. Leges Pontificiæ etiam ſtando in jure poſitivo, vim ha-

habent, ſtatim ac in Curia, ſeu Romæ ſunt promulgatæ, niſi Pontifex aliter declaret. Ratio primi eſt: quia Novella Imperatoris, ſicut non obligat Reges Imperio non ſubjectos, ita & multò minùs Pontificem. Et licèt hactenus Pontifices voluerint, ut jus imperiale habeat locum in judiciis cauſarum civilium; circa modum tamen promulgandi ſuas leges, nihil tale ſtatuerunt. Imò Pius II. Conſtitutionem, quam edidit contra Clericos malè promotos, ann. 1461. & Sixtus V. eam, quam contra eoſdem fecit, anno 1588. & Clemens VIII. aliam, quam contra eos edidit, qui ad Preſbyteratus ordinem non promoti miſſam celebrant, vel Sacramentum Pœnitentiæ adminiſtrant, anno 1601. volunt, ubique obligare poſt publicationem Romæ factam. Ratio ſecundi eſt: quia, quoad tempus obligationis legis, maximè attendenda eſt mens Legislatoris; ergo quando iſte exprimit, ſe nolle ubique obligare, niſi lex in ſingulis Regnis, aut Provinciis fuerit promulgata, ita tenendum eſt.

VI. Hinc ſi nihil ſuâ lege Pontifex exprimat contrarium; ſtatim ac lex Pontificia Romæ promulgata eſt, abſque aliâ promulgatione ſolemni Provinciarum, & Urbium Ordinarii curare tenentur, ut in ſuis Diœceſibus obſervetur: & hac ratione mandatum Pontificium ad eos dirigi ſolet. Quòd ſi etiam non dirigeretur, tenerentur, cùm ad eorum notitiam devenerit, ejus obſervantiam procurare. Idem dico de legibus Epiſcopalibus: iſtæ enim ſtatim ac in Civitate Cathedrali ſunt promulgatæ, obligare incipiunt.

VII. Noto tamen primò: poſſe leges eſſe ſufficienter promulgatas, & actualiter obligare omnes; & tamen multos excuſari ab eorum obſervatione, eo quòd earum promulgationem invincibiliter ignorent: ignorantia autem invincibilis, ut diximus, excuſat à peccato. Poſſunt tamen leges, etiam circa invincibiliter ignorantes, habere aliquos effectus irritandi, vel ſtatuendi: ut lex de ſpuriorum, ac bigamorum irregularitate, de gradibus conſanguinitatis, & impedimentis matrimonii.

VIII. Noto ſecundò: quòd eſtò leges Pontificiæ ſtatim ac Romæ promulgatæ ſunt, obligandi vim habeant; curandum tamen eſt, ut majori promulgatione omnibus innoteſcant: maxime illæ, quæ irritant contractus, revocant conceſſiones, ac privilegia, reſervant caſus, & ſimiles. Nam ſi iſtæ haberent effectum etiam circa ignorantes; graviſſima incommoda in temporalibus, & ſpiritualibus ſequerentur: nam contractus in damnum multorum eſſent irriti, matrimonia illicita, imò & invalida conſummarentur, multæ abſolutiones eſſent invalidæ. Quare hujuſmodi leges ſpecialiori egent promulgatione. Ideoque Tridentinum *Seſſ. 24. de Reformat. Matrimonii c. 1.* conſtituit, ut decretum de matrimonio clandeſtino poſt triginta dies tantùm à prima publicatione in Parochia robur haberet.

IX. Idem dicendum exiſtimo de revocatione Privilegii: eam ſcilicet non valere, donec privilegiato & utenti non innotuerit; ac proinde eo uti poſſe, donec revocatio ei intimetur. Cùm enim odia ſint reſtringenda, nimis durum eſſet, privilegiatum ſuo privilegio privare ante notitiam revocationis illius. Quemadmodum ergo dum privilegium non innoteſcit, non prodeſt, ut Canoniſtæ cum Panormitano, & Felino docent: ita ejuſdem revocatio non nocebit, quouſque privilegiato nota non fuerit; alioquin magis extenderetur rigor juris, quàm juris favor.

§. II.

An, ut Lex Humana obliget, requiratur Conſenſus, ſive Acceptatio Populi?

X. Loquimur de lege juſtâ, & legitimè promulgatâ, ac latâ à Legislatore, qui vel à Deo, vel aliunde

de habet abſolutam poteſtatem condendi leges. Si enim Legiſlator accepit poteſtatem condendi leges cum dependentia ab Optimatum, vel populi acceptatione, ut in Anglia contingit: vel ſi populus ita ei facultatem contulerit condendi leges, ut liberam ſibi facultatem reſervaverit acceptandi, vel reprobandi leges ab ipſo propoſitas; certum & indubitatum eſt, requiri populi conſenſum, & acceptationem, ut tales leges obligandi vim habeant.

XI. Dico. Ut lex humana obliget, non requiritur conſenſus, ſeu acceptatio populi: ſed ſi juſta ſit, ac legitimè promulgata, obligat ſubditos, etiam diſſentientes, & repugnantes. Scio, Gratianum, quem ſequuntur aliqui, inter quos Beccanus, & Fraſſen, ſentire oppoſitum; hoc tamen verius, & tutius exiſtimo.

Primò. Quia Apoſtolus *Rom.* 13. dicit, quòd *Omnis anima Poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: non eſt enim Poteſtas niſi à Deo.... Itaque qui reſiſtit Poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt*. Et v. 5. *Ideo neceſſitate ſubditi eſtote &c.* Ubi Paulus generaliter dicit, omnem animam debere ſubjici Poteſtati, quia non eſt Poteſtas niſi à Deo; & qui poteſtati reſiſtit, Deo reſiſtit, ac ſibi damnationem acquirit: unde concludit, quòd *neceſſitate* ſubditi eſſe debemus: atqui ſi lex, ut obligaret, penderet à populi conſenſu, & acceptatione, Poteſtas eſſet à populo, non à Deo: qui legi reſiſteret, licitè ageret, nec ſibi damnationem acquireret, nec ſubditus eſſet neceſſitate, ſed libertate; ergo &c.

Hinc ſequeretur, quòd ſi legem juſtam juſtè poſſent ſubditi non acceptare, eſſet bellum utrimque juſtum. Nam cùm lex eſſet juſta, juſtè Princeps, vel Prælatus exigeret obedientiam à ſubditis: & ſubditi eam non acceptantes, ſed ei reſiſtentes, cùm in eorum poteſtate eſſet non obedire, juſtè pariter agerent. Hoc autem videtur abſurdum.

Præterea: ſemel poſito, quòd in manu & poteſtate populi ſit legem acceptare, vel reſpuere; jam ruit debita obedientia Superioribus, aperitur via tumultibus, ſeditionibus, rebellionibus: nec jam Poteſtas dominabitur populo, ſed populus Poteſtati. Meritò igitur ait D. Thom. 2. 2. q. 104. a. 5. *Obediens movetur ad imperium præcipientis quâdam neceſſitate juſtitiæ; ſicut res naturalis movetur ex virtute ſui motoris neceſſitate naturæ.* Ergo obligatio legis non pendet à conſenſu populi.

XII. Probatur ſecundò, ſpecialiter de legibus Eccleſiaſticis, maximè Pontificiis, non expectatâ Eccleſiæ acceptatione, & conſenſu. Nam Chriſtus Petro, cuius ſucceſſor eſt Pontifex, dixit abſolutè, Matth 16. v. 19. *Tibi dabo claves Regni Cælorum, & quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cœlis.* Ei quoque, ceu Paſtori, curam commiſſit ovium, & agnorum ſuorum, Joan. 21. v. 15. & 16. *Paſce agnos meos.* Et v. 17. *Paſce oves meas:* nec in uſu talis poteſtatis ullam appoſuit conditionem conſenſus, ſeu acceptationis Eccleſiæ. Imò nec apponere decuit, cùm rectam gubernationem Eccleſiæ impediret: ſæpè enim fruſtraretur, diſſentiente populo, ac redderetur inefficax remedium Capitis. Diſſentientibus membris relaxaretur corporis armonia: quemadmodum ſi membra corporis humani ad nutum capiti non obedirent, ſolveretur totum corpus: ac demum regimen Monarchicum, quod Chriſtus induxit in Eccleſiam, tolleretur. Sed quæſtio hæc altioris eſt indaginis, & ideo alibi, Deo annuente, tractanda.

XIII. Dices tamen primò. S. Auguſtinus *l. de Vera Religione c.* 31. à Gratiano relatus *Diſt.* 4 *Cap. In iſtis*, ait: *In iſtis temporalibus legibus, quamquam de his homines judicent, cùm eas inſtituunt; tamen cùm fuerint inſtituta, atque firmata, non licebit judici de ipſis judicare, ſed ſecundùm ipſas.* Ex quibus infert Gratianus citato loco;

Leges inſtituuntur, cum promulgantur; firmantur cùm moribus utentium approbantur. Sicut enim moribus utentium in contrarium nonnullæ leges hodie abrogatæ ſunt: ita moribus utentium ipſæ leges confirmantur.

XIV. Confirmatur. Conſuetudo in contrarium poteſt abrogare legem, ut communiter Juriſperiti docent; ergo per non acceptationem populi poteſt lex non obligare: cùm conſuetudo abrogativa legis nil aliud ſit, quàm quædam non acceptatio legis jam inſtitutæ, & nondum firmatæ.

XV. Reſpondeo, S. Auguſtinum ſolùm velle, quòd homines dum leges temporales inſtituunt, judicare debere, non an ſint firmandæ populi conſenſu; ſed an ſint conformes legi æternæ, de qua nullus judicare poteſt. Unde ſubdit: *Conditor tamen legum temporalium, ſi vir bonus eſt, & ſapiens, illam ipſam conſulit æternam, de qua nulli animæ judicare datum eſt; ut ſecundùm ejus incommutabiles regulas, quid ſit pro tempore jubendum, vetandumque diſcernat.* Malè ergo ex Auguſtino videtur inſerre Gratianus, leges firmari acceptatione populi.

Quamquam Gratiani verba nobis potiùs favent, quàm noceant. Nam ſi leges inſtituuntur cùm promulgantur; ſicut promulgantur ſinè populi acceptatione; ſic independenter ab ea inſtituuntur, & obligandi vim habent. Moribus autem utentium firmantur; non quòd ab illis vim habeant obligandi: ſed quòd cùm priùs eam habuerint independenter ab illis, roboretur hæc vis, & quaſi confirmetur per uſum. Hinc

XVI. Ad Confirm. dico, conſuetudinem non habere vim abrogandi legem, niſi ſit legitimè præſcripta: non præſcribitur autem legitimè, quando reſiſtit ille, cujus intereſt: unde ex hoc non concluditur in populo jus eſſe legi ſuâ acceptatione tribuendi vigorem.

XVII. Verum quidem eſt, quòd ſi populus, aut ſanior ejus pars Legislatori repræſentet incommoda, quæ ex legis obſervatione ſequerentur; regulariter loquendo prudenter aget, eam revocando, ut de facto multæ fuerunt à Legislatoribus abrogatæ: quia interdum in praxi bonum non eſt, quod ſpeculativè bonum fuerat judicatum. Si verò ex abrogatione legis infirmaretur ejus auctoritas apud ſubditos, nec appareret juſta cauſa; prudenter aget non abrogando, ſed legis obſervantiam toto conatu manutenendo.

XVIII. Dices ſecundò. Lege *De quibus nondum, ff. de Legibus*, dicitur: *Ipſæ leges non aliâ de cauſâ nos tenent, quàm quòd judicio populi receptæ ſunt.* Et Ariſt. *l. 2. Politic. c. 6.* in fine dicit, legem nullam vim habere, ut ſibi pareatur, niſi ex more, ideſt, ex conſuetudine, & acceptatione populi.

XIX. Reſpondeo, citatam legem *De quibus* loqui de lege latâ, non à ſupremo, & independente Legislatore, ſed dependente à conſenſu populi, qui hanc conditionem ſibi reſervavit. — Ariſtoteles autem non vult, aſſuefactionem dare legibus vim obligandi, ſed facilitare legis obſervantiam: ex multorum enim actuum frequentatione facilitas comparatur. Vel quòd ex uſu, tanquam ex ſigno, non tanquam ex cauſa, colligitur, Legislatorem velle legem obligare. E contra autem, quando Princeps videns, ac ſciens ſubditos legem ſuam non ſervare, non punit, aut non reprehendit eos, cùm poſſit; tacitè legis obligationem auferre videtur.

XX. Dices tertiò. Lex, cui tota Communitas repugnat, non expedit bono communi, imò vergit in damnum illius; & propter populi rebellionem, & tumultum, magnum ex illa incommodum oritur: ſed lex non obligat, niſi conducat ad bonum commune, nec veram rationem legis habet, niſi ab bonum commune ordinetur; ergo talis lex non obligat.

XXI. Reſpondeo, quòd lex, cui Communitas repugnat, vel reverâ præcipit aliqua, quæ bono communi adver-

verſantur; & ſic juſtè Communitas repugnat: & in tali caſu non eſt vera lex, ſed injuſta. Sed in hoc ſenſu non loquimur: non enim non obligat, quia non acceptatur; ſed quia, utpote injuſta, vim de ſe obligandi non habet. Vel lex illa præcipit aliqua ad bonum commune conducentia, & eſt juſta lex; & ſic Communitas injuſtè repugnat: & malorum, quæ inde oriuntur, ipſa cauſa eſt, non lex. Quòd ſi Princeps, qui poſſet obſervantiam ejus urgere, ſtudio pacis prudenter ejus obſervantiam non promovet; hoc eſt ex voluntate Principis, non ex reſiſtentia populi, niſi occaſionaliter.

XXII. Dices quartò. Legiſlator civilis poteſtatem legiſlativam accipit à Republica; ergo dependenter à conſenſu illius legem fert. Unde referente Alexandro ab Alexandro *L. 6. Dierum genial. c. 16.* apud Romanos leges non obligabant, antequam à populo acceptatæ fuiſſent.

XXIII. Reſpondeo, neg. conſ. Nam ſemel à populo translatâ in Principem poteſtate legiſlativâ, eique præſtitâ obedientiâ; poteſt, ut ſibi viſum fuerit pro bono communi, independenter à ſubditis, eorumque conſenſu lege illos obligare: aliàs nimis infirmaretur poteſtas, & ſubordinatio ſubditorum adeo neceſſaria ad rectam gubernationem; ſi latæ leges, ut obligarent, ceu tacitam conditionem, ſubditorum conſenſum implicarent. Quòd ſi apud Romanos olim leges non obligabant, niſi à populo acceptarentur; hoc fuit, quia cum hac conditione poteſtatem in ſuos Legiſlatores tranſtulerat, quæ tamen conditio proceſſu temporis ſublata eſt: unde Romanæ Reipublicæ Capita ſinè ullâ populi acceptatione leges ferebant.

DUBIUM V.

Quinam Legibus Humanis teneantur?

§. I.

De Principe, ſeu Legiſlatore.

I. Dico. Princeps, ſeu Legiſlatores ſuis legibus tenentur non quoad vim coactivam, ſed directivam. Utramque partem docet D. Thom hâc *q. 96. a. 5. ad 3.* Priorem partem his verbis declarat: *Princeps dicitur ipſe ſolutus à lege, quantùm ad vim coactivam legis; nullus enim propriè cogitur à ſeipſo: lex autem non habet vim coactivam, niſi ex Principis poteſtate. Sic igitur Princeps dicitur ſolutus à lege: quia nullus in ipſum poteſt judicium condemnationis ferre, ſi contra legem agat. Unde ſuper illud Pſalm.* 50. Tibi ſoli peccavi &c. *dicit Gloſſa (ord. Caſſiod.)* quòd Rex non habet hominem, qui ſua facta condemnet. Ita S. Thom. ex quibus formari poteſt hæc ratio. Vis coactiva, ſeu coercitiva eſt inductiva pœnæ propter legis inobſervantiam: ſed Princeps non poteſt cogi, vel judicialiter puniri propter legis inobſervantiam; cùm nullum habeat Superiorem, à quo cogatur, & nemo poſſit propriè à ſeipſo cogi; ergo Princeps non ſubditur legibus quoad vim coactivam.

Loquimur tamen de Principe monarchicè gubernante, quique non habeat ſuperiorem ſe. Ubi enim in Republica eſt regimen Democraticum, ideſt populare, vel Ariſtocraticum, ideſt Optimatum; certum eſt, unumquemque de populo obligari directè, & quoad vim coactivam legibus ibi factis; & ipſos Optimates legibus ſuis, quæ Senatus conſulta dicuntur, teneri: quia talis Reſpublica eſt ſuperior reſpectu cujuſcumque perſonæ ad eam pertinenti, ſive ea ſit de communi vulgo, ſive de Primatibus. Poteſtas enim legiſlativa non eſt in ſingulis illis

lis perſonis diviſim, nec in una illarum; ſed in omnibus ſimul, hoc eſt, vel in cætu Optimatum, vel in cætu populi: & ſic ſinguli habent, vel cætum Optimatum, vel cætum populi ſupra ſe. Unde non valet: omnes de populo, omnes Optimates ſunt Reſpublica; ergo quilibet eorum eſt Reſpublica: quia à ſenſu collectivo ad diviſivum non valet conſequentia. Imò etiamſi aliquis eorum titulum Regis, ſive Ducis (ut apud Venetos, & Genuenſes) obtineret. Quapropter Archidamus Lacedæmonum Rex (referente Plutarcho *lib. de Liberis educandis*) à Lacedæmonibus pecuniâ mulctatus fuit; eo quòd contra legem, conſuetudine receptam, uxorem puſilli corporis accepiſſet.

II. Secundam verò partem, quòd Princeps, ſeu Legiſlator ſupremus teneatur ſuis legibus vi directivâ; ita ut in conſcientia teneatur illas obſervare, quando tamen ſunt in materia æqualiter ad Principem, ac ad ſubditos ſpectante; probat S. Thomas citato loco ex Cap. *Cum omnes:* ubi Innocentius III. dicit: *Quòd quiſque juris in alterum ſtatuit, ipſe eodem jure uti debet*. Laudatque Sapientis, Catonis ſcilicet, dictum: *Patere legem, quam ipſe tuleris*. Et in Codice *l. 4. tit. de Legibus, & conſt.* Theodoſius, & Valentinianus Imperatores Voluſiano Præfecto ſcribunt: *Digna vox eſt majeſtate regnantis, legibus alligatum ſe Principem profiteri: adeo de auctoritate juris noſtra pendet auctoritas, & reverâ majus Imperio eſt ſubjicere legibus Principatum*. Improperatur etiam his à Domino, *qui dicunt & non faciunt;* & qui *aliis onera gravia imponunt, & ipſi nec digito volunt ea movere*, ut dicitur *Matth. 23.* Quare S. Thomas concludit: *Unde quantùm ad Dei judicium, Princeps non eſt ſolutus à lege quantùm ad vim directivam ejus; ſed debet voluntarius, non coactus, legem implere*.

III. Ratio autem eſt. Quia Legiſlatores, cùm ſint Reipublicæ Capita debent membris, quibus cohærent, ſe conformes exhibere in iis, quæ æquè ſpectant ad caput, & ad membra: hinc æquè fit, ut Epiſcopus, qui Clericis ſibi ſubditis vetat ludos, tabernas, aliave Eccleſiaſticum ſtatum indecentia, teneatur & ipſe ab iis ſe abſtinere. Eò vel maximè, quia leges feruntur ad commune bonum: ſed Legiſlatores non minùs quàm ſubditi ad commune bonum tenentur; ergo etiam ad leges à ſe latas.

IV. Si quæras: Quo jure Princeps ſuis legibus teneatur?

Reſpondeo, probabilius eſſe, teneri ex naturali æquitate, ac legis naturalis dictamine, quæ jubet, ut in pari cauſa Princeps nolit unam legem imponi ſubditis, & aliam ſibi; utque caput membris conſometur in iis, quæ ad commune bonum ſpectant. Et ſicut ſubditi ad obediendum legi humanæ obligantur immediatè per voluntatem Legiſlatoris, & per legem, quam ſtatuit; mediatè autem per legem naturalem, à qua lex humana habet vim obligandi: ita Princeps ad legem ſuam mediatè obligatur ex lege naturali; immediatè autem ex ſua voluntate, ac ſua lege, quâ volens ſubditos obligare, voluit obligare, ſeipſum. Quòd ſi legem ſuam violet in materia gravi, peccabit mortaliter: ſicut ſi Pontifex non jejunaret in Quadrageſima: ſi die feſto, Paſchatis præcipuè, vel Pentecoſtes &c. Miſſam non audiret: ſi ne quidem ſemel in anno confiteretur.

V. Sed dices. Princeps, quem voluerit poteſt ab obſervantia legis eximere, ergo multò magis ſeipſum — Reſpondeo. Ex juſta causâ ſicut poteſt cum uno, vel altero diſpenſare, ita cum ſeipſo: non diſpenſatione propriè tali, quæ eſt ſuperioris cum inferiori; ſed impropriè, nempe, eximendo ſe à ſua lege, vel eam interpretando, vel declarando. Cæterùm ſicut ſinè juſtâ causâ non poteſt diſpenſare cum aliis; ita & multò minùs ſecum poteſt: quia inobſervantia

tia Principis, in quem ſubditorum oculi converſi ſunt, magis vergeret in damnum communis boni.

VI. Dixi: Principem, ſeu Legislatorem ſuis legibus teneri, quando materia legis ejuſdem rationis eſt in Principe, ac in ſubditis. Cæterum ſi lex non habeat materiam, quæ ſit ejuſdem rationis cum ſubditis: ſicut ſi ſtatueretur lex, quòd nemo geſtaret gladium, quòd nemo indueretur purpurà, vel quid ſimile, quod Principem dedeceat; clarum eſt, Principem eâ lege non teneri. Quemadmodum ſi lex afficeret ſolùm aliquos, puta, milites. Unde Cajetanus in hunc art. 5. *Cum* (inquit) *Princeps ſubjicitur legi, intelligitur ſubjici proportionaliter; ut decet Principem, & non ſicut alios ſubditos.* Et Dominicus Soto *l.* 1. *de Juſt. q.* 6. *a.* 7. ſcribit: *Quando ſtatuimus, Principem legibus ſubdi ſuis, intelligimus de legibus, quæ ex æquo ad ipſum perinde, ac ad ſubditos ſpectant. Præcipit Rex, neminem gladio ſuccinctum incedere, aut ſericis indutum: non eſt par ratio, cur ipſe eiſdem abſtineat. Inducit autem Papa jejunium, aut Feſti ſolemnitatem; eadem eſt æquitas in ipſo, niſi juſta de cauſa ſecum, veluti cum aliis, diſpenſaverit.*

§. II.

De Clericis.

VII. Dico primò. Legibus, quas Princeps, vel Magiſtratus Civilis ferret de cauſis Eccleſiaſticis, Clerici nullatenus obligantur. Cauſæ Eccleſiaſticæ ſunt, quarum cognitio, non à legibus Civilibus pendet; ſed vel à Scripturis Sanctis, vel à Pontificum, aut Conciliorum Canonibus: cujuſmodi ſunt dogmata fidei, aut doctrina de Sacramentis, Feſtorum obſervatione &c. Nam Chriſtus poteſtatem regendi Eccleſiam commiſit Petro, & Apoſtolis, ut *Matth.* 16. & 18. & *Joann.* 20. *ac* 21. Unde ad cauſam fidei, & Eccleſiaſticas decernendas quovis ſeculo, vel Pontificis, vel Conciliorum ſententia expectata eſt ab ipſiſmet Imperatoribus. Et jure Joannes Papa Cap. *Si Imperator* Diſt. 96. *Ad Sacerdotes* (inquit) *Deus voluit, quæ Eccleſiæ diſponenda ſunt pertinere, non ad ſeculi Poteſtates; quas, ſi fideles ſunt, Eccleſiæ ſuæ Sacerdotibus voluit eſſe ſubjectas.* Quod & in veteri lege jubente Domino fuiſſe obſervatum, legimus *Deuteron. c.* 17. ac in nova pluribus Conciliis ſtabilitum, ut Milevit. *Can.* 19. & Matiſconenſi II. *Can.* 10. Meritò proinde S. Martinus (teſte Sulpitio Severo in fine *lib.* 2. *Sac. Hiſt.*) dixit: *Novum eſſe, & inauditum nefas, ut cauſam Eccleſiæ Judex ſecularis judicaret.*

VIII. Dico ſecundò. Legibus Civilibus, quæ tributa, vectigalia &c. præſcribunt, Clerici non obligantur. Etenim jam pridem fuerunt exemti; jure quidem humano Pontificum, ac Imperatorum; ſed quod in naturali, ac divino jure fundatur. Æquitati ſiquidem naturali, ac per conſequens divinæ ordinationi conſentaneum eſt omnino; ut qui Sacris Myſteriis ſpecialiter ſunt obligati, à ſecularibus oneribus ſint immunes. Hinc *Geneſ.* 47. terra Sacerdotum Idolorum in Ægypto vendi non debuit; cùm tamen omnes alii terras ſuas vendere ad redimendam famem cogerentur, ut habetur *v.* 22. Et eum cæteri quintam partem fructuum Regi pendere tenerentur; terra tamen Sacerdotalis ab hoc onere libera fuit, ut legitur ibi *v.* 26. Artaxerſes autem 1. *Eſdræ c.* 7. *v.* 24. Sacerdotes, & Levitas vetuit tributis, ac vectigalibus onerari, his verbis: *Vobis quoque notum facimus de univerſis Sacerdotibus, & Levitis, & Cantoribus, & Janitoribus, Nathinæis, & miniſtris domus Dei hujus, ut vectigal, & tributum, & annonas non habeatis poteſtatem imponendi ſuper eos.*

IX. Sacerdotibus autem novæ legis tributa imponi prohibuerunt Alexander

Digitized by Google

der III. in Concil. Later. C. *Non minus.* Tit. de Immunitate Eccleſiar. Innoc. III. in alio Conc. Later. C. *Adversùs* eodem titulo. Bonifacius VIII. C. *Quanquam.* Tit. de Cenſibus in Sexto. Quod antea prohibuerant Conſtantinus Magnus apud Euſeb. *l.* 10. *Hiſt. c.* 7. litteras Conſtantini ſuper hoc exhibentem. Et Juſtinianus l. 1. Codicis. Lege *Sancimus.* Hinc S. Thomas *lect.* 1. *in c.* 13. ad Romanos. *Ab hoc debito,* inquit, (ſolvendi ſcilicet tributa) *liberi ſunt Clerici ex privilegio Principum, quod quidem æquitatem naturalem habet.* Ex his eruitur, Concil. Trid. *Seſs.* 25. *c.* 20. de Reformat. meritò dixiſſe: *Eccleſia, & perſonarum Eccleſiaſticarum immunitatem, Dei ordinatione, & Canonicis Sanctionibus conſtitutam.* De hoc videri poſſunt dicta in Vera Eccleſia *Tom.* 1. *c.* 4. §. 4. *num.* 22.

X. Dico tertiò. Legibus Civilibus, quæ ad bonam Reipublicæ gubernationem ordinantur, nec immunitati Eccleſiaſticæ derogant, nec ſtatum Clericalem dedecent, Clerici & Sacerdotes tenentur; quoad vim tamen directivam, non coactivam. Prior pars probatur. Clerici non obſtante Clericatu ſunt cives Reipublicæ, & ejus membra; ergo æquum eſt, ut legibus politicis, & Civilibus ad bonum Reipublicæ ordinatis, & ſtatum eorum non dedecentibus obediant. Sicut enim ut ſupra §. præcedente diximus, Principes ipſi, ac Legislatores, ſuis legibus, quæ eorum dignitatem non dedecent, ex quadam naturali æquitate tenentur, ut cohæreat caput cum membris: ita ne una pars Communitatis diſcrepet ab alia, æquum erit, ut Clerici eas leges, quæ ſtatui eorum non derogant, obſervare teneantur. Hinc Nicolaus I. in Epiſt. ad Michaelem Imper. (& habetur Cap. *Cum ad verum*, Diſt. 96.) ait Chriſtum ita diviſiſſe officia Pontificiæ, & Imperialis dignitatis: *Ut & Chriſtiani Imperatores pro æterna vitâ Pontificibus indigerent; & Pontifices pro curſu temporalium tantummodo rerum Imperialibus legibus uterentur.*

Bene igitur dicit Sylveſter, Verbo *Lex*, Qu. 25. *Omnes leges diſponentes ſuper contractibus emtionis, venditionis, commodationis, & hujuſmodi, ſi non contradicant Canonibus, vel legi naturæ, ſunt ſervandæ etiam quoad Eccleſiaſticas perſonas.* Eſſet enim maximum perturbationis, & confuſionis periculum, ſi merces uno pretio taxatas, Clerici venderent alio, atque alio: & dum vina, frumenta, & alia prohibita vendi, & evehi, venderentur, atque eveherentur per Clericos.

XI. Secunda pars, quòd, nempe, Clerici legibus Civilibus, quæ eorum ſtatui non derogant, teneantur non quoad vim coactivam, ſed directivam tantùm, probatur. Nam Clerici illis legibus tenentur, non directè ex vi illius legis, ſeu ex obedientia, quam tali legi debeant; ſed partim ex vi legis naturæ, quæ requirit, ut partes unius corporis invicem ſint conformes; partim vigore ſacrorum Canonum, qui talem conformitatem poſtulant; ergo ſi Clerici leges Civiles fuerint tranſgreſſi, erunt quidem rei culpæ ſecundùm proportionem materiæ: non tamen incurrent pœnas à poteſtate Civili impoſitas, nec ab ea poterunt puniri, niſi Pontificio privilegio eſſet munita; ſed puniendi erunt à ſuo Judice Eccleſiaſtico. Quare ſecluſo privilegio Apoſtolico Princeps, ſeu Magiſtratus civilis non poſſet legem condere ſub hac forma: *Præcipimus omnibus tam Clericis, quàm Laicis:* quia per hoc ſignificaretur, quòd illa lex directè obligaret Clericos ad obedientiam illi præſtandam: cùm tamen laicis *ſuper Eccleſiis, & perſonis Eccleſiaſticis nulla ſit attributa facultas: quos obſequendi manet neceſſitas, non auctoritas imperandi*, ut habetur Cap. *Eccleſia.* Tit. de Conſt.

XII. Dico quartò. Religioſi exemti non tenentur legibus Epiſcoporum virtute earum, ſeu directè; ſed indirectè ratione æquitatis naturalis, &

con-

conformitatis cum aliis, ſi ad communem obſervantiam, & devotionem totius populi ſpectent. Prior pars eſt certa: quia tales Religioſi ſunt exemti à juriſdictione Epiſcopali, ſicut Clerici à juriſdictione civili.

Secunda quoque pars non minùs conſtat. Nam ſicut Clerici ratione æquitatis naturalis, & conformitatis cum aliis membris Reipublicæ tenentur laicorum leges, quæ eorum privilegiis non contradicunt, obſervare, ut in præcedentibus oſtendimus: ita eâdem ratione, quamvis Regulares à juriſdictione Epiſcopali ſint exemti, ex æquitate naturali tenentur Epiſcopalibus legibus, tendentibus ad communem populi devotionem, & obſervantiam, nec eorum exemtioni præjudicantibus, ſeque accomodare toti Communitati. Unde Trident. *Seſſ.* 25. *c.* 12. de Reformat. Regularium ſtatuit, quòd *cenſuræ, & interdicta nedum à Sede Apoſtolicâ emanata, ſed etiam ab Ordinariis promulgata, mandante Epiſcopo, à Regularibus in eorum Eccleſiis publicentur, atque ſerventur. Dies etiam feſti, quos in Diæceſi ſua ſervandos idem Epiſcopus præceperit, ab exemtis omnibus, etiam Regularibus, ſerventur.*

§. III.

De Peregrinis.

XIII. Dico. Si Peregrini, & Advenæ in loco, ad quem diverterunt, fixerint domicilium, tenentur legibus illius loci: quia ibi ſunt incolæ, & quaſi Cives, ac illi Magiſtratui facti ſunt ſubjecti. Si verò domicilium non fixerint; & tamen, vel per majorem anni partem, vel per aliquot menſes, aut etiam per aliquot dies ibi maneant: verius eſt, quòd ejus loci legibus obligantur. Prior pars non videtur egere probatione. Dum enim ibi elegerunt domicilium, facti ſunt partes, & membra illius Communitatis; ergo debent conformari aliis membris: aliàs, perturbatio, & confuſio maxima ſequeretur, ſi aliqui Oppidani ſub una lege viverent, & Forenſes ibi exiſtentes, ſub alia.

XIV. Secunda verò pars prob. Subditus, dum eſt extra ſuum territorium, non obligatur lege ſui territorii: hæc enim ultra fines ſui territorii non protenditur. Sicut enim agens naturale ultra ſpheram ſuæ activitatis non poteſt agere: ita activitas juriſdictionis limitatur intra proprium territorium; ergo eo ipſo incipit obligari legibus territorii, ad quem accedit: alioquin in ſua peregrinatione maneret immunis ab obligatione omnium legum.

XV. Prob. ſecundò. Princeps loci alicujus ſtatuere poteſt quidquid ad pacem, & illius bonam conſervationem neceſſarium eſt: ſed ad eam neceſſarium eſt, ut Advenæ ſe conforment moribus populi, ad quem veniunt; alioquin, ut dicebamus, orirentur ſcandala, ac diffidia; ergo cum leges ferunt, cenſendi ſunt eas ferre, ut omnes, quocumque modo in ſuo territorio exiſtentes, vim habeant obligandi.

XVI. Hinc S. Auguſtinus *lib.* 3. *Confeſs. c.* 7. vult: *Ut pactum inter ſe Civitatis, aut gentis conſuetudine, vel lege firmatum, nullâ civis, aut peregrini libidine violetur: turpis enim omnis pars eſt ſuo univerſo non congruens.* Item *Epiſt.* 86. modò 35. *ad Caſulanum*, ubi multa de variis Eccleſiarum conſuetudinibus, maximè circa jejunium, eruditè diſſervit; *c.* 14. concludit, afferens dictum Ambroſii, nempe: *Quando hìc* (ſcilicet Mediolani) *ſum, non jejuno ſabbato* (quia ibi conſuetudo tali die jejunandi non erat) *Quando Romæ ſum* (ubi jejunandi ſabbato conſuetudo vigebat) *jejuno ſabbato: & ad quamcumque Eccleſiam veneritis, inquit, ejus morem ſervate, ſi pati ſcandalum non vultis, aut facere.* Quod Ambroſii dictum probans, addit: *Mos eorum mihi ſequendus videtur, quibus eorum populorum congregatio regenda comiſſa eſt.* Hoc idem aſſerit *Ep.*

118. modò 54. *ad Januarium*, ubi repetito ejuſdem Ambroſii dicto, ſubjungit: *Ego verò de hac ſententiâ etiam atque etiam cogitans, ita ſemper habui, tanquam eam cœleſti oraculo acceperim*. Si ergo juxta Ambroſium, & Auguſtinum, probatæ locorum conſuetudines ſervandæ ſunt etiam ab illis, qui ad ea loca adventant, multò magis leges. Imò ipſæ conſuetudines pro lege habendæ ſunt, ut ipſe docet *Ep.* citatâ *ad Caſulanum c.* 1. his verbis: *In his enim rebus, de quibus nihil certi ſtatuit Scriptura divina, mos populi, vel inſtituta Majorum pro lege tenenda ſunt.*

XVII. Nec dicas. Nemo fit alteri ſubditus, niſi vel ratione originis, vel domicilii, vel delicti: ſed nullo ex his modis fit ſubditus purè tranſiens Peregrinus; ergo &c.

Reſpondeo namque, maj. eſſe veram de eo, qui fit ſubditus permanenter, ac ſimpliciter; non verò de eo, qui fit ſubditus ſolùm tranſeunter, uti fiunt Peregrini. Ad obligationem enim, & ſubjectionem tranſeuntem ſufficit brevis præſentia: ſicut ad exemtionem à legibus proprii teritorii ſufficit brevis, & tranſiens abſentia.

XVIII. Ex dictis colligitur primò: Advenam tranſeuntem per locum, in quo Feſtum celebratur, vel jejunium ſervatur; ſi ibi manſurus ſit tota die, teneri Sacrum audire, ab opere ſervili abſtinere, & à cibis vetitis in die jejunii temperare: non tamen teneri ibi commorari, ut Sacrum audiat, vel jejunium ſervet. Unde ſi mane decedens à loco, in quo jejunium obligat, & in nocte, vel etiam meridie perveniat ad locum, ubi jejunium non obligat; cænare, vel prandere poteſt, & carnibus veſci.

XIX. Colligitur ſecundò: Mediolanenſem tranſeuntem per loca, in quibus diebus quatuor ante primam Dominicam Quadrageſimæ jejunatur, debere jejunare. Et ob eandem rationem Hiſpanos tranſeuntes per Italiam, Galliam, vel Germaniam extremitates, & inteſtina animalium die ſabbati commedere non poſſe; quamvis hoc eis liceat, quando ſunt in Hiſpania, ex immemorabili conſuetudine. Ab oppoſito autem Peregrino accedenti Mediolanum licere quatuor diebus ante primam Dominicam Quadrageſimæ à jejunio vacare; & Italo ad Hiſpaniam adventanti carnes die ſabbati comedere.

XX. Colligitur tertiò: Matrimonium clandeſtinum contractum in loco, ubi Tridentinum ſervatur, irritum eſſe; etiamſi contrahatur ab Incola loci, ubi non ſervatur. E contra verò eſſe validum, ſi contrahatur in loco, ubi Tridentinum non ſervatur: etſi ab Incola loci ubi ſervatur, contrahatur. Et hoc (exiſtimant aliqui) etiamſi accederet ad illum locum eo animo, ut clandeſtinè poſſet contrahere, aut poſſet non jejunare. Et hoc, dicunt, non eſſet fraus, ſed animus utendi proprii juris: nec violatio præcepti, ſed fuga præcepti, quæ contra præceptum non eſt.

XXI. A regulis autem præfatis excipienda eſt conſuetudo Latinorum conſecrandi in azymo, & Græcorum conſecrandi in fermentato. Tàm enim Latinus ad Græcos tranſiens, quàm Græcus ad Latinos veniens non tenetur morem ſuæ Eccleſiæ relinquere; & Eccleſiæ, ad quam venit, conſuetudini ſe accommodare. Nam ex una parte cùm iſta varietas ſit ſatis nota, nullum inducit ſcandalum. Ex alia Latini non conſecrant in azymo ex ſtatuto alicujus Eccleſiæ, vel Prælati particularis; ſed ex lege Eccleſiæ, & Capitis univerſalis ejus Romani Pontificis: qui tunc cenſetur, vel diſpenſare Græcos, vel ab illa eos excipere.

DU-

DUBIUM VI.

Quinam Leges poſſint Ferre?

§. I.

Reſolutio Dubii.

I. DIco primo. Leges Civiles ferre poteſt Imperator in Imperio, Rex in Regno ſuo, & ſimiliter Princeps, qui in temporali juriſdictione Superiorem non recognoſcit; ſive appelletur Princeps, ſive Dux, ſive Marchio, ſive Comes, ſive alio nomine: & Reſpublica libera, quæ nimirum neque Imperatori, neque Regi, neque alteri Principi ſubjicitur. Cæteri autem nobiles, ſive Duces, ſive Principes, ſive Comites, qui Imperatori, vel Regi, vel Reipublicæ ſubjiciuntur, leges condere non poſſunt; niſi ex eorum, à quibus pendent, conceſſione, vel privilegio. Idem dico de Magiſtratu, vel Civitate Superiorem in temporalibus habente: niſi vel eam poteſtatem expreſsè ſibi retinuerit, quando Regi, ſeu Principi ſe ſubmiſerunt; vel ex privilegio aliquo, aut voluntate, & conceſſione Principis ſit indultum: quod conſtare poterit, vel ab antiquis privilegiis, vel ex communi iure Regni, vel ex diplomatibus ſpecialibus, vel ex uſu, & longa conſuetudine.

II. Dico ſecundò. Leges Eccleſiaſticas pro tota Eccleſiâ condere poteſt primò Romanus Pontifex, quæ univerſos Fideles obligent. Hac poteſtate uſus eſt ſeculo ſecundò Victor Papa; dum Aſiaticis lunâ decimaquartâ martii, in quamcumque diem incideret, cum Judæis feſtum Paſchatis diem celebrantibus, ſub anathematis pœnâ præſcripſit; ut ad aliarum Eccleſiarum normam die Dominico celebrarent, qui aut in lunam decimamquartam incideret, aut eam immediatè ſequeretur. Et quamvis nonnulli Prælati conqueſti ſint, quòd ob id minas excommunicationis Aſiaticis Victor intentaſſet; ultrò tamen in eo poteſtatem legem de Paſchatis obſervatione Aſiaticis præſcribendi agnoverunt. Eadem poteſtate tertio ſeculo uſus eſt Zephyrinus Papa; cùm (teſte Tertulliano *lib. de Pudicitia c.* 1.) ſtatuit, ut mœchi, & fornicarii pœnitentiâ perfuncti abſolutione donarentur. Item medio tertio ſeculo Stephanus Papa I. prohibuit, ne baptizati ab hæreticis, alio Baptiſmate (contra id, quod S. Cyprianus ſenſerat) in Eccleſiæ ſinum admitterentur. Tandem hanc poteſtatem in Romanis Pontificibus quovis ſeculo Fideles humillimè venerati ſunt. Innumeras eorum leges, ac conſtitutiones uſu totius Eccleſiæ conſecratas ſub oculis ponunt tùm Decretum Gratiani, tùm Gregorii IX. Decretales, tùm Bullaria.

III. Secundò: Leges pro univerſa Eccleſia condere poteſt Concilium Generale, cui Romanus Pontifex præſit, ſive per ſuos Legatos, quodque ab illo ſit confirmatum. Prob. Tale enim Concilium repræſentat totam Eccleſiam, nempe, Eccleſiæ corpus cum Capite viſibili; quam qui non audierit habendus eſt ſicut Æthnicus, & publicanus, *Matth.* 18. Hoc pacto Prima lex Eccleſiaſtica condita fuit. Convenerunt Apoſtoli (*Act.* 15.) in Concilio Hieroſolymitano, Petrus præfuit, prior locutus eſt, ſententiam propoſuit, ac Petri ſententia totius Concilii ſententia fuit. *Tacuit omnis multitudo* (inquit S. Hieron. *Ep.* 89. modò 74. ad Auguſt) *& in ſententiam ejus* (Petri) *Jacobus Apoſtolus, & omnes ſimul Preſbyteri tranſierunt.* Sed de hoc egi in vera Eccleſiâ *Tom.* 2. *p.* 1. *art.* 1. §. 1. Cum igitur eadem vis ſit in aliis Conciliis, quæ fuit in primo; eadem enim eſt Eccleſia, cui Chriſtus uſque ad conſummationem ſæculi omnibus diebus ſe adfuturum promiſit; ideo in Conciliis ritè congregatis vis condendi leges perſeveravit. Hinc in Nicæno primo, Conſtantinopolitano primo, Epheſino, & aliis leges ſalu-

bres pro tota Eccleſiâ editæ ſunt ; quas exhibent collectiones Conciliorum Generalium. Concilia autem generalia, ut vim habeant, debere à Rom. Pontifice, vel per ſe, vel per ſuos Legatos, ſi hac poteſtate eos munierit, confirmari, ut vim obligandi habeant, oſtendi in 2. *Claſſe Colloquiorum Theologic. Colloq.* 3.

Concilium porro, quod, vivente legitimo Romano Pontifice, ſinè ipſius auctoritate congregaretur; cùm non eſſet Concilium, ſed Conciliabulum omni auctoritate deſtitutum, nullas poſſet leges ferre. Idem dico de Concilio auctoritate ipſius congregato, ſed poſtea diſſoluto, vel aliò convocato: leges enim, quas poſt diſſolutionem ferret, nullius eſſent roboris, ut in Baſileenſi contigit. At quod congregaretur, vel quando Sedes vacat, poſſet quidem ea præcipere, quæ neceſſaria eſſent, tùm ad eligendum tunc legitimum Pontificem; tum ad Eccleſiam pacificandam, & defendendam, ut Conſtantienſe præſtitit: leges tamen veras pro univerſa Eccleſiâ, quæ tunc, & poſtea obligarent, ferre non poſſet; niſi à Pontifice electo confirmarentur.

IV. De Epiſcopis, quos Spiritus S. poſuit regere Eccleſiam Chriſti (*Act. 20. v. 28.*) certum eſt, poſſe ferre leges pro ſua Diæceſi. De Epiſcopali poteſtate mirè loquitur S. Cyprianus, tùm *Ep. 55. ad Cornelium:* tùm *Ep. 65. ad Rogatianum*: tùm *Ep. 69. ad Florentium*. Hoc indicant quoque plures leges, quas ſanctiſſimi Præſules pro ſuis Diæceſibus condidere.

Idem judicium eſt de Prælatis exemtis, ordinariam juriſdictionem habentibus, pro loco ubi eam habent; niſi fortè eis ſit prohibitum: vel ex uſu, & conſuetudine requiratur conſenſus multitudinis.

V. Concilia quoque Nationalia poſſunt leges ferre pro ſua Natione, Provincialia pro ſua Provincia, ſicut & Diæceſana pro Diæceſi; de quo non eſt dubitandum.

§. II.

An Poteſtas Legiſlativa Eccleſiaſtica, vel Civilis pendeat à Fide & bonis Moribus?

VI. Donatiſtæ, contra quos multa ſcripſit S. Auguſtinus, priùs ſchiſmatici, poſtea hæretici, exiſtimabant, morum ſanctitatem adeo neceſſariam eſſe in Epiſcopo; ut Epiſcopus malus non eſſet verus Epiſcopus, nec verâ, ac legitimâ poteſtate fruens. Et quia tales omnes, qui eorum ſchiſmati non adhærebant, exiſtimabant, ad hanc inſaniam proceſſerunt; ut dicerent, Eccleſiam in toto Orbe periiſſe, & ſolùm in eorum parte, nempe, in Africa perſeveraſſe: quapropter Catholicos ad ipſos venientes rebaptizabant.

VII. Hunc errorem excitavit & auxit ſeculo 14. Joannes Wicleffus, cujus in Conc. Conſtantienſi *Seſſ.* 8. hic articulus damnatus fuit: *Nullus eſt Dominus Civilis, nullus eſt Prælatus, nullus eſt Epiſcopus, dum eſt in peccato mortali.* Quem ſecutus fuit Joannes Hus, damnatus in eodem Concilio *Seſſ.* 15. dicens: *Nullus gerit vicem Chriſti, vel Petri, niſi ſequatur eum in moribus.* Et rurſus: *Papa non eſt manifeſtus, & verus ſucceſſor Apoſtolorum Principis Petri, ſi vivit moribus contrariis Petro.* Horum veſtigia preſſit Lutherus, ac premunt Proteſtantes, hoc titulo ſuam ab Eccleſia Romana Catholicâ deſertionem tegentes: quòd iſta fuerit in moribus, ac fide deformata; ac proinde Romanum Pontificem non eſſe Chriſti Vicarium, ſeu loco Chriſti in terris, ſed Antichriſtum. Contra omnes hoſce

VIII. Dico. Poteſtas legiſlativa ſive Civilis, ſive Eccleſiaſtica non dependet à vera fide, aut bonis moribus: ac proinde Principes infideles, & pravi, & Prælati non conjungentes morum ſanctitatem cum ſanctitate miniſterii, ex hoc præciſè non deſinunt

ſinunt

Digitized by Google

ſinunt eſſe veri Prælati. Veritas hæc probata manet ex dictis ſupra, *Dub.* 1. §. 2. ubi ex Paulo, & aliis Scripturæ Sacræ locis oſtendimus, Principibus, etſi infidelibus, obediendum eſſe, quæ huc revocanda ſunt. Hinc Paulus *Rom.* 13. *v.* 4. 5. Principes, tametſi infideles, vocat Dei miniſtros; & vult, eis parendum eſſe, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. Et S. Petrus *Ep.* 1. *c.* 2. *a. v.* 13. hoc idem inculcat, dicens: *Subjecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſive Regi, quaſi præcellenti, ſive Ducibus tanquam ab eo miſſis &c.* cum tamen temporibus illis Reges omnes, ac Duces eſſent infideles. Rurſus *v.* 18. ſervos vult eſſe ſubditos dominis, *non tantùm bonis, & modeſtis, ſed etiam diſcolis.* Et Chriſtus ipſe, *Matth.* 23. *v.* 3. jubet obediendum eſſe Scribis, & Phariſæis ſecundum legem præcipientibus, quamvis malis eſſent moribus.

Rurſus: Joſeph, ac Daniel Regum infidelium fuerunt procuratores, ac miniſtri: quod certè viri illi Sancti horruiſſent, ſi non eſſent legitimi Principes. Imò Daniel *c.* 2. *v.* 37. Nabucodonoſori, quamvis impio, & infideli, dixit: *Tu Rex Regum es; & Deus Cœli Regnum, & fortitudinem, & Imperium, & gloriam dedit tibi.*

Quòd ſi Principes infideles retinent jus dominii; multò magis illud retinebunt Principes, cæteroquin fideles, etſi in peccata labantur. Quis enim negabit, Davidem, quando peccavit, & Salomonem in tot ſcelera uſque ad idololatriam lapſum, veros manſiſſe Reges; atque adeo poteſtatem Regiam retinuiſſe; ne dicam de aliis Regibus Iſrael, qui non obſtante vitâ peſſimâ veri Reges eſſe non deſierunt.

Quin imò etſi Princeps aliquis Catholicus, & Eccleſiæ ſubditus labatur in hæreſim, non ſtatim, ſtando in jure divino, priuſquam fuerit monitus, ſuâ poteſtate privabitur; nec proinde vitandus erit ante monitionem, juxta illud Apoſtoli ad Titum 3. v. 10. *Hæreticum hominem poſt unam, & ſecundam correptionem devita.* Sed de hoc alibi

IX. *Aliquando* (inquit S. Auguſt. in Pſ. 124.) *injuſti perveniunt ad honores ſeculi, cùm pervenerint, & facti fuerint vel judices, vel Reges. Quia hoc facit Deus propter diſciplinam plebis ſuæ, propter diſciplinam populi ſui; non poteſt fieri, niſi ut exhibeatur illis honor debitus poteſtati.* In quo autem exhibendus ſit honor poteſtati, oſtendit, poſt multa, dicens: *Julianus extitit infidelis Imperator, extitit apoſtata, iniquus, idololatra: milites Chriſtiani ſervierunt Imperatori infideli; ubi veniebatur ad cauſam Chriſti, non agnoſcebant, niſi illum, qui in Cœlo erat. Si quando volebat, ut Idola colerent, ut thurificarent, proponebant illi Deum. Quando autem dicebat, producite aciem, ite contra illam gengentem, ſtatim obtemperabant: diſtinguebant Dominum æternum à Domino temporali; & tamen ſubditi erant propter Dominum æternum etiam Domino temporali.* Et Serm. 31. in Pſalm. 118. ad illa verba: *Principes perſecuti ſunt me gratis*, oſtendit, Reges terræ injuſtè perſecutos fuiſſe Chriſtianos, qui in nullo obedientiam erga illos violaverant, ſecundùm quod Chriſtus eis præceperat. Unde l. 5. de Civit. Dei c. 17. *Quid intereſt* (inquit) *ſub cujus imperio vivat homo moriturus, ſi illi qui imperant, ad impia & iniqua non cogunt?*

X. Sed inquies. Si Reges, ac Principes quamvis barbari, & infideles ſunt veri domini, ac verâ poteſtate fruuntur, quo jure Hiſpani Indorum Reges exauctorarunt, ac ſuis Imperiis ſpoliarunt?

XI. Arduum ſanè quæſitum, cui varii variè reſpondere connati ſunt. Noſter Franciſcus à Victoria *Relectione quintâ de Indis*, octo titulos ponit, quibus Hiſpani jure ac legitimè terras Indorum invadere, & occupare potuerunt, quos Studioſus perpendere

pote-

Digitized by Google

poterit. Ex illis unum tantùm proponam: nempe, quòd cùm Chriſtiani jus habeant, & mandatum à Chriſto prædicandi ubique terrarum Evangelium; & huic prædicationi Reges illi annis reſiſterent, vel impediendo abſolutè prædicationem, vel impediendo converſionem, puta, occidentes, vel punientes converſos ad Chriſtum: potuerunt Hiſpani (maximè accedente auctoritate Romani Pontificis, ad quem ſpecialiter pertinet curare promotionem Evangelii in totum Orbem, & media ad hunc finem diſponere) ſi aliâ viâ eam impedientes flecti non poterant, eos dominio privatos declarare, eorumque terras Chriſtianis occupantibus permittere.

XII. Hinc S. Thomas 2. 2. *q.* 10. *a.* 10. poſtquam dixit, quòd *dominium, vel prælatio introducta ſunt jure humano: diſtinctio autem Fidelium, & Infidelium eſt ex jure divino. Jus autem divinum, quod eſt ex gratia, non tollit jus humanum, quod eſt ex naturali ratione. Et ideo diſtinctio Fidelium, & Infidelium, ſecundùm ſe conſiderata, non tollit dominium, & prælationem Infidelium ſupra Fideles*. Subjungit: *Poteſt tamen juſtè per ſententiam, vel ordinationem Eccleſiæ auctoritatem Dei habentis tale jus dominii, vel prælationis tolli: quia Infideles merito ſuæ infidelitatis merentur poteſtatem amittere ſuper Fideles, qui transferuntur in filios Dei: ſed hoc quidem Eccleſia quandoque facit, quandoque autem non facit*. Deinde exponens, Eccleſiam hoc facere cum Judæis, quia cùm ſint ſervi Eccleſiæ poteſt diſponere de rebus eorum; proſequitur: *In illis verò Infidelibus, qui temporaliter Eccleſiæ vel ejus membris non ſubjacent, prædictum jus Eccleſia non ſtatuit, licèt poſſet inſtituere de jure: & hoc facit ad ſcandalum vitandum. Sicut etiam Dominus Matth. 17. oſtendit, quòd poterat à tributo ſe excuſare, quia liberi ſunt filii: tamen mandavit tributum ſolvi, ad ſcandalum vitandum.*

Ex hac D. Thomæ doctrinâ colligitur, Eccleſiam poſſe jure privare Principes infideles dominio ſuper Fideles. Et licèt hoc regulariter non faciat; poſſunt tamen dari juſti tituli, quibus ad Dei gloriam expediens ſit, Infideles, vel per Principes Chriſtianos, vel per Summum Pontificem privari dominio: ut ſi Legatos Chriſtianos repellant, naturalem ſocietatem, & communionem prohibendo; ſi impediant prædicationem Evangelii; ſi nolint Chriſtianam religionem propagari; ſi conentur converſos revocare ad Idololatriam; ſi leges tyrannicas, quibus innocentes immolant, & occidunt, nolint abolere. Cum ergo omnia hæc contra Hiſpanos ad eorum Regna appulſos egerint Indorum Reges; meruerunt ſuis Regnis, ac dominio privari, & eorum dominium ad Fideles transferri, ac præcipue ad Regem Catholicum Hiſpaniarum, cujus auſpiciis, & ſumtibus navigatio illa primò tentata feliciter ſucceſſerat. Sed de hoc, nec non de univerſo hoc Tractatu, pro Candidati mei inſtructione ſatis.

Tomi Secundi I. Secundæ Partis, Ordine Octavi, Finis.

INDEX

INDEX

Eorum, quæ in hoc Secundo Tomo in Primam Secundæ, ordine Octavo, viſa ſunt notatu digna.

A

A*Brogatio* legis quid ſit. *pag.* 247. *Actio* aliqua nequit poſitivè egredi ab Omnipotentia, quæ non ſit volita à Deo. 138. Actio permiſſiva peccati non eſt Deo involuntaria, nec diſplicet. 139. Actio peccati, quâ actio, & entitas, cauſatur à Deo. 144. & ſeq. Etiam prædeterminatur. 148. Objecta contra hæc ſoluta. 149. & ſeq.

Actus humanus unde dicatur formaliter malus moraliter. 31. Actus, qui ab initio eſt peccatum veniale, poteſt ita continuari, ut fiat peccatum mortale. 64. — Actus potentiarum externarum non ſunt capaces libertatis, & dominii; ſecus actus appetitus ſenſitivi. 98. Actus conjugii fieri poteſt abſque ullo peccato. 104. Actus ex ſpecie in eſſe naturæ nequit eſſe eſſentialiter malus. 152. Actus naturâ ſuâ mali, vel boni habent duplicem malitiam, vel bonitatem. 134. — Actus legis ſunt imperare, vetare, præcipere, & punire. 210. Actus virtutum moralium qua ratione dicantur de lege naturæ. 241. 242. — Actus interni qua ratione poſſit præcipi à lege humanâ. 333.

Advertentia requiritur ad peccandum. 25. Plena, & perfecta ad peccandum mortaliter. *ibi.* Implicita, ſeu virtualis malitiæ actionis ſufficit ad peccatum mortale. *ibi.*

Amor regulatus per cognitionem plenam, & claram, & regulatus per cognitionem ſemiplenam & imperfectam non differunt eſſentialiter. 62.

Angelus in triplici ſtatu conſiderari poteſt, ſcilicet, viæ, termini, & in puris naturalibus. 69. — Angelus beatus non poteſt peccare venialiter. *ibi.* Imò nec Angelus malus. *ibi.* Sive bonus, ſive qui nunc malus eſt non potuit peccare venialiter in eo ſtatu, in quo fuit creatus cum gratia. *ibi.* Angelus ſi fuiſſet creatus in puris naturalibus, probabilius eſt, non potuiſſe peccare venialiter. 70. Miniſter Dei fuit in danda lege veteri Moyſi. 272. 273.

Animalia, quæ offerebantur in Sacrificiis legis veteris, quænam eſſent. *pag.* 285. 287.

Appetitus ſenſitivus, ex quo naturaliter inclinetur in bonum ſenſibile, non inclinatur ad peccatum. 7. In homine poteſt eſſe ſubjectum proximum peccati. 95.

Apoſtoli, jam captâ promulgatione Evangelicâ, aliquando verè, & ex animo obſervarunt Legalia, non verò fingendi, & ſimulandi. 303. 304. 305. 306. Qua ratione præceperunt obſervantiam quorumdam Legalium. 308. Multa præceperunt, quæ non ſunt juris divini. 318.

Arca federis ex quibus lignis compacta eſſet. 289. In ea quid contineretur. *ibi.*

Aſiatici Epiſcopi uſque ad tempora Victoris Papæ cur celebrarent Paſcha more Judaico. 309.

S. Athanaſius docet, malum formaliter eſſe privationem. 30.

S. Auguſtinus. Diſtinguit vitium à peccato. 1. Oſtendit, adversùs Mani-

chæos

ehæos, vitium oppoſitum virtuti eſſe contra naturam hominis. Definit peccatum. 10. 11. Aſſerit, peccatum debere eſſe voluntarium 13. Debere eſſe liberum libertate indifferentiæ. 14. — Aſſerit, Deum auctorem naturæ non poſſe invincibiliter ab homine ignorari. 17. Malum eſſe accidens pravum adveniens naturæ bonæ. 27. Peccatum eſſe formaliter privationem. 30. 31. Potentiam peccandi formaliter eſſe defectum. 38. Peccata pro quibus dicimus quotidie: *Dimitte nobis debita noſtra*, eſſe quotidiana, & venialia. 49. 50. Peccata venialia non impedire Juſtum à vita æternâ. 50. S. Auguſtini duo loca, ab hæreticis adducta contra peccatum veniale ex natura ſua, exponuntur. 54. 55. — S. Auguſt. oſtendit, omnia peccata non eſſe invicem connexa. 78. Tenet, motus pravuos ſenſualitatis, omnem rationis advertentiam prævenientes, non eſſe peccata. 101. 102. 103. Varia ejus loca, quæ contrarium videntur aſſerere, explicata. 106. 107. — S. Auguſt. docet, malæ voluntatis non eſſe cauſam efficientem, ſed deficientem. 115. Negat, Deum prædeſtinare peccata. 127. — Aſſerit, Deum peccata permittere. 129. Potentiam peccandi, quâ talem, non eſſe à Deo. 134. Deum nihil odiſſe eorum, quæ fecit. 137. Nihil facere, niſi volentem. 138. Velle, & facere operationes malas, inquantùm operationes, & entia ſunt. 145. — Aſſerit, Deum, quia juſtum, velle, ut peccata, quibus ignoſcit, puniantur temporaliter vel à ſeipſo, vel ab homine. 183. Definit legem Dei æternam. 214. Aſſerit, omnem legem juſtam derivari ab æternâ Dei lege. 216. 217. 218. 219. Omnes creaturas etiam irrationales ſubjici legi æternæ. 224. Docet, tam bonos, quàm malos ſubjici lege æternæ Dei. 226. Bonos per amorem, malos per timorem. 228. Deum eſſe auctorem legis naturæ. 229. Oſtendit unum eſſe Deum veteris, & novi Teſtamenti, unamque in eo æternam legem, & providentiam. 212. Aſſerit, Iſraelitas non furatos fuiſſe bona Ægyptiorum. 257. Matrimonium fratris cum ſorore in exordiis Mundi licuiſſe. 259. Cur Pelagiani adeo commendarent legem Moſaicam. 260. Legem veterem fuiſſe bonam, & Sanctam. 261. Hanc quâ ratione dicatur occidere. 262. Legem talionis non foviſſe vindictam. 264. Moſaicam fuiſſe utilem. 265. Datam à Deo per Angelum, non per Verbum divinum. 272. — Sentit, Paulum non ſimulatoriè, ſed verè, & ſincerè Legalia obſervaſſe. 304. 305. Verè & non ſimulatè Petrum reprehendiſſe. 306. Aſſerit, cur Legalia non ſtatim poſt Chriſti mortem fuerint mortifera. 309. Chriſtum nobis dediſſe legem, & ſimul gratiam eam adimplendi. 313. Judæos fuiſſe ſub lege, Chriſtianos autem eſſe in lege. *ibi.* Omnes Juſtos veteris Teſtamenti pertinuiſſe ad Novum Fædus. 319. Quot quot ab exordio Mundi ſalvati ſunt, id per Chriſti fidem conſequutos fuiſſe. 322. — Docet, Evangelium nec ſuo tempore, multò minùs temporibus Apoſtolorum, prædicatum fuiſſe omnibus omnino Gentibus. 326. — Admittit ſtatuta Conciliorum & Eccleſiæ conſuetudinem, ultra Scripturarum authoritatem. 332. Docet, locorum conſuetudines ſervandas eſſe ab iis, qui ad ea loca adventant. 354. Principes ob peccata non amittere dominium, nec poteſtatem legiſlativam. 357.

Auxilium, quo homo, primò perveniens ad uſum rationis, poteſt ſe convertere in Deum, eſt ſupernaturale. 74.

B

Baptiſmus ante Chriſti mortem erat in conſilio ſolùm. 299.

S. Bernardus non dicit, Deum poſſe dif-

diſpenſare in præceptis ſecundæ tabulæ; ſed ſolum, quòd poſſit ea ſolvere. 255.

Blaſphemia eſt ſimpliciter peccatum. gravius homicidio. 26. Eſt illo minus, quo ad effectum nocendi. *ibi.*

Blaſtus hæreticus ſecundi ſeculi dicebat, Deum eſſe cauſam, & auctorem peccati. 123.

Bona omnia communia fuiſſe jure naturali, quomodo intelligendum. 244.

Bonitas moralis primò, & per ſe eſt in actu voluntatis; participativè intrinſecè in actu appetitus ſenſitivi: & denominativè extrinſecè in membris externis. 98.

C

CÆremoniæ legales quid ſint. 301. Veteris legis à Paſſione Chriſti uſque ad ſufficientem Evangelii promulgationem fuerunt quidem mortuæ, ſe non mortiferæ. *ibi.* & ſequ. Cæperunt eſſe mortiferæ 40. circiter anno poſt Chriſti Mortem. 308.

Calviniſtæ quas rationes adducunt, ne videantur aſſerere, Deum eſſe auctorem peccatorum. 125. — Calviniſtæ ſentiunt, præcepta moralia ſeu Decalogi non poſſe à nobis ſervari. 315. Sacramenta non eſſe abſolutè neceſſaria ad ſalutem. *ibi.* Præceptum Fidei ſolùm ſufficere, & neceſſarium eſſe ad ſalutem. *ibi.*

Calvinus vult, omnia peccata naturâ ſuâ eſſe mortalia; & ſolis Prædeſtinatis dici venialia, quia eis non imputantur. 48. Omnes motus inordinatos ſenſualitatis, etiam prorſus indeliberatos, & involuntarios, eſſe peccatum; idque ſenſiſſe S. Auguſtinum. 101. Facit Deum cauſam, & auctorem peccati. 123. Sentit, pœnam peccatorum, quæ eſt à Deo ut judice, remiſsâ culpâ, in totum condonari: quæ verò eſt à Deo ut Patre, aliquando manere. 181. Chriſtum eſſe quidem Redemtorem, ſed non Legislatorem. 311. 312. 313. Quid ſenſerit de lege humanâ. 327.

Candelabrum Templi cur ſeptem haberet calamos. 290.

Carthuſianus inquo caſu licitè poſſit, imò debeat, comedere carnes. 343.

Cauſa peccati, alia per ſe, & propria; alia quaſi extrinſeca, & remota. 89. Eſt multiplex. 115. Cauſa formæ quando ſit cauſa privationis eſſentialiter ad eam ſecutæ. 151.

Cerinthus ſenſit, legem veterem una cum nova eſſe ſervandam. 294.

Chriſtus ſuperabundanter ſatisfecit pro omnibus, ſed ſufficienter, & per modum cauſæ univerſalis. 186. Chriſto non fit injuria, dum ſuæ ſatisfactioni addimus noſtras. *ibi.* — Chriſtus, ut Deus, non ſubditur legi æternæ, benè verò ut homo. 222. Quamdiu vixit, obſervavit legem moſaicam. 299. Non ſimulavit ſe peccatorem. 307. — Chriſtus inſtituit legem novam. 312. 313. 314. Non liberavit nos ab obſervatione præceptorum moralium, ſeu Decalogi. 315. Inſtituit præcepta ſacramentalia. 316.

Cicero aſſerit legem naturalem, & encomio celebrat. 229. Viſus eſt agnoviſſe legem æternam. 213.

Circumſtantia quando poſſit de veniali peccato facere mortale. 67. Aggravat peccatum tripliciter. 89.

Clerici quibus legibus Civilibus teneantur, & quibus non. 351. 352.

Concilium Milevitanum definit, ſanctos pro ſeipſis veraciter dicere: *Dimitte nobis debita noſtra.* 50. — Tridentinum idem ſtatuit; agnoſcens in Juſtis, & Sanctis peccata quotidiana, quæ venialia dicuntur. *ibi.* — Arauſicanum II. damnat eos, qui dicunt, Deum homines ad malum prædeſtinaſſe. 127. Valentinum III. & Tridentinum idem ſentiunt. *ibi.* — Tridentinum ſtatuit, Deum mala opera ſolum permittere. 140. Damnat aſſerentes, ſatisfactiones pœnitentium non eſſe cultum Dei, ſed traditiones hominum beneficium mortis Chriſti obſcu-

obſcurantes. 186. — Toletanum VIII. ſanxit, quales debeant eſſe Reges Chriſtiani. 199. Sirmienſe, Catholicum, anno 351. quo ſenſu dicat Filium Dei ſubjectum Patri, ejuſque voluntati obſequentem. 222. Tridentinum expreſsè non dicit, reſidentiam perſonalem Epſcoporum eſſe de jure divino poſitivo. 249. ſtatuit omnes libros tùm veteris, tùm novi Teſtamenti habere eumdem Deum auctorem. 268. Aſſerit, Eccleſiæ, & perſonarum Eccleſiaſticarum immunitatem Dei ordinatione conſtitutam eſſe. 352.

Concupiſcentia eſt cauſa peccati. 118. Duobus modis indirectè poteſt movere voluntatem ad peccandum. 119. Quomodo ſit à Deo, & quomodo non. 149.

Conditio perſonæ, in quam peccatur, aggravat peccatum. 91.

Conſenſus perfectè deliberatus voluntatis requiritur ad peccandum mortaliter. 14. Non ſemper tamen formalis, & directus. *ibi.* Quandoque etiam ſufficit conditionatus. *ibi.* — Conſenſus in actum pertinet ad rationem ſuperiorem; in delectationem verò ad rationem inferiorem. 111. Eſt actus appetitivæ virtutis elicitivè, & rationis regulativè. *ibi.* Conſenſus in delectationem ſolius cogitationis rei, etiam mortaliter malæ, non eſt ſcundùm ſe peccatum mortale; ſed aliquando eſt peccatum veniale, aliquando verò nullum. 112. Conſenſus in delctationem rei cogitatæ, mortaliter malæ, eſt peccatum mortale. 113. — Conſenſus delectationis de bono opere, ſinè conſenſu operis; cur non ſufficiat ad merendum. 114.

Conſtantinus magnus Imperator prohibuit, ne tributa imponerentur Sacerdotibus novæ legis. 352.

Conſuetudo quando habeat vim abrogandi legem. 348.

Contingentia naturalia legi æternæ ſubjiciuntur. 224.

Creatura irrationales legi æternæ ſubduntur. 224.

D

D*Æmon* aliâ intentione mittitur à Deo, & aliâ Dei voluntatem exequitur. 132. Non eſt homini cauſa directa peccandi. 151. Eſt cauſa directa ſuorum peccatorum; 156. Non eſt cauſa directè, vel ſufficienter peccatorum hominis. *ibi.* Poteſt eſſe cauſa eorum per modum ſuadentis. 157. Poteſt inducere hominem ad peccandum, operando circa partem ſenſitivam inferiorem. *ibi.* & 158. Dæmon non ſemper noſcit quæ ſunt in hominis fantaſia, aut aliis ſenſibus internis. 158. Non poteſt inducere homini neceſſitatem ad peccandum. 159. Indirectè, & occaſionaliter eſt cauſa omnium peccatorum hominum. *ibi.* & 160.

Damnati ſubduntur legi æternæ, & quomodo. 227.

Declaratio legis quid ſit. 247. Differt à diſpenſatione. 248.

Defectus peccati nequit reduci in intentionem Dei nec primariam, nec ſecundariam. 142.

Delectatio moroſa unde dicatur talis. 109. Eſt in ratione, ut in primo motivo, & directivo. 110. Delectatio voluntaria de re cogitata, mortaliter malâ, eſt peccatum mortale. 113.

Derogatio legis quid ſit. 247.

Deus quomodo ſe gerat in ſanatione animæ à culpa. 3. Cur poſſit concurrere ad poſitivam tendentiam actus mali, quin concurrat ad malitiam peccati. 37. — Deus non avertitur à ſolùm peccante venialiter. 51. Ut vindex peccati nequit peccatum veniale, ſeparatum à mortali, per ſe æternaliter punire. 54. Bene quidem ut Dominus ſupremus. *ibi.* 56. Illuminat hominem in primo inſtanti rationis ſaltem de illis duobus generalibus propoſitis à D. Paulo *Hebraeor.* 11. 74. Deus nequit eſſe cauſa, ſeu auctor peccati. 124. & ſeq. — Scripturæ contra hoc ab hæreti-

reticis adductæ, explicantur. 128. 129. & ſeq. Malum culpæ permittit, & quare. 129. Quo ſenſu dicatur illud præcipere. 130. Quo modo dicatur decipere. *ibi.* Tradere in reprobum ſenſum, excæcare mentem, obdurare cor. 132. 133. — Deus eſt cauſa liberi arbitrii, ut ad Deum ordinabilis; non ut defectibilis à tali ordine. 134. Non eſt cauſa potentiæ peccandi formaliter ut talis. *ibi.* Nequit ſe ſolo infundere habitum vitioſum. 135. — Deus cur poſſit cauſare mala pœnæ, non autem mala culpæ. 135. Non influit in malitiam peccati, influxu phiſico, determinatus à concurſu creaturæ. 136. & ſequ. Objecta contra hoc ſoluta. 140. & ſequ. — Deus cur poſſit eſſe forma graviſicans offenſam lethalem, & non poſſit eſſe illius cauſa efficiens. 142. Eſt cauſa propriè, & per ſe entitatis, & actualitatis phyſicæ repertæ in peccato. 144. & ſequ. Eamdem prædeterminat. 148. Quæ contra hæc opponuntur ſoluta. 149. & ſeq. — Deus cauſat concupiſcentiam ſolùm ut eſt actus phyſicus tendens in delectabile. 149. Non eodem modo operatur opera mala, ac bona. *ibi.* Nequit ullo modo dici cauſa per ſe peccati. 150. Vult actum peccati. 151. Nequit conſulere, aut præcipere entitatem actus peccati 153. — Deus punit peccatum mortale pœnâ æternâ. 172. Aliquando remittit peccatum mortale, & reatum pœnæ ætrnæ: ita tamen, ut velit hominem, cui remiſſio facta eſt, aliquâ pœnâ temporali punire; non præciſè, ut fiat cautior inpoſterum; ſed etiam in vindictam, & ſatisfactionem divinæ juſtitiæ pro peccato præterito. 180. 181. 182. 183. Objectiones hæreticorum contra hoc ſolutæ. 184. & ſeq.— Deus omnia refert in ſeipſum, ut ultimum finem, non in proprium commodum. 200. Deus non ſubjicitur legi æternæ. 220. 221. Nequit propriè diſpenſare in ulla lege naturali, ſive ſit in Decalogo, ſive extra Decalogum. 251. 252. Quæ in contrarium opponuntur, ſoluta. 253. & ſeq. — Deus nequit præcipere odium ſui. 253. Defacto non diſpenſavit cum ullo in præceptis Decalogi. 256. Non cum Abraham in præcepto: *Non occides*. *ibi.* Non cum Samſone. *ibi.* Non cum Iſraelitis in præcepto: *Non furandi*. *ibi.* Non, ut fænerarentur cum extraneis. 257. — Deus verus bonus Pater Jeſu Chriſti fuit auctor totius legis antiquæ. 267. 268. 269. 270. Illam tulit in monte Sinai. 271. Per Angelos, non per Verbum Divinum humanâ ſpecie apparens. 272. 273. 274. Deus quomodo dicatur locutus facie ad faciem Moyſi. 273. Cur potiùs Abrahæ fecerit promiſſiones de Chriſto, quàm cuilibet alteri. 275. Cur non acceptor perſonarum. 276.

Difformitas ad diverſas leges, quando indicat diverſitatem malitiæ. 16.

Diſpenſatio legis quid ſit. 247. Non eſt idem ac declarato. 248.

Diſpoſitio quando poſſit fieri habitus. 66. Tripliciter ſe habet ad id, ad quod diſponit. 99.

Donatiſtæ afferebant, Epiſcopum malum non eſſe, verum Epiſcopum. 356. Eccleſiam in toto Orbe periiſſe, & ſolùm in Africa perſeverare. *ibi.*

E

Eccleſia quo ſenſu oret pro animabus illorum, qui cum ſolis venialibus moriuntur, dicens: *Libera eas de morte æterna &c.* 54. — Cur non poſſit punire actus merè internos; poſſit tamen illos præcipere. 334.

Effectus proprius legis eſt facere homines bonos. 209.

Ens omne poſitivum, quod non eſt Deus, eſt creatum à Deo. 29.

Epiſcopi poſſunt condere leges pro ſua Diæceſi. 356.

Eſſentia rerum ſubduntur legi æternæ. 224.
Evangelium ante Chriſti mortem ſolùm erat in conſilio 299. Temporibus Apoſtolorum non fuit prædicatum omnibus omnino Gentibus. 326.

F

Fides eadem legis novæ, & veteris, ſed habens diverſum ſtatum. 318.
Flexibilitas ad malum non eſt potentia, ſed defectus potentiæ. 39.
Florinus hæreticus ſecundi ſeculi aſſerebat, Deum eſſe cauſam, & auctorem peccati. 123.
Fomes quâ ratione habeat rationem legis in homine. 219.

G

Gentiles ſalvari poterant ſinè obſervantiâ legis Moſaicæ. 277. Admittendi erant populo Judaico, ſi voluiſſent aggregari: & tunc tenebantur lege Moſaicâ. 278.
Gravitas peccatorum variatur ſecundùm objectum. 86. Penſatur ex dignitate virtutis, cui directè, & immediatè opponitur peccatum. 87.

H

Habitus vitioſus eſt pejus ſecundùm quid actu peccaminoſo. 9. --- Habitus caritatis quà ratione dicatur melior actu. ibi.
Hæretici, qui contra legem veterem blaſphemarunt. 260. 267.
S. Hieronymus ſenſit, Legalia ſtatim poſt Chriſti mortem fuiſſe non ſolùm mortua, ſed & mortifera. 302. Hoc poſtea retractavit. 307.
Hiſpani quo titulo Indorum Reges exauctorarunt, ac ſuis Imperiis ſpoliarunt. 357.
Holocauſtum quid ſit. 285. Præcipuum inter Sacrificia alia legis veteris. 286. Quæ in eo offerrebantur. ibi.
Homicidium eſt ſimpliciter minùs grave blaſphemiâ. 26. Eſt gravius inter peccata in proximum. ibi.
Homo juſtificatus plerumque retinet peccati reliquias 3. Ex quo ſit ex nihilo, ſolùm eſt capax peccati, non verò poſitivè inclinatus ad illud. 7. Quòd conſtet ex appetitibus contrariis, habet ex vitio naturæ. ibi. — Homo cur poſſit aſſueſieri vitiis, etſi ſint contra ejus naturam. ibi. Antequam perveniat ad uſum rationis excuſatur ab omni peccato. 70. Perveniens ad uſum rationis primum, quod cogitandum ei occurrit, eſt deliberare de ſeipſo. ibi Recipit à Deo auxilium, quo id poſſit. 74. --- Hominem pervenire ad uſum rationis, quid ſit. 75. --- Homo ante primum inſtans morale, & completum uſus rationis nequit habere uſum rationis ſufficientem ad peccandum venialiter. 76. --- Homo non poteſt vitare omnes motus ſenſualitatis inordinatos, benè verò ſingulos. 99. Poteſt dupliciter delectari in cogitatione rei malæ. 112. Quando peccet ex malitia. 120. Homo, tranſacto actu peccati, quomodo maneat converſus habitualiter ad creaturam. 166. --- Omnis homo eſt liber jure naturæ, nullâ ſuppoſitâ culpâ, aut injuriâ. 244.
Hoſtia pro peccato quale Sacrificium eſſet. 285. Hoſtia pacifica quæ dicebatur. 286.

I

Idolothytis veſci quando liceat viro Chriſtiano, & quando non. 343. 344.
Ignorantia invincibilis de Deo auctore naturæ non poteſt dari. 17. --- Ignorantia quomodo ſit cauſa peccati, & quando. 116. Ignorantia invincibilis non eſt peccatum. 117. Vincibilis quando ſit peccatum. ibi. Ignorantia quando, & quomodo excuſet à peccato. 118.
Inæqualitas datur inter peccata mortalia in gravitate. 81. 82. Etiam inter ea, quæ ſunt contra Jus poſitivum. 84. Hujusmodi inæqualitas
aliter

aliter contingit in peccatis Jure naturæ prohibitis, ac in prohibitis ſolo Jure poſitivo. 85.
Infidelitas eſt contra naturam hominis. 5. — Infidelitas negativa non tollitur per quodcumque auxilium ſupernaturale, ſolum remotè diſponens ad fidem. 74.
Inſtans, quo homo incipit habere uſum rationis, non eſt accipiendum mathematicè, ſed moraliter. 73. Ante hujuſmodi inſtans completum, nequit homo habere ſufficientem uſum rationis ad peccandum venialiter. 75.
Intellectus eſt capax peccati, & quomodo. 96. Ejus eſt ordinare in finem formaliter. 193. — Intellectus divinus in ſuis actibus tùm neceſſariis, tùm liberis legi æternæ non ſubjicitur. 120.
Joannes Baptiſta nullam inſtituit legem ad Chriſtianos pertinentem. 311.
Joannes Hus damnatur in Concil. Conſtantienſe. 356.
Joannes Wicleffus docuit, omne peccatum Prædeſtinati eſſe veniale; & omne peccatum Reprobi eſſe mortale, non ex naturâ ſuâ, ſed ex ordinatione divinâ. 48.
Joviniani errores quinam fuerint. 80.
Irritatio legis quando contigat. 247.
Judas Galilæus docuit, non eſſe parendum Principibus, nec eorum legibus obediendum. 327.
Jus gentium qua ratione coincidat cum jure naturali. 241.
Jus naturale, in quo diſtinguatur à poſitivo. 230.
Juſtificatio, etiam in veteri lege, non erat niſi per fidem in Chriſtum. 319.
Juſtus eſt ſub lege æternâ, non per timorem, ſed per amorem. 227. Juſti omnes in veteri Teſtamento ad novum pertinebant. 319.

L

L*Egalia* non ſtatim ac fuerunt mortua, fuerunt etiam mortifera. 301. & ſeq. Cœperunt eſſe mortifera circiter anno poſt Chriſti mortem quadrageſimo. 308.
Legiſlator quomodo ſe gerat in ferenda lege. 192. Tenetur ſuis legibus non quoad vim coactivam, ſed directivam. 349.
Lex quoad nomen, & rem variè accipitur. 188. 189. Propriè accepta quid ſit. *ibi.* Ejus definitio ex D. Tho. *ibi.* Eſt neceſſaria, & utilis. 190. Lex eſſentialiter eſt actus intellectus præſupponens, & connotans actum voluntatis. *ibi.* & 191. Conſiſtit in actu imperii. *ibi.* Procedit à voluntate Legiſlatoris non elicitivè, ſed motivè. 192. — Lex poteſt conſiderari ut in Legiſlatore, in ſubditis, & ut in aliquo ſigno externo. 193. Legem ferre eſt formáliter, & eſſentialiter actus prudentiæ politicæ, & regalis. 194. — Lex, ut veram legis rationem habeat, debet dirigi ad Communitatem. 194. 195. In quo differat à præcepto. 194. 196. Dirigitur ad Communitatem concretivè ſumtam, ut includit perſonas ſingulares. 196. Lex, debet eſſe ob bonum commune, ut propter finem. 196. 197. Reſpicit privatum bonum, ut materiam proximam, non ut motivum, & finem. 197. Debet eſſe juſta, & juſtè lata ex parte objecti, Legiſlatoris, & formæ. 201. 202. 203. Nulla lex ferri poteſt de re impoſſibili ſimpliciter, aut moraliter. 202. Lex humana quomodo mala permittat. *ibi.* — Lex in communi petit, ut ſit ſtabilis, & permanens. 204. Ut obliget in actu ſecundo, neceſſaria eſt aliqualis ejus promulgatio, ut conditio eſſentialiter requiſita. 205. 206. — Lex dividitur in æternam, & temporalem. 207. Temporalis dividitur in naturalem, & poſitivam. *ibi.* Poſitiva in humanam, & divinam. *ibi.* Ratio hujus diviſionis. 208. — Lex fomitis in homine non habet rationem legis, ſed magis eſt deviatio à lege rationis. 209. — Legis pro-

prius

prius effectus eſt, homines facere bonos. 209. 210. Actus ſunt quatuor: imperare, vetare, præcipere, & punire. *ibi.* & 211. --- Lex æterna in multis diſtinguitur à divina providentiâ. 212. Diſtinguitur à lege temporali *ibi.* Admittenda eſt in Deo. 213. Ejus definitio ex D. Thoma. 214. Lex æterna eſt verè, & propriè lex. 214. 215. --- Lex omnis juſta, & propriè dicta derivatur à lege æternâ. 216. 217. Obſtantia ſolvuntur. *ibi.* & 218. Legi æternæ quæ ſubjiciantur. 220. & ſeq. --- Lex æterna inducit obligationem proportionaliter ad naturam, cui intimatur. 225. Legi æternæ ſubjiciuntur omnes homines; boni quidem perfectè, mali verò imperfectè. 226. 227. --- Lex naturalis quomodo à Juriſtis accipiatur, & quomodo à Theologis. 228. Datur hujuſmodi lex. *ibi.* & 229. Illius auctor eſt Deus. *ibi.* In quo à poſitiva diſtinguatur. 230. Eſt à Deo liberè abſolutè, ſed neceſſariò ex ſuppoſitione. *ibi.* A' Deo unicuique imprimitur in infuſione animæ rationalis. 231. --- Lex naturalis formaliter non conſiſtit in natura rationali, ut ratione ſuæ eſſentiæ talis eſt, quòd aliquæ actiones ſint illi convenientes, & honeſtæ, aliæ repugnantes, & indecentes. 232. Non eſt formaliter ipſum lumen intellectuale in actu primo. 233. Conſiſtit in dictamine intellectus practici, non præcisè judicantis, & oſtendentis bonum, & malum; ſed inſuper imperantis, & obligantis. *ibi.* Prout in nobis qualiter deſcribi poſſit. *ibi.* --- Lex naturalis aliquando ſumitur à Patribus in ſenſu cauſali, aliquando pro aliquo conſecuto ad legem. 235. Quomodo maneat ſcripta in lumine intellectuali. *ibi.* Quomodo ſit in anima, & dicatur eſſe in pueris, & in amentibus. *ibi.* Diſtinguitur à lege divina poſitivâ; ſed tamen verè eſt lex divina. 236. --- Lex naturalis continet plura præcepta, dependentia tamen ab uno ut à radice, & fundamento. 236. 237. Quoad prima principia communia eſt eadem apud omnes, & ſecundùm rectitudinem, & ſecundùm notitiam. 237. 238. Quoad vero ad quædam propria eſt eadem apud omnes, ut in pluribus; ſed ut in paucioribus poteſt deficere tùm quoad rectitudinem, tùm quoad notitiam. 238. Omnes homines obligat. 239. --- Lex naturalis continet ſub ſe omnia præcepta Decalogi, excepto tertio de ſanctificatione ſabbati. 239. 240. Mutatione impropriâ mutari poteſt. 243. Propriâ, quantùm ad prima principia, omnino eſt immutabilis. *ibi.* Quoad aliqua præcepta, & in aliquo caſu particulari, mutari poteſt per ſubtractionem materiæ, mutatione tamen materiali. 245. --- Lex naturalis ceſſare nequit per abrogationem, ſeu irritationem. 246. Quomodo poſſit deleri de cordibus hominum. *ibi.* Admittere poteſt interpretationem, non autem Epiikiam ſtrictè ſumtam. 247.

Lex vetus fuit bona. 260. 261. Quo ſenſu ejus præcepta dicantur non bona. 261. Quomodo dicatur non vacaſſe culpâ. 262. Occidiſſe. *ibi.* Cur interdixerit quoſdam cibos. 263. Non fuit contraria pietati. *ibi.* Fuit conſona æquitati, & juſtitiæ. 264. --- Lex Moſaica fuit utilis. 265. Non tamen perfecta, ſed imperfecta. 266. 267. Fuit lata à verò Deo bono patre Jeſu Chriſti. 267. 268. Non ſolùm ſecundùm partem, ſed ſecundùm ſe totam. 269. 270. Lata fuit à Deo in Monte Sinai. *ibi.* 271. Per Angelos, non per Verbum Divinum. 272. Data fuit, & promulgata ſoli populo Judæorum. 274. 275. 276. Erat diſpoſitio ad ſalutem, non omnibus neceſſaria. 276. Quantùm ad illa, quæ ſuperaddebet legi naturæ, non omnes, ſed ſolos Judæos obligabat. 277. 278. Convenientiùs data fuit tempore Moy-

Moyſis. 279. Non fuit conveniens, ut daretur temporibus Adamo vicinioribus, nec temporibus Abrahæ. *ibi.* Nec quòd daretur ſolis deſcendentibus ex David, & poſt ejus tempora. *ibi.* Multò minùs quod differretur ejus promulgatio uſque ad tempus Incarnationis Chriſti. *ibi.* & 280. Ob quem finem data fuerit. *ibi.* Quomodo etiam ad Chriſtianos dicatur pertinuiſſe. *ibi.* --- Legis veteris mandata multiplicia reducebantur omnia ad dilectionem Dei, & proximi. 280. 281. Unum erant unitate finis. *ibi.* Dividebantur in Moralia, Cæremonialia, & Judicialia. *ibi.* --- Lex vetus habuit quædam conſilia. 281. 282. Aliqua etiam præcepta de actibus ſupernaturalibus. *ibi.* Legis veteris præcepta moralia aliqua in Decalogo, aliqua extra Decalogum exprimuntur: omnia tamen ad Decalogi præcepta reducuntur. 283. 284. --- Lex vetus convenienter ordinavit de Principibus. 292. 293. De ſubditis etiam inter ſe invicem *ibi.* Convenienter procedit quoad extraneos. *ibi.* & 294. Convenienter ſtatuit præcepta circa perſonas domeſticas. *ibi.* --- Lex vetus abrogata eſt quoad Cæremonialia, & Judicialia. 294. 295. 296. Abrogata eſt à Chriſto, non à Joanne Baptiſta. 298. Non ante Paſſionem, & Mortem Chriſti. 299. Sed in ipſa Morte Chriſti. 300. 301.

Lex nova pluribus titulis illuſtrior eſt lege veteri. 310. Ejus inſtitutor non fuit Joannes Babtiſta. 311. Sed Chriſtus. 312. Continet præcepta triplicis generis, ideſt Moralia, Sacramentalia, & Fidei. 315. A' Chriſto inſtituta. 316. 317. Debuit aliquos actus exteriores præcipere, vel prohibere. 317. --- Lex nova quomodo ſit alia à lege veteri. 317. 318. Quomodo in illa contineretur. *ibi.* Vim habet juſtificandi. *ibi.* & 319. 320. Data eſt univerſo generi humano. *ibi.* & 321. --- Lex nova non debuit dari ab initio Mundi. 321. 322. Duratura eſt uſque ad finem Mundi. 323. 324. 325. Lex tam Civilis, quàm Eccleſiaſtica obligat in conſcientia. 330. Quæ in contrarium opponant hæretici ſoluta. 332. 333. 334. Lex humana quâ ratione poſſit præcipere actus internos. 333. Omnis pœnalis mixta obligat ad culpam. 335. Merè pœnalis quomodo obliget ſub reatu culpæ. *ibi.* & 326. Huic obſtantia ſolvuntur. *ibi.* & 337. Lex pœnalis quando ſtatim obliget ad pœnam ſubeundam; & quando non. 337. 338. --- Lex humana nedum Eccleſiaſtica, ſed etiam politica interdum obligat ſub mortali. 338. 339. Aliquando ſolùm ſub veniali. *ibi.* Unde dignoſcatur obligare ſub mortali, vel non. 340. 341. 342. --- Lex humana non ſemper, imò nec ordinariè, obligat cum periculo vitæ; aliquando tamen obligare poteſt. 342. 343. Ut obliget, quæ promulgatio requiratur, & ſufficiat. 345. 346. Ut obliget, non requiritur conſenſus, ſeu acceptatio populi. 347. 348. --- Leges Civiles, quis poſſit ferre. 355. Quis Eccleſiaſticas. *ibi.* & 336.

Libellus repudii non fuit contra legem naturæ. 258.

Libertas major requiritur ad merendum, quàm ad peccandum. 43. Libertas in cauſa ſufficit ad merendum. 44. Libertas Chriſtiana in quo conſiſtat. 314.

Lutherus aſſeruit, omnia Infidelium peccata eſſe mortalia; Fidelium tamen omnia eſſe venialia, præter infidelitatem, quam ſolam credidit eſſe peccatum mortale. 48. Nullum meritum eſſe majus altero. 80. Senſit, motus primò primos ſenſualitatis eſſe peccatum. 101. Dogmatizavit, ſimul cum culpa ſemper remitti totam pœnam. 181. Senſit, legem moſaicam abrogatam eſſe, etiam quoad præcepta moralia. 295. Chriſtum fuiſſe quidem Redemtorem ſed

Digitized by Google

ſed non verè Legiſlatorem. 311. declarat Fideles ab omni lege abſolutos, ſolâque fidei lege teneri. 327. — Quo titulo tegerit ſuam deſertionem ab Eccleſia Romanâ. 356.

M

MAcula peccati mortalis in infinitum diſtat à macula peccati venialis. 65. Macula peccati venialis non eſt propriè talis. 58. Maculæ peccati exiſtentia oſtenditur contra Proteſtantes. 160. 161. Ejus conſtitutivum non eſt reatus, ſeu obligatio ad pœnam. 162. Neque ſola denominatio extrinſeca, ſumta à peccato actuali præterito, non retractato. 162. Non habitus, ſeu qualitas inclinans ad bonum commutabile. 163. Sed conſiſtit in defectu, ſeu privatione nitoris gratiæ, qui deberet eſſe in anima, cum reſpectu ad peccatum præcedens. *ibi.* & 164. Objecta contra hæc ſoluta 162. & ſeq. Quæ eſſet macula peccati mortalis in homine in puris naturatibus conſtituto. 157.
Mahumetes tres docuit ab exordio Mundi leges fuiſſe à Deo latas: Moſaicam, Evangelicam, & Alcoranum. 323.
Malitia moralis quomodo ſit in actu appetitus ſenſitivi, & in membris externis. 98.
Malum eſt accidens, & quidem privativum, naturæ adveniens. 27. Triplex eſt, naturale, artificiale, morale. 28.
Manetes, ſeu Manichæus aſſeruit, ſe eſſe Paraclitum à Chriſto promiſſum. 323. Sui erroris fundamentum. 325.
Manichæi duas ponebant in homine animas, ſeu principia: unum naturâ ſuâ bonum; alterum naturâ ſuâ malum. 4. Dicebant, vitia eſſe ipſam mali naturam. *ibi.* & 27.
Martyrium poteſt contingere in ſomno. *pag.* 44.
Materia à lege humanæ prohibita, quando cenſeatur gravis. 341.
Matrimonium Fratris cum ſorore in exordiis Mundi non fuit per ſe, & ex lege naturæ illicitum. 259. Clandeſtinum quando ſit validum. 354.
Monſtra non ſunt de primaria, ſed ſolum ſecundariâ intentione naturæ, & cauſarum univerſalium. 141.
Montanus hæreticus aſſerebat, ſe eſſe Paraclitum, quem Chriſtus Diſcipulis promiſſerat. 323. Ejus erroris fundamentum. 325.
Mors cur ſit ſimpliciter adverſa naturæ. 7. Mors animæ eſſentialiter conſiſtit in privatione gratiæ. 84.
Motus inordinatus concupiſcentiæ triplicis eſt generis. 101. Pravi motus ſenſualitatis, omnem advertentiam rationis prævenientes, non ſunt peccata neque venialia. *ibi.* & ſeq. Quinam motus concupiſcentiæ prohibeantur præceptis Decalogi. 105. Cur motus deliberati coucupiſcentiæ ſpeciali & diſtincto præcepto prohibeantur; ſecus illi irraſcibilis. 106.
Moyſes non fuit auctor legis veteris. 269. 270. Hanc accepit in Monte Sinai. 271.

N

NAaman non fuit diſpenſatus, ut coleret Idolum. 259.
Nocumentum illatum quando, & quomodo augeat peccatum. 90.

O

OBſervantia legales apud Judæos, quæ eſſent. 291.
Obſtetrices Ægyptiæ à Deo remuneratæ ob benevolentiam in Hebræos fuere, non propter mendacium. 257.
Offenſa levis non diſſolvit amicitiam Dei. 51. 56.
Omiſſio actus debiti quando ſit peccatum. 40. Omiſſionis peccato peccatur, & cum datur cauſa, & cum accidit omiſſio; ſi tamem omiſſio maneat voluntaria in ſua cauſa. 41.
Omiſ-

Omiſſio externa tunc ſolum eſt, quando præceptum eſt implendum, nec impletur. *ibi.* 42. Fundamenta contra hæc ſoluta. 42. & ſeq.

Opinionum diverſitas de conſtitutivo formali peccati comiſſionis. 28.

Opus bonum, etſi minimum, ſolùm factum ex caritate, vel caritati conjunctum, meretur vitam eternam. 54. Opus malum non eodem modo cauſatur à Deo, ac bonum. 150.

Oratio Dominica dicenda eſt non ſolùm contra peccata venialia, ſed etiam mortalia. 114.

Oſeas accedens ad mulierem fornicariam non eſt fornicatus 257. 258.

P

P*Aſſio* appetitus ſenſitivi indirectè duobus modis poteſt movere voluntatem ad peccandum. 118. 119. Paſſio prorſus involuntaria excuſat à peccato. 120. Paſſio antecedens rationem, minuit peccatum, conſequens illud auget. *ibi.*

S. Paulus, adhuc cæpto Evangelio, aliquando verè, & ſincerè obſervavit Legalia, non fictè. & ſimulato animo. 301. 305. Non ſimulatè, ſed verè Petrum reprehendit. 306.

Peccans ſolùm venialiter, cum ſit juſtus, diligit Deum ex toto corde habitu, licèt non actu. 56.

Peccator, adhuc juſtificatus, plerumque retinet peccati reliquias. 3. Quomodo ſubdatur legi æternæ, etiam dum peccat. 227.

Peccatum quomodo dicatur naturale homini. 6. Licèt ſit contra naturam hominis, non eſt tamen violentum. 7. Dupliciter poteſt dici eſſe contra naturam. 8. — Peccatum in malitia morali ſimpliciter eſt pejus habitu vitioſo. 9. Definitio duplex peccati ex S. Auguſtino. 10. Alia ex S. Ambroſio. 11. — Omne peccatum mortale eſſentialiter eſt Dei injuria, affectivè multis modis intentata. 11. 12. Quo ſenſu idem dici poſſit de peccato originali, & veniali. *ibi.* — Peccatum debet eſſe voluntarium. 13. Debet eſſe liberum libertate indifferentiæ. 13. Peccatum mortale requirit conſenſum voluntatis perfectè deliberatum. 14. Licèt non ſemper formalem, & directum. *ibi.* Requirit advertentiam. 15. Plenam, & perfectam. *ibi.* — Peccatum philoſophicum quodnam dicatur 16. Rejicitur multis rationibus 17. & ſeq. Peccati diviſio multiplex. 22. 23. Peccata ſpecificè diſtinguuntur ex diverſitate ſpecifica objectorum. 24. Quando diſtinguantur ſpecificè etiam ex diverſitate præceptorum. *ibi.* Objecta contra hæc ſoluta. 25. 26. 27. Peccatum mortale, & veniale verſatur circa objectum diverſum formaliter, & in eſſe morali 25. Pecatum crucifigentium Chriſtum excedit peccatum odii Dei. 26. Peccatum in proximum quo dicatur gravius. 26. — Peccatum commiſſionis formaliter conſiſtit in privatione rectitudinis debitæ. 28. 29. & ſequ. Quæ in contrarium afferuntur, ſolvuntur. 32. & ſeq. — Peccatum commiſſionis, & omiſſionis, ſi ad idem ordinentur, & ex eodem motivo procedant, ſunt ejuſdem ſpeciei in eſſe moris. 46. 47. — Peccatum tripliciter dici poteſt veniale. 47. Peccata non omnia ex natura ſua ſunt mortalia; ſed dantur aliqua ex naturà ſua, & non tantùm ex imputatione, venialia. 48. Scripturæ id probantes. *ibi.* & 49. 50. Rationes. 51. 52. Hæreticorum objecta ſoluta. 53. & ſeq. — Peccata multa, præter infidelitatem, imputantur ad mortem etiam Fidelibus. 52. Etiam Prædeſtinatis. *ibi.* Peccatum omne eſt contra legem; ſed non omne eſt contra finem legis, ideſt, caritatem. 55. — Peccatum veniale non differt à mortali, quia illud ſit contra conſilium, iſtud contra præceptum. 57. Neque quia veniale verſetur circa ea, quæ ſunt ad finem; mortale verò circa ulti-

ultimum finem. *ibi.* Nec pariter quia mortale ſit contra legem; veniale verò præter legem. *ibi.* Sed potiſſimè differt, quia non tollit ordinem, & conjunctione hominis cum Deo, ut ultimo fine, ſicut facit peccatum mortale; ſed ſervato eo ordine, aliquam inordinationem facit circa ea, quæ ſunt ad finem. 58. Ex hac differentia peccati venialis à mortali aliæ differentiæ ſequuntur. 59. Peccatum mortale, & veniale non conveniunt univocè in ratione peccati, ſed analogicè. 60. Differunt eſſentialiter in ratione peccati, ſeu malitiæ moralis. 61. --- Peccatum veniale, ex genere ſuo, non diſponit per ſe, & directè ad peccatum, ex genere ſuo, mortale. 63. Benè verò indirectè, & removendo prohibens. *ibi.* Ex imperfectione actus directè poteſt diſponere ad mortale ejuſdem generis, ſeu objecti. *ibi.* --- Peccatum veniale fieri mortale, poteſt intelligi tripliciter. 64. 65. --- Peccata venialia quantumcumque multiplicentur, numquam poſſunt conſtituere integraliter unum peccatum mortale. 65. 66. Non ſunt neceſſariò aperienda in confeſſione. 66. Peccatum mortale non poteſt fieri veniale per aditionem deformitatis pertinentis ad genus peccati venialis. 67. Peccatum mortale ex genere poteſt fieri veniale ob imperfectionem actus *ibi.* --- Peccatum veniale licèt non cauſet maculam propriè talem, aliquam tamen, non ita propriè, cauſat in anima. 68. 69. --- Peccatum originale cum ſolo veniali eſſe non poteſt. 70. 71. -- Peccata non ſunt inter ſe connexa. 78. Sunt invicem connexa quantùm ad averſionem. 79. Non ſunt paria, ſeu æqualis gravitatis; ſed unum, etiam inter mortalia, eſt gravius alio. 81. 82. Quæ contra hoc opponuntur ſoluta. 82. 83. 84. --- Peccatum mortale eſt mors animè cauſaliter. 84. --- Peccata etiam contra jus poſitivum ſunt inæqualia. 84. 85. --- Peccatum, quòd principaliter, & directè opponitur virtuti præſtantiori, eſt aliis agravius. 87. --- Peccata ſpiritualia ſunt majoris culpæ, quàm carnalia. 88. Peccati cauſa accipi poteſt dupliciter. 89. --- Peccatum aggravatur per circumſtantias. *ibi.* Quando augeatur, & quomodo per nocumentum. 90. Aggravatur ex conditione perſonæ, in quam peccatur. 91. 92. --- Peccatum poteſt eſſe in appetitu ſenſitivo, ut in ſubjecto proximo. 95. Poteſt eſſe in intellectu. 96. Quæ in contrarium opponuntur ſoluta. 97. 98. 99. 100. --- Peccatum conſenſus in actum pertinet ad rationem ſuperiorem; peccatum verò conſenſus in delectationem pertinet ad rationem inferiorem. 111. --- Peccatum conſummatur non ſolùm opere; ſed etiam animi delectatione, & complacentià in illo. 113. --- Peccatum quas habeat cauſas. 115. Peccatum ex infirmitate, in quo differat à peccato ex malìtia. 121. Peccatum quomodo dicatur pœna alterius peccati. 135. Peccati malitia nequit eſſe à Deo phyſicè concurrente cum creatura ad illam. 137. & ſeq. --- Peccatum quid dicat de materiali, & quid de formali. 143. Quatenus actio, & entitas eſt, phyſicè cauſatur à Deo. 144. & ſeq. --- Peccatum habituale reipſa dari, contra Proteſtantes oſtenditur. 160. 161. Non conſiſtit in reatu, ſeu obligatione ad pœnam. 162. Non in denominatione extrinſeca à peccato actuali præterito non retractato. *ibi.* Non in habitu inclinante ad bonum commutabile. 163. Sed in defectu, & privatione nitoris gratiæ, qui deberet eſſe in anima, cum reſpectu ad peccatum præcedens. *ibi.* & 164. Objectiones contra hæc ſolutæ. *ibi.* & ſeq. --- Peccatum non ſolùm maculam, ſed & reatum pœnæ cauſat. 167. 168. Unum peccatum poteſt eſſe pœna alterius. 169. Non per ſe conſi-

Digitized by Google

conſideratum, ſed ſolùm per accidens. 170. 171. Peccatum mortalè inducit reatum pœnæ æternæ. 172. 173. 174. Secus peccatum veniale. 173. Peccato mortali debetur pœna partim infinita, partim finita. 175. Unum peccatum mortale quomodo dicatur gravius altero. 176. --- Peccatum veniale non remiſſum quoad culpam in hac vitâ, & conjunctum cum mortali, punitur per accidens in Inferno pœnâ æternâ. 177. 178. Peccatum ſive mortale, ſive veniale remiſſum quoad culpam in hac vitâ, ſatis probabile eſt non puniri in Inferno pœnâ æternâ, ſed ſolùm temporali. 179. Peccati remiſſio eſt gratuita quoad culpam, & reatum pœnæ æternæ. 185.

Pelagiani prava intentione celebrabant laudibus legem veterem. 260.

Peregrini quando teneantur, vel non legibus loci, in quo ſunt. 353. 354.

Perpetuitas legis quæ debeat eſſe. *pag.* 203. 204.

Perſona, in quam peccatur, aggravat peccatum. 91. Poteſt eſſe triplex. *ibi.*

Piſces cur prohiberentur offerri in Sacrificiis veteris legis. 287.

Pœna mortis æternæ non eſt tàm mala, quàm peccatum etiam leviſſimum. 56. --- Pœna Damnatorum una erit quantùm ad ſubſtantiam, & durationem. 83. --- Pœna eſt malum diſconveniens patienti. 269. Propriè dicta ſemper eſt ſecundùm rectam rationem, & à Judice volita. *ibi.* Debet commenſurari culpæ quoad accerbitatem, non quoad durationem. 174. Pœna damni non eſt infinita ſimpliciter. 175. 176. Nec in omnibus adultis æqualis *ibi.* Pœna pro peccato tamdiu durat, quamdiu durat culpa. 178. Damnatorum pœna nequit minui quantùm ad aliquid eſſentiale, benè verò poteſt quoad accidentale. 179.

Polygamia veterum Patriarcharum non fuit contraria legi naturæ. 258.

Pontifex quomodo dicatur diſpenſare in reſidentia perſonali Epiſcoporum. 250. In Votis, in ſanctificatione diei feſti. *ibi.* Diſpenſat in gradibus Matrimonii prohibitis lege humanâ Eccleſiaſticâ, non divinâ. *ibi.*

Potentia peccandi materialiter ſumpta quid dicat. 37. 38. Formaliter accepta conſiſtit in privativo, ſeu in defectu virtutis. 38. 39. Ut formaliter potentia peccandi non eſt à Deo. 134.

Potentiæ exteriores nequeunt eſſe ſubjectum intrinſecum peccati. 94.

Poteſtas humana ſive Eccleſiaſtica, ſive Civilis nequit diſpenſare in iis, quæ ſunt de jure naturæ. 249. 250. Non pendet, ut ſit legitima, à fide verâ, aut bonis moribus. 356. 357.

Præceptum convertendi ſe in Deum per dilectionem datum eſt homini. 71. Obligat præſertim pro primo inſtanti uſus rationis. *ibi.* Quæ in contrarium obſtare poſſunt, ſolvuntur. 72. 73. & ſeq. Hujuſmodi præceptum à puero perveniente ad primum inſtans rationis non poteſt invincibiliter ignorari. 73. Præceptum in quo differat à lege. 194. 195. Continens ipſam intentionem Legislatoris eſt omnino indiſpenſabile. 252.

Præcepta naturalia ſub qua ratione procedant à dictamine practico divini intellectus. 234. Decalogi omnia (excepto tertio de ſabbati ſanctificatione) continentur ſub lege naturali. 229. 230. Quomodo dividantur in duabus tabulis. 248. 249. Præcepta Decalogi data à Deo non immediatè, ſed per Angelum. 274. Præcepta legis veteris, licèt in ſeipſis multiplicia, ſunt unum unitate finis. 281. dividuntur in Moralia, Cæremonialia, & Judicialia. *ibi.* --- Præcepta aliqua de actibus ſupernaturalibus fuerunt in lege veteri. 282. --- Præcepta moralia veteris legis omnia ad Decalogum reducuntur. 283. 284. --- Præcepta cæremonialia quæ propriè dicantur. 285. In lege veteri erant quadruplicia. *ibi.* Moralia, quatenus continent

præcepta juris naturalis non minùs obligant Chriſtianos, quàm olim Judæos. 297. Obligant Chriſtianos, non ut tradita in lege veteri; ſed quatenus jure naturali præcepta ſunt, & lege Evangelicâ confirmata. *ibi.* & 298. — Præcepta judicialia veteris legis non ſunt facta mortifera. 309. --- Præcepta Decalogi, & moralia ſervari poſſunt ab iis, qui ex gratia Dei operantur. 315. 316. Præcepta ſacramentalia in lege nova ſunt à Chriſto inſtituta. 316. Præcepta quoque fidei, & ſpei à Chriſto ſunt impoſita. 317.

Prælati Eccleſiæ poteſtatem habent condendi leges pro bono Eccleſiæ. *pag.* 327. 328.

Prima principia practica ſe habent ſicut prima principia ſpeculativa. 237. Statim cognitis terminis innoteſcunt. *ibi.*

Princeps non poteſt, niſi injuſtè, legem ferre, quâ bona particularia ſubditorum in propriam vertat utilitatem. 198. 199. Habet jus Dominii civilis, & politici in ſubditos, non deſpotici, & herilis. 200. Monarchicè gubernans tenetur ſuis legibus, non quoad vim coactivam, ſed directivam. 349. 350. Quo jure ſuis legibus teneatur. 350. Princeps non poteſt ferre legem cum detrimento Religionis, vel alterius virtutis moralis, pro tuenda pace Reipublicæ. 210. Tenetur præceptis legis naturæ. 349. Habet poteſtem condendi leges Civiles, quibus ſubditi, licèt Chriſtiani, obedire tenentur. 328. 329.

Principium peccandi non eſt naturale. *pag.* 7.

Privatio quomodo poſſit ſuſcipere magis, & minus. 33. Privatio conſtituens peccatum in aliqua ſpecie peccati, quænam ſit. 34. Privatio alia eſt pura, & ſimplex; alia non ſimplex. 81. Debiti ordinis circa media poteſt eſſe in ſenſualitate. 100. Privatio non ſuſcipit magis, & minus in ſe, benè tamen ex parte cauſæ vel effectus. 177.

Privilegium à vera ratione legis declinat. 197.

Promulgatio eſt neceſſaria, ut lex obliget in actu ſecundo. 205. Non eſt de eſſentia legis, ſed conditio eſſentialiter requiſita, ut obliget in actu ſecundo. 206. --- Quæ promulgatio requiratur, & ſufficiat ad legis obligationem. 345. 346.

Propoſitio de peccato Philoſophico damnata ab Alexandro VIII. 9. Propoſitio Janſenii damnata ab Innoc. X. 13. Baii damnata à S. Pio V. *ibi.* Alia Baii damnata à S. Pio V. Greg. XIII. & Urban. VIII. 50.

Propoſitiones damnatæ ab Innocen. XI. 71. Aliæ Baii damnatæ. 105. Duæ damnatæ ab Innocentio XI. 136. --- Propoſitiones Joan. Wicleffi & Joan. Hufs damnatæ à Concil. Conſtantienſe. 356.

Providentia divina in multis differt à lege æternâ. 212.

Ptolomeus quidam veterem legem partim Deo, partim Moyſi, partim Senioribus adſcripſit. 268.

R

Ratio divina practica quâ ratione dicatur lex, ars, idea. 212. Ratio divinæ ſapientiæ eſt lex reſpectu rerum volitarum, non verò reſpectu voluntatis Dei. 221.

Ratio ſuperior, & inferior quænam dicatur 110. Ratio ſpeculativa, & practica dum procedunt ad propria, & particularia ſunt diverſæ. 138.

Reatus pœnæ per ſe ſequitur ex natura ipſius peccati. 168. Sumi poteſt activè, & paſſivè. *ibi.* Quid ſit. *ibi.* & 169. Reatus pœnæ æternæ realiter non diſtinguitur à culpa. *ibi.*

Regula dignoſcendi, an lex humana obliget ſub mortali, nec ne. 340. 341. 342.

Reipublica legibus ſive democraticè ſive ariſtocraticè gubernantis; omnes & ſin-

& ſinguli, tùm populares tùm Optimates, directè tenentur etiam quoad vim coactivam. 349. 350.
Religioſi exemti non tenentur legibus Epiſcoporum, virtute earum, ſeu directè, ſed indirectè. 352. 353.
Remiſſio peccatorum eſt gratuita quoad culpam, & reatum pœnæ æternæ. 185.
Res omnes neceſſariæ in creatis ſubduntur legi æternæ. 223.
Reſidentia perſonalis Epiſcoporum non eſt de jure naturali, aut divino. 249. Dato, quòd eſſet, Papa in ea diſpenſat diſpenſatione non propriè dictà, ſed impropriè, ſeu potiùs declaratione. 250.
Reſurrectio Chriſti eſt cauſa efficiens, & exemplaris noſtræ. 301.

S

Sacerdos ebrius, aut dormiens non poteſt valide Sacramentum conficere, etſi ante ebrietatem, vel ſomnum intentionem habuerit. 441. — Latinus apud Græcos non tenetur confecrare in fermentato; nec Græcus apud Latinos in azimo. 354.
Sacramenta veteris legis duplicia erant. 290. Quamnam haberent figuralem ſignificationem. *ibi.*
Sacrificia legis moſaicæ quæ eſſent. 285. 286. Cur non dicerentur Sacramenta. 291.
Satiſfactio Chriſti fuit infiniti valoris, per modum cauſæ univerſalis, & ſufficientiæ. 185. Satisfactio noſtra non facit injuriam Chriſto. *ibi.*
Senſualitas poteſt eſſe ſubjectum proximum peccati. 95 Manet poſt mortem in ſua radice, idest, animâ. 99.
Servitus quomodo dicatur contra naturam induſta de jure gentium. 245.
Simon Magus primò aſſeruit (ſecundum Irinenſem) Deum omnium eſſe cauſam malorum. 122.
Solemnitates Judæorum temporales erant ſeptem. 291. Quæ eſſent. *ibi.*
Stoici dicebant, omnia peccata eſſe paria in gravitate. 80.

T

Tabernaculum in lege moſaica quid eſſet. 288.
Tentatio carnis quando ſit, & quando non, peccatum. 109.
S. Thomas docet, omnes virtutes morales, in ratione formali virtutis, extremè diſtare à vitio. 2. Vitia remanere cum virtutibus infuſis, per modum diſpoſitionis, & in via corruptionis. 3. In peccatore juſtificato remanere plerumque peccati reliquias. *ibi.* — Declarat, quomodo Deus ſe gerat in ſananda animà à culpa. 3. 4. Aſſerit, virtutes eſſe ſecundùm naturam hominis, vitium autem contra naturam ipſius. 5. Infidelitatem eſſe contra naturam hominis. *ibi.* Explicat, quo ſenſu malitia in Scripturis dicatur homini naturalis. 5. — Docet, concupiſcentiam,excedentem limites rationis, ineſſe contra naturam homini. 7. Cur plures ſint, qui ſequuntur inclinationes naturæ ſenſitivæ, quam ordinem rationis. 8. Pejorem ſimpliciter eſſe in malitia actum, habitu vitioſo; hunc verò ſolum ſecundum quid. 9. Defendit, & exponit definitionem peccati traditam a S. Auguſtino. 10. — Aſſerit, omne peccatum affectivè eſſentialiter eſſe injuriam, & offenſam Dei. 11. 12. Peccatum debere eſſe liberum libertate indifferentiæ. 13. — Docet, non poſſe aliquid eſſe contra rectam rationem, quin ſit contra legem eternam. 18. Quæ ſint peccata ſpiritualia, & quæ carnalia. 22. Triplicem ordinem in homine debere eſſe. 23. Diviſionem peccati in peccatum cordis, oris, & operis eſſe potius diviſionem in diverſos gradus ejuſdem peccati, quam in diverſa ſpecie peccata. *ibi.* — Tradit, in eadem ſpecie inveniri aliquod peccatum mortale, & veniale. 25. Blaſphemiam eſſe ſimpliciter peccatum gravius homicidio. 26. Gravitatem peccati ex ſpe-

Digitized by Google

ſpecie deſumi ab objecto. *ibi.* Malum morale formaliter conſiſtere in privativo. 31. 32. Peccatum concretivè ſumptum opponi contrariè virtuti; acceptum in abſtracto, ſeu per ſe, opponi privativè. 33. Bonum, & malum quomodo ſint differentiæ ſpecificæ in moralibus. 34. Potentiam peccandi importare defectum. 38. Quantùm ad defectum non eſſe à Deo. 39. --- Docet, omiſſionem incipere imputari ad culpam, quando fuit tempus operandi. 42. Plura requiri ad bonum, quàm ad malum; & meritum non poſſe eſſe ſinè actu, benè verò peccatum. 43. Peccata commiſſionis, & omiſſionis, ſi ex eodem motivo procedant, & ad idem ordinentur, eſſe ejuſdem ſpeciei moraliter. 46. Cur debuerint dari in lege Dei diverſa præcepta affirmativa, & negativa. *ibi.* ... Peccatum veniale dici tripliciter. 47. Ponere inordinationem ſolùm circa ea, quæ ſunt ad finem. 58. Non excludere habitualem ordinationem actus humani in gloriam Dei. *ibid.* --- Peccatum mortale, & veniale opponi ſicut irreparabile, & reparabile. 59. Differre ſecundùm reatum. *ibi.* Mortale privare gratiâ, veniale non. *ibi.* Non convenire univocè in ratione peccati, ſed analogicè. 60. Peccatum veniale ex genere, ratione ſui objecti, aliquando eſſe mortale ex parte agentis. 61. Differentiam venialis, & mortalis peccati ſumtam penes reatum non eſſe differentiam ſpecificam. 62. Opus bonum poſſe eſſe materiam, vel occaſionem peccati mortalis per accidens. 64. --- Aſſerit, peccatum veniale fieri mortale, poſſe intelligi tripliciter. *ibi.* Omnia peccata venialia non poſſe habere tantum de reatu, quantum unum mortale. 65. Maculam peccati mortalis in infinitum diſtare ab illa venialis. 66. --- Docet, quomodo id, quod eſt peccatum veniale ex genere, poſſit fieri mortale per circumſtantiam. 67. Qualiter peccatum veniale cauſet maculam in anima. 68. Angelos malos, & Damnatos venialiter peccare non poſſe. 69. Angelos, ſive qui boni ſunt, ſive qui nunc mali, non potuiſſe peccare venialiter in eo ſtatu, in quo de facto conditi ſunt. *ibi.* --- Tradit, hominem primò pervenientem ad uſum rationis teneri ſe ordinare ad debitum finem ſub mortali. 70. Non eſſe poſſibile, aliquem decedere cum originali peccato, & veniali abſque mortali. *ibi.* Puerum nondum habentem uſum rationis non poſſe peccare venialiter. 76. Cur virtutes ſint inter ſe connexæ, non autem omnia peccata. 78. Quomodo ſit intelligendum illud Jacobi 2. v. 10. *Quicumque totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus.* 79. Peccata eſſe connexa quantùm ad averſionem. *ibi.* Unum peccatum eſſe gravius alio. 82. In ſupplicio Damnatorum eſſe aliquid commune omnibus; & aliquid, in quo differunt. 83. Peccatum eſſentialiter finitum eſſe. 84. Per unum peccatum magis Deum contemni, quàm per aliud. 84. --- Docet, maximæ virtuti apponi directè maximum peccatum. 87. Solum odium Dei directè opponi caritati. *ibi.* Schiſma, & alia peccata, quæ ſunt in proximum, opponi caritati quantùm ad ſecundarium bonum; ideoque eſſe minora infidelitate. *ibi.* Peccata ſpiritualia eſſe majoris culpæ, quàm carnalia. 88. Cauſam peccati poſſe eſſe duplicem. 89. Circumſtantiam poſſe aggravare peccatum tripliciter. *ibi.* Nocumentum tripliciter poſſe ſe habere ad peccatum. 90. 91. Peccatum aggravari ex conditione perſonæ, in quam peccatur. 92. 93. Membra externa non poſſe eſſe ſubjectum intrinſecum peccati. 94. Omne peccatum eſſe in voluntate, ut in prima radice. *ibi.* Peccatum poſſe eſſe in ſenſualitate. 95. 98. 99.

Digitized by Google

98. 99. Potentias ſenſitivas, poſt mortem, manere in ſua radice, ideſt, eſſentiâ animæ. 99. Diſpoſitionem tripliciter ſe habere ad id, quòd diſponit. 101. materiale in peccato mortali poſſe accipi tripliciter. *ibi.* --- Docet, motus inordinatos ſenſualitatis, prævenientes omnem advertentiam rationis, non eſſe peccata. 103. 104. Quædam ejus loca, in contrarium adducta, explicata. 108. --- Explicat delectationem moroſam. 109. Eandemque, ut in primo motivo, ponit in ratione. 110. --- Docet, conſenſum in actum peccati procedere ex ſuperiori ratione. 111. Ad eandem pertinere etiam poſſe conſenſum in delectationem. *ibi.* Delectationem voluntariam de re cogitata, mortaliter malâ, etiam abſque voluntate operis perficiendi, eſſe peccatum mortale. 113. 114. Conſenſum delectationis boni operis, ſinè conſenſu operis non ſufficere ad merendum. 114. Orationem Dominicam dicendam eſſe etiam contra peccata mortalia. *ibi.* --- Docet, voluntatem creatam eſſe cauſam peccati. 115. Ignorantiam tollentem ſcientiam prohibentem actum peccati, eſſe peccatum. 116. Nullam ignorantiam invincibilem eſſe peccatum. 117. Vincibilem verò eſſe peccatum. *ibi.* Ignorantiam poſſe conſiderari tripliciter. *ibi.* Quandoque eſſe cauſam peccati. *ibi.* Directè volitam augere peccatum. 118. --- Oſtendit, quomodo paſſiones appetitus ſenſitivi poſſint indirectè movere voluntatem ad peccandum. 119. Paſſionem conſequentem non minuere, ſed augere magis peccatum. 120. Peccare ex malitia, eſſe ſcienter malum eligere. 120. Quid interſit inter peccare ex infirmitate, & ex malitia. 121. 122. --- Explicat, quomodo dicatur Deus inclinare ad malum. 129. Præcipere malum. 130. Tradere in reprobum ſenſum, excæcare, obdurare cor. 133. --- Docet, peccatum cauſari à libero arbitriò, ut deficit à Deo. 134. Cur Deus poſſit cauſare malum pœnæ, & non culpæ. 135. Deum non poſſe facere, quod non poteſt velle. 138. --- Tradit, actionem peccaminoſam, quâ actio eſt, eſſe à Deo. 144. 145. 146. 147. Prædeterminari etiam. 148. --- Aſſerit, non poſſe dici abſolutè, quòd peccatum ſit à Deo. 150. Deformitatem peccati non conſequi ſpeciem actus, ſecundùm quòd eſt in genere naturæ. 152. Non poſſe dici Deum cooperari ad malum. 156. Voluntatem hominis ſolùm eſſe cauſam directam ſui peccati. *ibi.* Diabolum poſſe eſſe homini cauſam peccandi ſuadendo, & proponendo appetibile. 157. Similiter operando circa partem ſenſitivam inferiorem. *ibi.* & 158. Diabolum non ſemper noſcere, quæ ſunt in fantaſia hominis. *ibi.* Non poſſe inducere homini neceſſitatem ad peccandum. 159. Indiriċtè eſſe cauſam omnium peccatorum noſtrorum. *ibi.* --- Explicat, maculam ex peccato actuali relictam in anima. 160. 161. 162. 163. 164. 165. Quomodo homo, tranſacto actu peccati, maneat habitualiter converſus ad creaturam. 166. Non omnium peccatorum mortalium eſſe unam maculam. 167. --- Docet, peccantem triplicem pœnam incurrere. 168. Peccatum per ſe non poſſe eſſe pœnam peccati. 170. Omnem pœnam à Deo eſſe, ſed non eodem modo. 171. Peccatum per accidens poſſe eſſe pœnam alterius peccati. *ibi.* Deordinationem, quam ponit peccatum mortale, eſſe de ſe irreparabilem. 173. Peccatum veniale non inducere reatum pœnæ æternæ. *ibi.* Pœnam debere proportionari culpæ ſecundùm acerbitatem, non durationem. 174. Pœnam peccati mortalis non poſſe eſſe ſimpliciter infinitam. 176. Peccatum veniale non remiſſum, & conjunctum cum mortali puniri in Inferno pœnâ æternâ per accidens. 177. Culpam venialem poſt hanc vitam dimitti per

Digitized by Google

ti per ignem Purgatorii. 178. Peccatum ſive mortale, ſive veniale, remiſſum quoad culpam in hac vitâ, non puniri in Inferno pœnâ æternâ, ſed temporali. 179. Maculam peccati ab homine tolli non poſſe, niſi voluntas hominis ordinem divinæ juſtitiæ acceptet. 180. Hominem poſt remiſſam culpam adhuc eſſe reum temporali pœnâ. 184. Meritum Chriſti eſſe omnium meritorum radicem eſſeque ad modum cauſæ univerſalis. 186.

Tradit, legem dici à ligando. 189. Definitionem ejus. *ibi.* Conſiſtere eſſentialiter in actu intellectus, nempe, in imperio. 190. Divinam voluntatem eſſe primam regulam, quâ regulantur omnes rationales voluntates. 193 Legem propriè primò reſpicere ordinem ad bonum commune. 194. Privilegium non habere veram rationem legis. 198. Humanum Regimen quomodo mala permittat. 202. Legem dici juſtam ex fine, auctore, & formâ. 203. Exigere aliquam promulgationem, ut obliget in actu ſecundo. 205. 206. --- Aſſignat rationes, cur præter legem naturalem, & humanam detur lex poſitiva divina. 208. Fomitem non habere rationem legis, ſed magis deviare à lege rationis. 209. --- Docet, legem æternam in Deo diſtingui ab ejus Providentia. 212. Definit legem æternam. 214. Quam dicit habere promulgationem verbo, & ſcripto ex parte Dei. 215. --- Aſſerit, legem humanam derivari à lege æternâ. 217 218. Dei voluntatem non ſubjici legi æternæ. 220. 221. Omnes motus, & actiones totius naturæ ſubdi legi æternæ. 224. Creaturas irrationales aliter, ac rationales ſubjici legi æternæ *ibi.* Docet, creaturas irrationales ſubeſſe legi æternæ Dei, & quomodo. 225. Homines omnes ſubdi eidem legi. 227. Damnatos etiam, & Beatos. *ibi.* Bonos ſubdi per amorem, malos per timorem. 228. Omne peccatum eſſe malum, quia prohibitum, relatè ad jus naturale. 231. Quomodo lex naturalis dici poſſit habitus. 233. --- Tradit, rationem practicam, & ſpeculativam dum procedunt ad propria, & particularia, eſſe diverſas. 238. Præceptum Decalogi de ſabbati ſanctificatione, quantùm ad aliquid, eſſe morale, cæremoniale, & judiciale. 239. Omnia præcepta Decalogi, excepto tertio, contineri ſub lege naturali. 240. Jus gentium valde eſſe affine juri naturali. 241. Omnes actus virtutum moralium, in genere ſpectatos, eſſe de lege naturæ. 242. --- Docet, legem naturalem mutatione impropria mutari poſſe. 243. Bonorum diſtinctam poſſeſſionem, & ſervitutem non à naturâ, ſed per hominum rationem eſſe inductas. 244. Quo modo lex ſcripta dicatur data ad correctionem legis naturalis. 245. Legem naturalem deleri poſſe in particulari operabili; & quoad præcepta particularia deleri de cordibus hominum. 246. Legem naturalem non admittere Epikiam ſtrictè ſumtam. 247. Diſpenſationem in lege non poſſe fieri niſi à Superiore. 248. Quomodo Eccleſiæ Prælati, & ipſe Deus dicantur diſpenſare in Votis, præceptiſque Decalogi. 250. Deum nunquam præcepiſſe quid fieri contra præcepta Decalogi. 257. Oſeam accedentem ad mulierem fornicariam, non peccaſſe. *ibi.* Polygamiam non tollere finem primarium Matrimonii. 258. Qualiter ſit contra legem naturæ. *ibi.* --- Docet, legem veterem fuiſſe bonam. 261. 262. Quonam ſenſu dicatur occidere. *ibi.* Fuiſſe utilem. 265. 266. Fuiſſe non perfectam. 269. Latam à Deo miniſterio Angelorum. 272. 273. Datam ſolis Judæis debito condecentiæ. 275. 276. Deum non eſſe acceptorem perſonarum. *ibi.* Legem veterem, quantum ad ea, quæ addebat legi naturali, non omnes obligaſſe, ſed ſolos Judæos. 277 Gentiles

tiles ſecuriùs, & perfectiùs ſalvabantur ſub obſervantiis legis moſaicæ. 278. Legem veterem non debuiſſe dari temporibus Adamo vicinioribus. 279. Nec temporibus Abrahæ: nec ſolis deſcendentibus ex David. *ibi.* Figuraſſe cæremoniis, & verbis promiſiſſe hominum juſtificationem. 280. --- Oſtendit, omnia mandata legis veteris unum fuiſſe unitate finis. 281. Conveniens fuiſſe dari in lege veteri præcepta moralia. 283. Explicat præcepta cæremonialia. 285. Quid eſſet Holocauſtum, Hoſtia pro peccato. *ibi.* Hoſtia pacifica. 286. Quare ſolùm boves, oves, & capræ, & non alia animalia offerrentur in Sacrificiis. *ibi.* & 287. Quæ ex terræ frugibus offerrentur, & quæ non. *ibi* & 288. — Rationem dat, cur Judæi Tabernaculum habuerint. 288. Significationem exponit Propitiatorii, Candelabri, Altaris thymiamatis, Menſæ, & Altaris Holocauſtorum. 289. 290. — Docet, cur inter Sacramenta non numerarentur Sacrificia legis veteris. 291. Convenienter in lege veteri fuiſſe præcepta judicialia. 292. 293. Legem veterem abrogatam eſſe quo ad Cæremonialia, & Judicialia. 295. 296. Omnes teneri ad obſervantiam legis veteris quoad ea, quæ continebat de lege naturæ; non quia erant de veteri lege, ſed quia erant de lege naturæ. 297. Legalia ceſſaſſe in Chriſti morte 300. — Tradit, quid ſint, & ad quem finem inſtitutæ ſint cæremoniæ legis. 301. Refert Auguſtini, & Hieronymi diverſam opinionem circa ceſſationem Legalium. 302. Oſtendit, quâ ratione Apoſtoli præceperint quorumdam Legalium cæremonias. 308. Præcepta judicialia veteris legis eſſe quidem mortua, ſed non facta mortifera. 309. — Docet, legem novam aliqua opera externa debuiſſe præcipere, vel prohibere. 317. Eſſe aliam à lege veteri. *ibi.* Impleviſſe, & perfeciſſe veterem. 318. Ad legem Evangelii duo pertinere, ideſt, gratiam ipſam Spiritus Sancti principaliter; & documenta fidei ſecundariò. 319. 320. Cur lex vetus, etſi à Deo, non juſtificaret. 320. Lex gratiæ cur non debuerit dari ab initio Mundi. 322. 323. Hujuſmodi legem duraturam uſque ad finem Mundi. 324. 325. Spiritum Sanctum docuiſſe Apoſtolos omnia pertinentia ad neceſſitatem ſalutis; non autem eos docuiſſe de omnibus futuris eventibus. 325. Quomodo dicatur, Evangelium prædicatum in univerſo Orbe etiam tempore Apoſtolorum. 326. — Docet, leges humanas juſtas obligare in conſcientia. 330. Eaſdem tranſgredi ex contemtu, etiam ſi materia ſit levis, eſſe peccatum mortale. Legiſlatorem non teneri ſuis legibus quoad vim coactivam. 349. Benè verò directivam. 350. Eccleſiam poſſe jure privare Principes infideles Dominio ſuper Fideles. 358.

Tranſgreſſor legis humanæ pœnalis quando teneatur ſubire pœnam. pag. 337. 338.

V

Valentinus hæreticus negat, Deum eſſe cauſam, & auctorem peccati. 125.

Verbum otioſum non eſt peccatum mortale. 51.

Veritas formalis quomodo ſit in intellectu, cogitativâ, & vocibus. 98.

Vitium unde dicatur. 1. Diſtinguitur à peccato. *ibi.* Directè opponitur virtuti, ſecundùm quòd hæc eſt habitus diſponens ſubjectum convenienter ſuæ naturæ. 2. Eidem, ut eſt quædam bonitas, opponitur quatenus quædam malitia eſt. *ibi.* Opponitur contrariè. *ibi.* --- Vitia, probabilius eſt, ſaltem indirectè, oponi virtutibus infuſis. 3. Oppoſita virtutibus naturalibus acquiſitis ſunt contra naturam hominis. 4. 5. Item oppoſi a virtutibus infuſis, & ſupernaturalibus. *ibi.* & 6. Quæ con-

Digitized by Google

contra hæc proferuntur, ſoluta. *ibi.* & ſeq. --- Vitium quo ſenſu dicatur naturale homini. 6.
Virtus contrariè opponitur vitio. 2.
Voluntas eſt ſubiectum peccati. 93. Eſt prima radix, & primum movens omnium peccatorum; non tamen eſt omnium ſubjectum immediatum. 94. --- Voluntas creata quomodo, & unde ſit cauſa peccati. 215. Ut defectuoſa non eſt à Deo. 251. Dicitur regula humanorum actuum non ratione ſui, & per ſe, ſed ut dirigitur à ratione --- Voluntas divina in ſuis actibus ſive neceſſariis, ſive liberis legi æternæ non ſubiicitur. 220. 221.
Utilitas legis veteris. 285.
Wicleffus aſſernit, Dominium tùm Civile, tùm Eccleſiaſticum amitti per peccatum mortale. 356. Damnatus à Concil. Conſtantienſe. *ibi.*

L A U S   D E O.

Digitized by Google